




19

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
A. F. DIDOT, imprimeur de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
DONDEY-DUPRÉ, impr.-lib. rue de Richelieu, n° 47 *bis*.
BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.
JUL. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.
LECOINTE, quai des Augustins, n° 49.
Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

M. T. CICERONIS

QUÆ EXSTANT

OMNIA OPERA

CUM

DEPERDITORUM FRAGMENTIS

IN QUATUOR PARTES DIVISA

ITEM

INDICES QUINQUE

NOVI ET ABSOLUTISSIMI

EXCUDEBAT A. FIRMINUS DIDOT,
GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

M. T. CICERONIS

PARS TERTIA

SIVE

OPERA PHILOSOPHICA

AD OPTIMOS CODICES

ET EDITIONEM J. VICT. LECLERC

RECENSITA

CUM SELECTIS VETERUM AC RECENTIORUM NOTIS

CURANTE ET EMENDANTE

M. N. BOUILLET

IN CAROLI MAGNI COLLEGIO PHILOSOPHIÆ PROFESSORE

VOLUMEN SEXTUM



PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXXI


BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·

NOVI EDITORIS PRÆMONITIO.

Quum fere nihil dicendum habeamus quod æque ad tria quæ in hoc eodem volumine continentur opera pertineat, de singulis seorsim loquemur, et operæ quam unicuique edendo navavimus rationem paucis reddemus.

IN LIBROS DE OFFICIIS.

Inter omnia Tullii opera, vix ullum est quod tantam utilitatem oblectationemque præbeat quantam hi de Officiis libri, quodque a pluribus usitatum tritumque in omni tempore fuerit; itaque illis tum recensendis castigandisque tum illustrandis permulti incubuerunt; unde fit ut nobis hanc editionem suscipientibus amplissima et maximi pretii copia adjumentorum fuerit in manibus. Igitur quidquam novum moliri non solum inutile, sed prorsus temerarium fuisset; neque alia nobis cura relicta erat, nisi optima secernere, et purissimam mellis ab aliis expressi partem in unum colligere.

Sed, propter illam ipsam auxiliorum multitudinem, multum dubitare debebamus quid potius eligeremus, et parum abfuit quin divitiarum mole obrueremur. Attamen inter doctos, qui hos libros de Officiis recensendos illustrandosque susceperunt, quatuor præser-

tim, nempe Jac. Facciolatus, Jac. Frid. Heusingerus, Aug. Gotth. Gernhardus, et Car. Beierus, ita superemi-nebant, ut in eos maxime animi nostri attentio convertenda esset (1). Illorum unusquisque tot sibi propriis virtutibus abundabat, ut nullum solum, ceteris exclusis, sequi potuerimus, sed ex quoque servare debuerimus, quod utilissimum præstabat sive ad textus crisin, sive ad sensus interpretationem, sive tandem ad philosophicarum rerum illustrationem. Quum vero jam uniuscujusque commentarius amplissimum tomum impleat (immo Beierus duos), periculum erat ne hoc volumen, in quo præter libros de Officiis duo alii libri contineri debebant, ultra omnem modum excresceret; itaque vel iis commentariis, quos fere solos adhibebamus, non nisi parcissime uti licuit, et multa omittere fuit necesse quæ certe docti desiderabunt: quapropter et multas philologicas notas minoris momenti quibus Heusingerorum præsertim editio scatet, et plerosque Beieri excursus, dignos quidem attentione, sed numero et amplitudine nostros fines prorsus excedentes, et varias denique lectiones abstulimus quas Gernhardus ex suis MSS λ, μ, ψ, et Beierus ex Bernensi cod. expresserunt, quasque in suæ editionis calce congesserunt; namque quidquid novi et utilis ibi continebatur suo loco in ipso contextu repositum fuerat.

Potissimum usi commentario duorum novissimorum editorum, Gernhardi nempe et Beieri, qui ipsi ex

(1) Vide infra (pp. xiij seqq.) titulos quatuor illarum editionum, cum judicio quod Beierus de tribus prioribus, in editionum Indice suæ editioni subjuncto, tulit.

omnibus antecessoribus, in primis Facciolato et Heusingeris, multa hauserant, horum exscripsimus præfationes integras (quas lege inf. p. I, sqq. XXII, sqq.), in quibus fuse exponuntur finis quem unusquisque sibi proposuit, et auxilia quæ adhibuit. Satis erit igitur, si huc intulerimus aliquid extractum e Facciolati præfatione, quam totam Gernhardus exscripserat, quamque ipse laudat in præfatione sua mox sequenti (pag. XII, lin. 28), et notitiam manuscriptorum editionumque quibus usus est uterque editor, et quæ in editione hac brevioribus notis designavimus.

EX FACCIOLATI PRÆFATIONE.

Expositis causis quibus impulsus librorum de Officiis editionem novam suscepit, Facciolatus dolet quod illi libri a priscis librariis editoribusque misere corrupti et vitiati fuerint, exponitque leges quas in his recensendis servavit.

« Dii boni, inquit, quid non sibi licere turba hæc (nempe grammaticorum et librariorum), si quid offenderet in illo (opere) abstrusius, existimavit. Multa temere inversa, quædam addita, alia detorta, alia ex aliis facta, quæ magnam divini operis partem omnino deformarunt. Quamquam non tam grammatici reprehendendi, si, quod ipsis videbatur bono esse, margini adscripserunt; quam librarii, qui inconsulto describentes, in orationis contextum induxerunt. Sed et ipsis librariis alicubi venia danda. Satis enim constat, fuisse nonnullos ante inventam typographi-

cam artem, qui in latina scripta, quorum magnus esset usus, plurimum sibi licentiæ sumerent; idque se facere dicerent scholæ gratia, *ut legi ab omnibus, et intelligi possent.* Scilicet hoc ipso fecere, ne intelligerentur, et quod consequitur, ne a multis legerentur. Enimvero si quis ex omni antiquitate liber cognosci debet, et, ut Plinius in Præfatione Histor. Nat. ait, quotidie in manibus haberi, atque edisci, hic est in primis, in quo officia vitæ omnia a viro sapientissimo et eloquentissimo ad filium perscripta continentur: sed adulterina passim inserta, atque inde ortæ verborum ac sententiarum perturbationes, profecto non sine causa studiosos deterrent. Juniores critici maculas plurimas eluerunt, partim vero suspicando notarunt, sed quasdam etiam pro humani conditione ingenii, quamvis sagacissimi essent, præterierunt. Placuit mihi quoque experiri, numquid commode facere possem, auxilio præsertim veteris codicis, quem superioribus annis, quum aliud agerem, forte fortuna inveneram. Non est hic quidem cum illis fortasse comparandus, quos multi ante nos interpretes, viri summi, undique conquisitos examinarunt. Sed quis tandem codex reperiri potest tantæ antiquitatis et fidei, ut a primis exemplis nondum in schola tritis non longissimo intervallo recedat? Ego Ciceronem in Cicerone quæsivi; sæpiusque cogitavi, quid ipse scripserit, quam quid alii post alios exscripserint. In quo tamen modum tenui, monendo sæpius, quam mutando: ac de meo quidem si quid aspergere ausus sum, ingenue significavi; ut

quivis statuere pro arbitrio possit. Hactenus mihi uni, meisque studiis operam dederam. Quandoquidem autem in fatis erat, ut quidquid egissem, nunc demum typis committerem, optimum duxi, scholia quædam et explicationes locis non ita planis adjicere, quæ hominibus in hoc studii genere parum exercitatis usui essent, laboremque minuerent. Quamquam haud scio, an illi ipsi, qui sunt exercitati, totam hujus voluminis doctrinam, non sane de medio sumptam, partesque ejus singulas, earumque ordinem et contextum sine adjutore percipere possint. Illud tamen in primis cavi, ne eruditiones acervatim congererem, aut græca verba inculcarem, quod Cicero ipse in lib. I, cap. 31, contra officium esse monet.»

INDEX

LIBRORUM SCRIPTORUM ET IMPRESSORUM VETERUM QUI IN HOC COMMENTARIO COMMEMORANTUR. (EX GERNHARDI EDIT. PP. XXIII, XXIV.)

«Variis libris MSS usus est Petrus Victorius; uno Augustano Wolfgangus Anemœcius; uno Fulvius Ursinus; tredecim codicibus Aldus Manutius Nep. idem uno Alberti Tertii: sic enim centies appellatur in ipso Manutii Commentario apud Grævium. Heusingerus, qui hunc codicem et antiquissimum et præstantissimum raro a reliquis Manutianis distinguit, scribit Tettium. Unum scriptum exemplar est Petri Balduini, plures libri MSS sunt Caroli Langii, Antonii Mureti, Suffridi Petri, Dionysii Lambini, Francisci Fabricii. Janus Guilielmius consuluit Coloniensem codicem et Fabricianum, duos per Merulam collatos, excerpta Carrionis, et Cruceianum exemplar; Janus Gruterus duos libros Palatinos (Pal. 1 et 2), Thomas Cockmannus decem Oxonienses (Ox.), Jo. Georg.

Grævius duas contulit membranas vetustas, sed laceras et mancas (Græv. 1 et 2), unum librum recentiorem notæ deterioris et excerpta Pithœi (Pith.) in margine Gryphianæ edit. 1550, et Argentoratensis Lambini adscripta. Isaacus Verburgius codicem Groninganum (Gron.); unum librum Jacobus Facciolatus; Zacharias Pearcius circiter XVIII Anglicanos et Londinenses. Jo. Augustus Ernestius usus est excerptis codicis Gothani et Curiensis (Cur.); Jo. Mich. Heusingerus libris MSS, Gothano (Goth.) et Vinariensi (Vin.); Jac. Frid. Heusingerus quinque Guelpherbytanis (Gu. 1, 2, etc.) et Scholiasta Guelpherbytano. Denique Dan. Wyttenbachius nonnullas lectiones prodidit e codd. Duisburgensi, Groningano et Huydekooperiano. De codd. λ, μ et ψ in præfatione monitum est(1).

« In his libris scriptis et antiquitate et præstantia excellunt codex Augustanus Wolfg. Anemœcii, unus Alb. Tertii, unus Pet. Balduini; duo Car. Langii, Palatinus 1 J. Gruteri, Grævianus 1 J. Georg. Grævii, J. Mich. Heusingeri Gothanus, Jac. Frid. Heusingeri Guelpherbytani 1, 2 et 3. Denique ψ collegii Balliolensis.

« Quoniam Heusingerorum apparatus criticus optimis et antiquissimis instructus fuit libris impressis; horum quoque catalogum ex editionis Heusing. præfatione Conradi Heusingeri contractiorem addere visum est. J. Mich. Heusingerus, Conradi patruus, usus est editis libris vetustioribus his : Romano 1 anni 1471, Venetis quatuor annorum 1470, 1484, 1506, 1554, Lipsiensi 1500, Argentoratensi 1510, Aldino 1561, Franc. Fabricii 1581. Idem præter editiones recentiores Gruteri, Grævii, Gronovii, Pearcii, Oliveti et Facciolati adhibuit auctores, qui locos Ciceronis vel excerpserunt, vel imitati sunt, Nonium Marcellum (exempl. Gothofred.), Servium, Lactantium, Ambrosium, et sæculi XIII Vincentii Bellovacensis episc. Speculum historiale. Jac. Frid. Heusingerus, Conradi pater, contulit libros impressos præstantissimos: Magont. Magontiacensem seu Moguntinum, anno 1465, in mem-

(1) Vide infra pag. XIII, ultima linea, in qua litera ψ lapsa est ante litt. 1 B *Codex* MS, etc.

branis per Fustium ac Schefferum exaratum; Impr. inc. i. e. Impressum incertum, sine typographici, loci et anni indicio; Venetam editionem 1498, Lipsienses 1507 (Martini Herbipolensis) et 1513, Jac. Thannerssii, Lugdunensem 1527. Nec vero neglexit J. Fr. Heusingerus editiones Hervagianam 1534, Victorianam 1537, Camerarianam 1540, Gryphianam 1540, Anemœcii 1541, Aldi 1561, Car. Langii 1563, Dionys. Lambini 1566, Hier. Wolfii 1569, Franc. Fabricii 1581, Henr. Saganensis 1582, Gothofredi 1596. In promptu fuerunt Heusingero patri etiam recentiores editiones Gruteri, Grævii, Jac. Gronovii, Cockmanni, Pearcii, Oliveti atque Ernestii. Adde huc Nonium Marcellum ex edit. Merceri, quam cum duobus MSS codd. contendit, Augustano altero eoque juniore, altero Gudiano et optimo et antiquissimo; Bedæ Venerabilis excerpta in tomo II Opp. Bedæ edit. Colon. Agripp. 1612 (inscribuntur ibi Sententiæ ex Cicerone); Joannis Sarisberiensis Carnut. episc. sæc. XII Policraticum; excerpta Eybi, i. e. Alberti *de Eyb* exempla ex Cicerone coacervata in Margarita poetica, Basil. 1495.

« A nobis vero præter Jac. Facciolati editionem, cujus scholia integra expressimus, et alias recentt., collati sunt impr. inc. b. i. e. liber impressus incertus alter; Ascensiana ed. 1521 Lugdunensis, quam Petri Balduini dicimus, 1556, de quibus vide præfationem, pag. xv. »

Beieri editioni subjungitur notitia multo plenior editionum, quam totam inserere inviti omittimus, ne hanc præfationem nimio plus augeat, sed quam conferre debebunt qui novam horum de Officiis librorum editionem condere suscipient.

Hic satis habebimus addere titulos præcipuarum editionum, cum judicio quod de prioribus fert Beierus.

1° « M. T. Ciceronis de Officiis libri tres. Ex recens. Joh. Ge. Grævii cum ejusd. nn. ut et integris animadvv. Dion. Lambini,

F. Ursini, C. Langii, Franc. Fabritii Marcod. A. Manutii necnon sel. alior. [Not. Mureti; cujus, pluribus MSS usi, scholia in Offic. reperiuntur in Mureti opp. ed. a D. Ruhnkenio, t. II, inde a p. 824, tum Gulielmii, Gruteri, Rachelii, J. F. Gronovii, Gassendi, etc.] Acc. Gronovii Eulogii Rhet. Carth. in Cic. Somn. Scip. disp. Cælii Calcagnini disqq. in de Off. libros, M. Ant. Majoraggii decisiones, Jac. Griffioli defensiones contra Calcagninum. Amstel. 1688, in-8 maj. 1691, in-8. Correctior cum indd. locupletiss. 1710, in-8. Griffioli v. Grifoli illæ defenss. ante editæ fuerant Ven. 1531, ap. Ald. in-8, 1546, in-8. Paris. 1548, in-8. Lugd. 1552, in-8. Ipse Grævius usus est duabus membranis pervetustis et optimis, quamquam laceris et mancis, uno libro recentiore minoris auctoritatis et excerptis duorum codd. a Petro Pithœo in margine edit. Gryphianæ ab ann. 1550, et Argentoratensis Lambini adscriptis, ad quorum libb. fidem passim inveterata quædam vitia persanavit. Alias sequitur præ ceteris Car. Langium. — Omissis varior. intt. notis, iidem ll. prodierunt ex recens. J. G. Grævii cum ejusd. animadvv. Amst. 1691 et 1699, in-8 min. vel in-12. Extremæ ed. minori a. 1691 addita sunt Corrigenda quædam, quæ passim commemorat Gernhard. modo Supplementa, modo Appendicem, modo Additamenta nuncupans. In ed. 1699 Grævius nonnullas animadvv. refinxit auxitque novis quibusdam. — Denique M. T. Cic. de Off. libri tres. Ex recens. J. G. Grævii aliorumque Norimbergæ ex off. libr. Riegelianæ 1759, in-12, prodierunt, 4 grossis venales; sed tam negligenter recusi, ut hic illic integri versus desint. »

2° Facciolati duæ sunt editiones,

Prior sine ejus nomine, sic inscripta :

« M. T. Ciceronis de Officiis libri tres. Item de Amicitia, de Senectute, Paradoxa et de Somnio Scipionis. Adjecta est margini sectio Transalpina et breves ad calcem annotationes. Patavii 1720, typis Seminarii, apud Jo. Manfre, in-8. »

Posterior cum ejus nomine, hoc titulo:

« M. T. Ciceronis de Officiis libri tres, de Senectute, de Amici-

tia, de Somnio Scipionis et Paradoxa. Accedit Q. Fratris commentariolum petitionis. Ex recensione Jacobi Facciolati. Venetiis 1747, ex typograph. Jo. Bapt. Albritii Hieronymi.»

«Notulæ fere sententias variatis verbis breviter atque perspicue exprimunt, aut, earum ordinem explorantes et castigantes, integerrima quæque sollicitant, quum ipse Facciolatus parum teneret Ciceronis consuetudinem laxius disputandi. Nam, ut ipse fatetur, Ciceronem in Cicerone quæsivit. Non numquam tamen in interpolatorum malitiosis astutiis percipiendis reliquis edd. fuit sagacior. Interdum ad codicem MS, quo usus sit, testem provocat. Sæpius veterum quarumdam editionum lectionem tacito amplectitur. Quædam etiam e conjectura refinxit. Præterea aliam instituit capitum divisionem, descriptis pro rerum distinctione periochis quibusdam.

3° «M. T. Ciceronis de Officiis libri tres ad solam priscorum exx. fidem rec. adjectisque Jo. Mich. Heusingeri et suis adnn. explicatiores editurus erat Frid. Heusinger. Brunsvigæ in orphanotr. duc. bibliop. an. 1783, in-8, p. LXX, 812» (præter Indices, quos confecit Conradus Heusinger filius, præfatus editioni posthumæ, quæ nostræ memoriæ omnium longe præstantissima est, dignaque quæ mox recudatur.)

« J. M. Heus. patruus diligentius, quam Ernestus, contulit cod. Gothanum et Vinariensem; præterea Servium, Lactantium, Ambrosium (cujus et opp. omn. et de Off. ll. editiones recenset Ebert, n. 495-501) et Vincentium Bellovacensem; fil. autem Heus. exemplari diligentia quinque codd. Guelpherbytanos, quorum 2, vel Gudianus 1, ceteris præstat, et scholiastam Guelph. in membranis, inter MSS extravagantes, n. 225, præterque edd. vett. in partes vocavit etiam Nonii Marcelli, multa exempla a Cicerone repetentis, et ed. Merceri et cod. Gudianum, n. XCVI, septingentorum circiter annorum atque alium juniorem Augustanum, n. LXXXV, 4, 3, adhibitis etiam compilatoribus illis, quos in Præf. t. I, p. X (nostræ ed. p. XXIV), memoravimus, Beda, cujus, Nonio fere quadringentis annis minoris, opp. prodierunt primum Paris.

1521, fol. Bas. 1544, fol. 1563, fol. rec. Col. 1688, fol. Joannis Sarisberiensis, apud Carnutes sæc. XII episcopi, Polycratico, cujus edd. (plerasque) indicat Ebert, n. 10816, seq. et Alberto ab Eyb, cujus, optimo Cic. libro usi, Margarita poetica Norimb. 1472, fol. Rom. 1475, fol. Basil. 1495, 1502, fol. et sæpius impressa est. In primis bene meritus est J. M. Heus. in interpretando, Frid. in textu constituendo. Idemque passim intexuit exquisitas obss. ad usum loquendi exemplis explicandum. In ed. min. Wolfenbuttelæ 1784, in-8, et edit. altera Brunsvigæ sumptu Reichardi 1820, pp. 483, in-8, ex rec. J. M. et J. F. Heusingg. patrui majoris et patris sui animadvv. scholar. usibus accommodavit Conr. Heusinger, ita quidem, ut, selectis animadvv. exegeticis, omiserit criticas. Additæ sunt tres tabulæ genealogicæ de gentibus Scipionum, Muciorum et Crassorum. Sed Conr. Heus. priore anno vita defunctus, in curanda ed. altera, jam ante XII hos annos fere tota typis exscripta, deinde post longum temporis intervallum absoluta, recentioribus aut edd. aut aliis subsidiis uti non potuit. Huic autem in priore parte maximam partem notarum, in posteriore pæne omnes debet ed. cum delectu commentariorum in juventutis gratiam, Lips. apud Græf. 1790, in-8, 1 thal.»

4° « M. T. Ciceronis de Officiis libri tres. Recensuit et scholiis Jac. Facciolati suisque animadversionibus instruxit Aug. Gotth. Gernhard. Lips. apud Gerh. Fleischerum jun. 1811, in-8 maj. pag. XXXII, 464, 2 thal. 4 gr.»

« Editio emendatissima, textu perite et caute constituto, quæ horum libb. lectionem expeditiorem reddidit studiumque adjuvit. Nam Cel. Gernh. non solum omnia, quibus Facciolatus hoc Ciceronis opus instruxerat, repetiit; sed, quæ hic sæpe brevius nulloque auctorum causarumque indicio animadvertisset, quantum ubique interesset, erudite et commode explevit aut castigavit: eaque, quæ cujusque loci natura ac sui instituti (cujus fines ipsius verbis in Præf. t. I, pag. XI (nostræ vero edit. p. XXV) descripsimus) ratio flagitare videretur, recto judicio usus, subjecit, modo adoptatæ lectionis probabilem rationem reddens, modo gra-

viores difficultates explicans. Conjecturas quamvis ingeniose sagaciterque excogitatas ampliori lectorum examini subjecit, paucis tantum, quæ veri specie blandirentur, in textum receptis. In Excursu grammatico anacolutha in his ll. subtiliter expedit (1). Denique, præterquam quod edd. vett. quasdam contulit et paucas Reizii emendationes ineditas inseruit, in calce apposuit omnem varietatem lectionis trium codd. non cum sua, sed cum Oliveti ed. collatorum, λ, qui II, p. 32, vs. 5, desinit, μ, et, qui aliquanto præstat, ψ collegii Balliolensis, depromptam illam ex edit. Oxon. e typogr. Clarendon, 1783, in-4, quæ Olivetum in omnibus fere, excepta interpunctione, sequitur. Vid. Ebert, n. 4278. Notavit illos codd. Christianus Dan. Beck, vir magnif. equesque illustris, in Cic. Opp. vol. II, pag. LXI et LXVI. Fuit autem Gernh. ne in sui quidem Facciolati lectionibus referendis satis fidus, ut I, 50, pag. 121, ubi falso refert, Facciolatum omisisse vv. « ejus autem vinculum est ». At ille retinuit v. « vinculum ». Alium errorem notavimus I, pag. 310, n. 2 extr. Neque accuratior fuit in ed. Lips. conferenda. »

5° « M. T. Ciceronis de Officiis libri tres ad probatissimorum quorumque exemplarium fidem emendati, et cum commentariis editi a Carolo Beiero, phil. prof. e. d. Lips. et Reg. Sax. Seminarii philologici sodali honorario. II tomi. (Accedunt Excursus 20, lectiones MS Bernensis, Index editionum et versionum locupletissimus. Desunt verborum Indices, qui tamen promissi fuerant.) Lipsiæ, sumptibus Steinackeri et Wagneri, 1820. »

IN LIBRUM DE SENECTUTE.

In libro de Senectute, haud secus ac in libris de Officiis, Gernhardi potissimum sequuti sumus edi-

(1) Quem Excursum, typographi errore Beiero falso tributum, lege infra, pag. XXX seqq.

tionem (1), in qua rursus occurrunt exscriptæ Facciolati notæ, ut titulus ipse monet; sed hic quoque debuimus multa, præsertim ad textus crisin pertinentia, auferre, ne hujus voluminis moles præter modum augeretur. Ut in superiori opere, consulto omisimus variarum lectionum collectionem editionis calci subjunctam, satis habentes illas quæ alicujus erant momenti textui inserere. Item rejecimus Gernhardi Prolegomena, quæ nihil aliud de dialogi argumento, de tempore et occasione quibus vulgatus fuit, continent, nisi quod Schützius in suo argumento a nobis servato brevius dixit. Ex Prolegomenis tantummodo hic exscribendos excerpimus nonnullos locos, in notis sparsos, quos ipse Gernhardus commemorat in suis ad librum de Amicitia Prolegomenis (p. 511 nostræ edit. not.), in quibus de personis a Cicerone inductis et de dialogi genere rerumque ordine disserit, nostrumque a cujusdam Richteri vituperationibus defendit.

« Non aptiorem sane Cicero personam adhibere potuit, cui quæ de Senectute sentiebat tribueret, quam eum, quo (pro Mur. cap. 31, 66) neminem existimat « commodiorem, communiorem, moderatiorem « fuisse ad omnem rationem humanitatis ». Hic postquam primam ætatem laboribus, sobrioque victu exercuerat, in foro, in senatu, in castris, domique

(1) Sic inscriptam : « M. T. Ciceronis Cato major, seu de Senectute, et Paradoxa recensuit, et scholiis Jacobi Facciolati suisque animadversionibus instruxit Aug. Gotth. Gernhard, ph. d. aa. ll. m. gymnasii Fribergensis rector, societatis latinæ Jenensis sodalis. Lipsiæ, apud Gerhardum Fleischerum jun. 1819 ».

pro suæ ætatis modo cujusvis virtutis et liberalis artis laude splenduit, summisque honoribus ornatus, e triumpho non in mollitiem, ac desidiosum otium delapsus est, sed, ut diutissime senex fuit, sic in senectute constantia, gravitàte, consilio, auctoritate, omnino sapientia præ ceteris floruit. Atque hæc tanta Catonis excellentia, in qua erat condita per comitatem et facilitatem severitas, in hoc ipso sermone Cicero effecit ut expromeretur, efflorescceretque senectutis imago admirabilis. Hujus viri, cui ad bene beateque vivendum nihil defuit, admiratio sermonis est causa justissima. Quamquam Ciceroni non tam illa Platoni et Xenophonti probata dialogi forma placuit, quæ, pæne æquatis loquentium partibus, interrogandi respondendique maxima varietate singula ea inquireret, et velut obstetricia arte expediret, quæ cognoscenda essent et quasi ex ignorantiæ tenebris in veritatis et scientiæ lucem proferenda. Sed quod alterum dialogi genus est, idemque Catonis sapientia dignissimum, Ciceroni adhibere visum est, ut qui propositam rem exploratam, perspectamque habet, quid sentiat cum uno vel pluribus sciendi eis quidem cupidis communicet. In quo per diverbium quæstionis propositæ opportunitas a Scipionis et Lælii ducitur admiratione, qua Catonem senem jam sæpe intuiti, nunc demum, quid sentiant, eloquuntur, causamque senectutis contra iniquiores adversariorum vituperationes defendendæ sensim sensimque aperiunt, simul senis vigorem et alacritatem commovent, ut denique sponte sua sententiam exponat, filumque sermonis

B.

ducat sic, ut non opus novis sit adolescentium interrogatiunculis. Quare Cicero in tribus rogationibus, c. 2 princip. tum eodem c. extr. denique medio c. 3, Lælium et Scipionem finxit acquiescere, deinceps reliqua, ut eorum verecundiam decebat, audire.

« Accedunt ad hujus sermonis elegantiam Catonis personæ eam quidem debitam duo quædam ornamenta : alterum a T. Pomp. Attici humanitate ductum, cui Cicero, adjuncta (§ 1) justissima viri laudatione, dicatum hunc librum de Senectute esse voluit; alterum hoc est, quod Q. Ennii memoriam hoc quoque libro recoluit, senemque Catonem, si non ipsum poetam fingere licuit, at Ennii tamen amore et sermone imbutum ostendit, ut sentiamus, quam conspiret brevissima hæc laus (§ 1): « Ille vir haud ma- « gna cum re, sed plenu' fidei », cum miranda illa Quintiliani voce, X, 1, 88 : « Ennium, sicut sacros « vetustate lucos, adoremus, in quibus grandia et an- « tiqua robora jam non tantam habent speciem, quan- « tam religionem ». (Proleg. p. XIII, not. 1.)

. . . .

« A liberiore sermonis familiaris initio profectus Cato non prolixiorem de senectute orationem promittit, sed tantum præbet, quantum Scipionis verba (§ 4) requirebant, ut stultitiam eorum, qui senectutem accusant, castiget. Tum ad Lælii postulationem inde a § 7 Salinatoris et Albini querelas de voluptatis et honoris defectione perstringit. Tertia demum vice, inde a § 8, aditus ad disputationis rationem aperitur sic, ut in Q. Fabii laudibus Cato diutius hæreat, de-

nique aliorum, in primis Ennii exemplo proposito, quod docet non miseram esse senectutem, omnes causas, cur tamen multis misera videatur, ordine quodam colligat, et quasi animo ad difficiliorem quæstionem composito, singulas continua oratione inde a cap. 6 refellat. In hac pleniore et explicatiore quæstione, dum tamquam de integro rem cognoscit, laxiore sermone relicto, viam præscriptam sequitur, quæ tamen familiaritatis minus curiosæ et ad rem attentæ suavitatem etiam e senis quadam loquacitate retinet. Accedit, quod Cato, dum quatuor istas vituperationes cognoscit, in altercationem quasi quamdam cum senectutis adversariis incidit, quos subinde ipse sibi fingit respondere, suam causam defendendo, vel novas querimonias interponendo: ut § 21, 33, 35, 47, 65, 68. Quæ contentio non potest nonnulla repetere, quæ inde a capite secundo usque ad quintum, data opportunitate, et ut subito in mentem venirent, dixerat; comp. § 5 cum § 71, et § 7, cum § 61 et 62, et al. Hæc si consideraveris, Guiliel. Richtero vix assentieris, qui in Dissert. *de laudandis et vituperandis in libro Ciceronis de Senectute*, Guben. 1805, p. 6, ut Ciceronem excuset, quod, exposita consilii sui ratione, non statim Catonem de quatuor istis causis disserentem fecerit, hæc ait : « Nam quæ cap. 2-5 « continentur, neque plane omitti, neque ipsi disputa- « tioni commode inseri poterant ». Quid? si omnem hanc disputationem strictioribus rhetorum finibus contineri, neque liberius sese movere voluisset, an non loco illi de senectutis auctoritate et studiis in-

nectere potuerit ea, quæ Lælius opponit § 8, aut Q. Fabii laudationem, § 10, ad primæ causæ refutationem, c. 6, transferre, vel etiam cum Appii Claudii exemplo, cap. 11, conjungere? Nihil profecto agunt, qui tali excusatione vel defensione egere putant præclara veterum scriptorum ingenia! » (Proleg. pag. xv, not. 3.)

Præterea præfationem, in qua Gernhardus sua in hunc librum de Senectute merita commendat, librosque tum scriptos tum impressos, quibus præcipue usus est, describit, servare nobis operæ pretium videbatur; quum vero Paradoxis, quæ una cum libro hoc de Senectute in eodem volumine Gernhardus edidit, jam præposuerimus istius præfationis partem qua continentur ea quæ simul ad duo illa opera spectant, aut quæ ad sola Paradoxa potius faciunt (1), hic ea tantummodo exscribemus quæ ad librum de Senectute pertinent:

«...Per liberalitatem Godofr. Henr. Schæferi, cujus etiam singularem curam in typis harum plagularum corrigendis gratissimo animo agnosco, uti mihi licuit novem codicum lectionibus ex Oxoniensi editione e typogr. Clarendon. de a. 1783 ductis, quorum notas ipsorum editorum verbis explicuit Chr. Dan. Beckius in præfat. ad Ciceronis opera, vol. II, pag. 53 seqq. Quorum codicum hi octo præter alios Cic. libros continent librum de Senectute, E, I, N, U, η, ο, υ, ψ. Iidem cum cod. σ, exceptis ο et υ, Paradoxa habent.

(1) Vide hujus Tullianorum Opp. partis vol. I, p. 459 seqq.

Antiquiores editorum Oxx. judicio videntur esse η (forsan annorum ccc), ο et σ circiter annorum D. Horum librorum omnium lectiones integras in fine editionis adjeci (1). In promptu erant etiam trium codd. MSS libri de Senect. lectiones, quas cum edit. Wetz. ab ipso collatas, et aliquoties notulis suis auctas, insigni liberalitate mecum communicavit M. Christ. Gottfr. Müller, Rector Scholæ Cizensis meritissimus. Hos libros in notis indicavi per A, B, C. Ad hos singulos describendos quæ Müllerus notavit, hæc sunt:

« Variæ lect. ex MSS, quod b. Jo. Chr. Theoph. Er« nesti possidebat in Cic. de Senectute ».

« A. « Supra versus posita sunt scholia, quorum « quædam addidi. Ceterum verba male distracta, e. g. « *d-igna*, etc. Scribit *aput* pro *apud*. Sine figuris in« terrogationum est scriptus, sine commate, sine « puncto: interdum duobus punctis est scriptus co« dex chartaceus in-4 minori ». In fine V. D. addidit: « Videtur scriptum hoc MS sæculo XV, vel etiam « XVI, ab initio. Nec additum, a quonam, et quo tem« pore sit scriptum. Est forma quadrata, et continet « xxxvi plagellas. Scatet compendiis scribendi. Scholia « et argumenta margini apposita alius videntur aucto« ris quam contextus esse. Interdum sunt notæ istæ « interlineares, minimi momenti; interdum sensum « adjuvant. Scholiastes sæpe significat in margine, ubi « Cicero ab hac re transeat ad aliam. Præposita est

(1) Nos illas integras servare non potuimus, sed eas textui inseruimus, quæ alicujus esse momenti videbantur.

« præfatio a librario, quæ exponit de Cicerone, elo- « quentiæ romanæ principe, de Attico, ad quem hunc « librum Cic. miserit, et de inscriptione libri : de « Senectute, seu Cato major. Concludit ita : *De titulo « satis dictum, ad expositionem progrediamur* ».

« B. « Alius codex MS membranaceus est, forma « fere octava, paullo majori tamen, ita, ut pæne vi- « deatur esse in quarto. Insunt puncta et signa in- « terrogationis. Ubique *nichil.* Ad initium scriptum « est : *Liber Conradi plebani de erkinrode :* qui vero « non librarius, sed possessor videtur fuisse hujus « codicis; nam est scriptus alia manu. Scholia hinc « illinc supra textum posita ab alio quam ab eo scri- « pta videntur, qui codicem exaravit. Litera *I* non « gaudet puncto *i.* Verba *O Tite... pretii* pæne tota « sunt deleta, ut vix una vel altera litera restet. « Schol. addidit ad *levasso*, desidero levare. Post hæc « verba deleta præmittitur aliud nomen vix conspi- « cuum : *Julius Desid.* (forsan *Desiderius*) ORO. Re- « liqua vetustate perierunt ». In fine V. D. addidit : « Videtur hic codex scriptus esse sæculo XIV, vel « XV, et plerumque cum textu vulgari convenit ».

« C. « Codex tertius in-8. Et hic codex membrana- « ceus sine scholiis, forma octava majori, erat in bibl. « b. Ernesti, uti duo superiores, et videtur esse anti- « quissimus. Initium est : scribitur *michi*, *nichil. In- « cipit Tullius de Senectute* ». In fine V. D. addidit : « Hoc MS continet XII plagellas, et conjunctum est « cum MS de Amicitia, quod eadem manu et eodem « tempore scriptum videtur. In Catalogo libb. b. Er-

« nesti, qui 1802, 1 dec. publice Lipsiæ divenditi sunt, « dicitur sæculo XI conscriptus codex : quod vix cre- « dibile est. Sæculo XIII, vel XIV, scriptus videtur. « Non habet multas lectiones, quæ discedant a vul- « gata : plerumque verba sunt transposita et ordo « verborum melior et numerosior. Ad finem : *Expli- « cit de Senectute.* Hinc adjuncta sunt nomina septem « sic dictorum sapientium Græciæ cum quibusdam « versibus, qui, quia mox excipit hunc librum de « Senectute liber de Amicitia, pertinent ad librum de « Amicitia, ubi ab initio statim mentio fit horum, « qui sapientes dicuntur ».

« Mülleri gratiæ illud etiam debeo, quod mihi Arnoldi Drakenborchii, in Acad. Traject. Professoris, dictatis in Ciceronem de Senectute de a. 1723 uti licuit. E quibus quæ videbantur ad hujus ed. causam aliquid afferre, adhibui. Nam non pauca, quæ fuerant auditoribus quidem utilissima, in commentario tamen typis illo quidem exarando prætermitti debebant ».

Sequitur in Gernhardi præfatione brevis notitia editionum tum veterum tum recentiorum libri de Senectute et Paradoxorum, quæ editori in manu fuerunt; quam lege in horum philosophic. opp. vol. I, p. 461.

IN LIBRUM DE AMICITIA.

Iidem Facciolatus et Gernhardus, qui jam de nobis tam sæpe bene meriti erant, hic quoque nobis maximam præstiterunt opem (1). Hoc vero in libro

(1) Gernhardi editionis titulus hic est : « M. T. Ciceronis Lælius, sive de Amicitia dialogus, recensuit et scholiis Jacobi Facciolati suisque animadver-

magis etiam quam in ullo cum prioribus editoribus severe agere et multa præcidere necesse fuit; solus enim hic commentarius integrum tomum nec exigui voluminis implebat; ipse etiam Gernhardus se fines excessisse sensit: «subinde (ut fatetur in præfatione), «non multum abfuit, quin vererer ne Lælium tam- «quam undarum mole opprimerem».

Quum in libri fronte (pag. 503 seqq.) exscripserimus Prolegomena, in quibus Gernhard. operis argumentum fuse et fideliter exponit, disseritque aptissime de arte et elegantia in Lælii sermone exprompta, nunc superest tantum, ut de manuscriptis impressisque libris qui in conficienda editione adhibiti sunt dicatur. Ipsum igitur de his loquentem audi in sua præfatione:

«De adjumentis, quibus in hoc Ciceronis libro edendo usus essem, ut paucis dicerem, nolui ea repetere, quæ de Grævii et de Oxoniensis editionis varia lectione in præfatione ad Catonis M. et Paradoxorum editionem exposueram, quum præsertim codicum Oxoniensium, qui decem sunt cum Oliveti editione comparati, varietatem lectionis pariter, atque in librorum de Officiis et in Catonis M. editione, extremo loco addidissem. Quæ vero præter illa ad libri hujus recensionem instituendam parata habuerim subsidia, fere hæc sunt.

«Collatio trium codd. membr. Ciceronis de Amicitia a M. Christoph. Godof. Müllero, cujus Rectoris

sionibus instruxit Aug. Gotth. Gernhard, phil. d. aa. ll. m. magniduc. Sax. Vimariensi consistorio a consiliis ill. gymnasii Guilielmo-Ernestini director, societatis latinæ Jenensis sodalis. Lipsiæ, ap. Gerhardum Fleischerum, 1825».

Scholæ Cizensis bene meriti haud exstincta memoria est, cum editione Wetzeliana mecum liberalitèr communicata. Horum codicum lectionem in notis indicavi per A, B, C. De quibus ea, quæ Müllerus scripsit, ipsius verbis exponam integra.

« Ad codicem A. « Codex membran. forma octava « Ciceronis de Amicitia, quem olim possedit Jo. Chri- « stoph. Theoph. Ernesti. Putatur esse sæculi XI, in « Catologo librorum Ernestianorum anno 1802 publice « Lipsiæ divenditorum, quod vix credibile est. Interim « hic est antiquus et uno volumine junctus cum MS « de Senectute; et eadem manu eodem tempore scri- « ptus. Continet plagulas XII $\frac{1}{2}$. Est eleganter scriptus, « et paucis tantum scripturæ compendiis. In Catalogo « libb. Ernestianorum dicitur cum cod. de Senectute « continere xxxv plagulas, quum tamen uterque modo « xxv plagg. complectatur. Litera *I* numquam puncto « *i* est notata : nec signum puncti et interrogationis « conspicitur. *Incipit Tullius de Amicitia* ».

« In fine Müllerus hæc scripsit : « *Explicit de Ami-* « *citia Tullius :* quæ verba ut et initialia colore rubro « sunt scripta. In pagina prima et extrema codici al- « lita sunt quædam ex N. T. ita tamen, ut vix unum « vel alterum verbum legi possit ».

« Ad cod. B. « Alter codex de Amicitia, in-8. Atque « hunc possedit b. Jo. Christ. Theoph. Ernesti et di- « venditus est publice 1802, Lipsiæ. Literæ initiales « pictæ sunt colore violaceo et rubro. Videtur sæculi « XV. Quæcumque pagina versibus non continuatis, « sed dissectis in duas partes (Columnen) scripta est:

« quod in reliquis codd. non est. Hinc illius scholia « quædam sunt superscripta. Non compendiis scriben-« di obscuratus est multis, et quæ habet, sunt facil-« lima intellectu. Videtur esse antiquior, quam ut in « Catalogo bibliothecæ Ernestianæ laudatur, qui sæ-« culo XV esse scriptum eum ostendit. Est haud dubie « XII, vel XIII sæculo scriptus. Litera *I* non puncto « est ornata. Male disjungit verba e. g. *m-andavi* pro « *man-davi. Incipit Tullius de Amicitia.* (Rubro colore « scripta hæc sunt). »

« Ad finem (hæc Müllerus extremo l. addidit) scriba « quædam subjunxit de Pomponio Attico, ad quem « hunc lib. Cicero miserat, et de causis, quare hunc « de amicitia et illum de senectute scripserit. Cete-« rum scriba semper sibi constat, sed ad finem in « capp. ultimis festinare videtur, et multa omittere. « Scriptus est codex hic, ut reliqui, non capitibus « distinctus; verum, ubi persona alia incipit loqui, « oratio interpellata est majori litera eaque picta rubro « v. violaceo colore. Super lit. *I* interdum manus « recentior, in primis, ubi duplex est, signavit : '''' « e. g. *socii, alii.* Verba sunt male disjuncta ad finem « versuum, e. g. *m-ulti; p-utamus ; m-agnus.* Manus « recentior quædam hinc illinc emendavit, interdum « quoque corrupit. Ceterum habet hic codex quas-« dam lectt. non incommodas, sed in nominibus pro-« priis corruptus est ».

« Ad cod. C. « Codex membranaceus de Amicitia « libri Ciceronis in-8, sed mutilus, nam desinit in « cap 14. Fuit Jo. Christ. Theoph. Ernesti et diven-

« ditus publice Lipsiæ 1802, post mortem b. posses-
« soris. Videtur esse sæculi XIV, vel XV.

« M. T. C. de Amicitia primus lib. incipit ».

« In fine Müllerus hæc scripsit :

« Cap. 14. « Hic desinit codex in primis verbis hujus « capitis, ut supra dixi, etc. cetera haud dubie perie- « runt. Hic codex plerumque convenit vulgatis edi- « tionibus, et haud dubie a monacho scriptus est, « nam sæpe additæ sunt regulæ vitæ monasticæ, e. g. « cap. 4, *mortuis jura :* hic superscripta sunt voc. « *eleemosynas et orationes*. Scriba vero hujus cod. « fuit longe alius, quam omnium reliquorum codd. « quos Ernesti possidebat. Videtur sæculo XV esse « scriptus. Litera *i* nullo puncto est signata ».

« Tum Viri Cel. Fr. Osanni liberalitas trium codicum collatorum lectionem mihi suppeditavit, duos Dresdenses (Dr. a. et Dr. b.), tertium Vimariensem (Vim.) De his codd. Vir D. hæc monuit.

« De cod. Dresd. a. « Ad finem cod. hujus papyr. « Dresd. hæc reperiuntur : M. T. Ciceronis de officiis. « paradoxa. de amicitia. de senectute. de somno Sci- « pionis. nec non de essentia mundi ac XII sapientum « epitaphiis [omnia hæc in codice continentur] libri « finiuntur, qui peroptime emendati impressi sunt Ve- « netiis ductu et expensis Jacobi Lunensis de Sunizano « in domo magistri Marci de comitibus MCCCCLXXVII. « Rescripti autem per me Bernhardum Laneck hoc « tempore in *Torgau* degentem anno 1482. Laus deo!

« Dresd. b. Ex cod. membr. fol. in bibl. Regia Dresd. « conservato, n. 113, C. plura Ciceronis aliorumque

« scripta minora complectente. De codice ipso conf. « *Gœtze Merkwürdigkeiten der Dresdner Bibliothek.*

« Vimar. cod. membr. init. sæc. XV, forma in-4 « min. bibl. Magn. Ducal. Vimariensis, collatus. Aversæ « folii, quod ultimo præcedit, paginæ adscriptum : « ISTE. LIBER. EST. VENERABILIS. CONVENTUS. « CASEDEI. Inest in eodem cod. liber de Senectute ».

« Denique Vir Ill. Fr. Jacobs, in quo est admirabilis quædam humanitas et cum gravitate comitas, lubentissime duos mihi codices qui in Duc. Bibliotheca Gothana asservantur, conferendos præbuit; qui codices, alter Goth. a., alter Goth. b. in notis appellantur.

« Goth. a. codex membr. oct. n. 48, unum librum Cic. de Amicitia continens. Inscriptus est : M. T. C. de Amicitia. In fine hujus libri, qui LIV plagg. continet, scriptum est : + 1470 : *Questo libro. Sichiama tulio damicitia ed. Giannozo digiovanni degli Strozzi cittadino fiorentino chi lotruoua lorenda.* — Reliqua erasa sunt. Hic illic in margine correctiones lectionis scriptæ sunt levioresque notæ ab alia manu. Versus finem aliquoties supra verba scripta ab alia manu nullius pretii scholia.

« Goth. b. Codex Bibliothecæ Gothanæ, n. 117, in-8, XXV plagg. cont. quarum postremæ scholiis, quæ sunt in priore parte in margine frequentia, carent. Scholia tribus paginis prim. interlinearia deinde marginalia pertinent pleraque ad complendam orationem verbis, quæ sponte intelliguntur; partim mutatis verbis repetunt sententiam ad argumentum significandum. Inscr. Tullius de Amicitia.

« Horum codicum Gothanorum uter is sit, cujus auctoritatem Ernesti in notis ad Cic. Lælium decies fere adhibet, certo cognoscere non potui. Quamquam cum nostri Goth. a. lectione plerumque consentit Ernestii cod. Goth. In neutro horum codd. reperi, c. 15, 53, *tum quum exsul esset, se*, etc. quod Ernesti MS Gothano tribuit; neque c. 17, 61, *assentationibus;* neque c. 21 extr. *permisceat;* neque c. 22, 82, *se colent inter se*, sed *colent se inter se* Goth. a. scriptum est; in Goth. b. *colent inter se*.

« Ad editiones quod attinet, conferre licuit editionem Lipsiensem de anno 1483, in cujus fine leguntur hæc : « Marci Tullii Ciceronis dialogus de amicitia « Lyptzgk impressus solerti cura emendatus fœliciter « explicit. Anno salutis 1483 ».

« Veneta ed. de anno 1487, impressa est Venet. fol. Vid. Præfat. ad Cat. p. ix. (Horum philosophic. opp. tom. I, pag. 461.)

« Ascensianam ed. dixi in notis de anno 1520, quoniam hunc annum ad Cat. M. notaveram, quamquam in altera pag. annus legitur MDXII.

« Lugdun. ed. 1556, cum Xysti Betuleii commentario, adjectis Des. Erasmi, P. Victorii, Petri Balduini et Omniboni adnotationibus. Lugd. 1556, in-4.

« M. Tullii Ciceronis de Officiis libri tres, Cato Major, Lælius, Paradoxa, Somnium Scipionis ex recensione Joannis Georgii Grævii. Cum ejusdem notis, ut et integris animadversionibus Dionysii Lambini, Fulvii Ursini, Caroli Langii, Francisci Fabritii Marcodurani, Aldi Manutii, nec non selectis aliorum. Amstelodami, 1688, in-8.

« Iidem Ciceronis libri ex recensione Jo. Georg. Grævii cum ejusdem animadversionibus. Amstel. 1691, in-8 min. Cui editioni præfixa est superioris editionis præfatio tantum non tota. In fine addita hæc sunt : « His quod addam non habeo, nisi annota-« tiones meas nonnullas me refinxisse, et novis qui-« busdam auxisse ».

Isaac. Verburgii Amstel. 1724, 8. — M. T. Ciceronis de Officiis libri tres, de Senectute, de Amicitia, de Somnio Scipionis et Paradoxa. Accedit Q. Fratris commentariolum petitionis. Ex recensione Jac. Facciolati. Venet. 1747, in-8, cujus Scholia in notis integra reddidi. — Ex recens. J. A. Ernestii. Hal. Sax. 1776, in-8. — M. Jo. Georgii Lenzii ex recens. J. G. Grævii. Accedit lectionis varietas codicis MS Erfurtensis, editionis ad primitias typographicas referendæ, Nicolai Gerbellii, Victorii, Gryphiorum, Langii, Suffridi Petri, Lambini, Camerarii, Ursini, Manutiorum, Plantini, Gruteri, Bœcleri, Gronovii, Guilielmii, etc. cum Ursini, Lambini, Suffr. Petri, Gruteri, Grævii, Langii, Gronovii, Ernestii, aliorumque doctissimorum virorum annotationibus ac notis selectioribus. Hildburghus. 1778, in-8. Caroli Langii Gandensis Canonici Leodensis in Ciceronem Annotationes, 1615, adjectæ And. Schotti Observationum humanarum libris V. Antverpiæ 1615, in-4 (1).

(1) Quibus annotationibus præmissa est epistola de Caroli Langii vita scriptisque ad Cl. Janum Gruterum, quam epistolam integram præfationi suæ adjecit Gernhardus, nos vero omittimus, tamquam ad hunc de Amicitia librum minime pertinentem.

AUG. GOTTH. GERNHARDI
PRÆFATIO.

Quæ Cicero, popularem Panætii rationem sequutus, de Officiis scripsit Marco filio, ea plurimi scholarum magistri juvenibus, quos et latinum sermonem temperatiorem cognoscere et severioris philosophiæ præceptis imbui vellent, legenda ac pæne ediscenda tradiderunt. Nec defuerunt, qui libros de Officiis librariorum inscitia et temeritate corruptos ad codicum fidem castigarent, et quæ in iis intellectu difficiliora essent, interpretatione illustrarent. In quo quum multi præclare versati sunt, tum nescio an palmam ferant Joannes Michael et Jacobus Fridericus Heusingeri, quibus in codicum magnam partem bonorum usu, cum egregia latinitatis omnisque antiquitatis scientia, et judicii subtilissimi acumine, tanta hujus operis emendandi et explicandi facultas fuit, ut quæ ab illis viris appellatur horum librorum recensio, quæ Conradi Heusingeri cura prodiit Brunsuigæ in Orphanotroph. an. 1785, superioribus longe præferenda sit. In maxima autem librorum veterum manuscriptorum copia, lectionisque inde ductæ varietate, quum ei, qui explorare locorum scripturam velit, multæ sæpe sint cautiones adhibendæ; quis miretur nunc meliorem unius paucorumve librorum rationem ab editoribus esse neglectam, nunc, qui aliorum errores vitare vellent, in contraria parte esse lapsos? Atque ut de quoque fere veterum scriptorum loco tantum non apertissimo non idem omnes sentiunt; superiorumque commentatorum judicia non omnino omnia comprobant; sic mihi hos libros persequenti ab Heusingeris aliisque interpretibus haud raro discedendum vi-

debatur. Quæ igitur ex accurata hujus operis tractatione ad propagatam lectionem emendandam, obscurioresque voces ac sententias illustrandas redundassent, ea colligere et cum iis, quæ jam in hoc genere constituta essent, comparare hoc etiam minus dubitavi, quum, qui ea, quæ Heusingeri post alios aut ipsi non recte judicaverant, aut aliis aperienda reliquerant, in nova editione adornanda recensuisset, equidem scirem neminem. Nam in Lipsiensi editione, quæ de anno 1790 cum delectu Commentariorum in juventutis gratiam apud Graphium prostat, tum in ea, quam F. G. Bornius an. 1799, indice instruxit, denique in Degenii editione Berol. an. 1800, textus emendandi aut nulla habita cura est, aut exigua; sed Heusingerianam recensionem sequuti isti editores grammaticam et historicam interpretationem adjuvare satis esse putaverunt. Vehementer autem errant, si qui illud exercitationis genus, quod in artis criticæ usu est, quod si ratione fit et moderate, ad judicii vim acuendam dicendique scientiam augendam confert plurimum, e scholastica disciplina putant exterminandum.

Quapropter quum in hoc commentario id agendum mihi esse existimarem, ut qui libros de Officiis acriori studio legerent, his commodissime ea suppeterent, quæ ad cujusque loci rationem explorandam pertinerent; propagata lectio denuo erat recognoscenda, eaque ubique constituenda, quæ a codicum auctoritate, sententiæ veritate, atque orationis virtute maxime commendaretur, videreturque scriptoris consilio dignissima. Cui instituto ita satisfaciendum putavi, ut audaciæ temeritatisque culpam fugerem, mallemque vulgatam lectionem retinere, quam ea quæ probabiliora essent, quum certissimo illo codicum præsidio carerent, in ejus loco ponere. Certe nisi si, codicibus, qui innotuissent, omnibus depravatis, facillima conjectura litem dirimeret, verumque sensum aperiret, hanc non ausus sum recipere.

Quæ autem ex quadam librorum veterum contentione jam superiorum interpretum opera essent stabilita, eorum plurima, si cujus forte interesset scire, cujus opera a quanta labe quæque essent liberata, indicavi. Neque tamen omnia par erat recoqui, quæ quum alii, tum Heusingeri monuissent; sed quæ leviora essent, aut jam dudum explorata et quasi omnium consensu confirmata, satius videbatur prætermittere, eorumque studiis relinquere, qui quum omnia denuo ipsi perscrutari volunt, a præstantissimarum certe editionum conferendarum labore ne cupiunt quidem liberari. Quamquam in hoc genere difficillimum est modum ubique servare, eumque locorum lectionumque delectum facere, qui peritissimo cuique probari possit. Nec vero sic sunt editiones, quæ juvenum erudiendorum causa adornantur, utilissimæ, si quæcumque ab idonei interpretis ore exspectantur, vel etiam pueris notissima, typis impressa suppeditant; sed multa sunt scholasticæ disciplinæ relinquenda, alia paucis attingenda, ut et intelligenti satisfiat, et juvenum judicio expediendo subigendoque suggeratur materia, in qua veri et pulchri sensum expromant, priscique sermonis rationes ipsi cognoscant et discernant.

Quas Jacobi Facciolati horum librorum editio, quæ inscribitur « M. T. Ciceronis de Officiis libri tres, de Senectute, de Amicitia, de Somnio Scipionis et Paradoxa. Accedit Q. Fratris commentariolum petitionis. Ex recensione Jacobi Facciolati. Venetiis 1747, ex typograph. Jo. Bapt. Albritii Hieronymi (1) », continet breves et suavissimas partim ex historia, partim e philosophia ductas animadversiones, quoniam is liber antiqui cujusdam codicis lectiones suppeditat idemque rarissimus est, integras recepi, ne iis quidem omissis, quæ in textu a nostra ratione recederent, præsertim quum Josephum Olivetum tertiæ Cic. operum editioni, tom. III, Genevæ an. 1758, nec integram Jac.

(1) Priorem edit. protulerat, sine suo nomine, Patav. 1720. Ed.

Facciolati adnotationem adjunxisse, nec probabilem notarum delectum fecisse, alienasque notas parum distinctas interposuisse vidissem, Jo. Mich. Heusingerum autem Facciolati editione non nisi sic usum esse, ut variam lectionem et correctiones a Facciolato indicatas fere omnes adnotaret (prætermissa enim quædam sunt, ut lib. I, cap. 8 extr. c. 10, § 4; c. 20, § 11; c. 27, § 2, et al.), reliqua vero omitteret. Nec ingratum me iis, qui hoc literarum genus colerent, facturum putavi, si quæ Facciolatus sæpe brevius, nulloque auctorum causarumve indicio animadvertisset, quantum ubique interesset, explerem, eaque, quæ cujusque loci natura ac nostri instituti ratio flagitaret, subjicerem. Accedit quod, quum Facciolatus quæ sentiret nonnulla parcius explicuisset, ab Heusingeris plerisque in locis audacior habitus est, ejusque correctio repudiata. Viri Itali enim opera in primis in sententiarum ordine explorando et castigando versata est. In quo quum Ciceronis sermonem remissiorem ad severiorem disputandi rationem judicaret; accidit, ut aliquot locos pro spuriis haberet, qui aut excusari, aut defendi debebant. Hujus generis sunt maxime in primo libro quidam epilogi, qui præceptorum superiorum seriem in angustiorem formam contrahunt, aut tamquam prætermissa, clausularum instar, explent. Ut lib. I, cap. 26 extr. c. 39 extr. c. 45, § 160 et al. Sed idem tamen alia bene vidit esse spuria, in quibus sunt duo loci lib. I, c. 17, § 54. Et ne eorum, quibus vir egregius hoc Ciceronis opus instruxisset, quidpiam desideraretur, et præfationem ejus elegantissimam præmisi, et argumenta capitibus, quibus rerum ordinem distingueret, suum cuique præfixa collegi, atque in cujusque libri fronte posui, idque obsequutus Godofredi Henrici Schæferi auctoritati, cujus singulari gratia et Venetæ Facciolati editionis copia facta mihi est, et pretiosissimæ editionis Oxoniensis. Atque hæc quidem, quæ inscribitur: « M. Tullii Ciceronis opera cum indicibus et variis lectionibus. Oxonii e typogr. Clarendon,

1783, X vol. in-4 ». Olivetum in omnibus fere, excepta interpunctione, fideliter sequitur. Brevem ejus præfationem, qua quid præstitum fuerit, declaratur, vide in Christiani Danielis Beckii præfatione ad Ciceronis opera, vol. II, Lipsiæ sumptu Schwickerti, 1800, pag. 51 et seq.

Ac trium quidem codicum libros de Officiis continentium ex editione Oxoniensi ductam lectionem, quæ plerisque nondum innotuisset, neque a quopiam in his libris edendis adhibita esset, non satis habui in contentionem quamdam admittere; sed omnem istorum librorum MSS varietatem addidi integram (1), ut in promptu essent, si quid viderentur etiam eæ scripturæ, quas ut leviores in notis prætermisissem, ad horum librorum correctionem afferre utilitatis. Nec pauci fuerunt loci, in quibus aut optimorum Guelpherbytanorum, Palatinorum, Græavianorum codicum lectio Oxoniensium librorum MSS consensu confirmaretur, aut nova ex illis repeteretur : ut lib. I, c. 27, § 94, ex uno codice ψ restitui « quid sit verum ». Idem liber ibid. c. 7, § 29, veram lectionem tuetur « quæ in terra gignuntur », quam Heusingerus recipere debebat ex uno Guelpherbytano 1. Quamquam in editione Oxon. nulla fere indicata est varietas, quæ ad verborum ordinem constituendum pertineret : in quo genere accuratissimus fuit Jac. Fr. Heusingerus. Sunt autem tres illi codices iidem, quos descripsit Chr. Dan. Beckius, l. l. p. 61 et 66 : « λ. R. 28. Ciceronis de Off. lib. I et secundi pars. Desinit his verbis (p. 230, l. 18; lib. II, c. 4), « Quibus rebus exculta hominum vita ». Codex membran. 4° scriptus forsan ante annos 550 ». — « μ. R. 73. Ciceronis de Off. libri tres. Desunt quædam libri tertii; desinit (p. 280, l. 4; lib. III, c. 23), « sitne boni viri ». Codex membran. 12° accurate scriptus, atque annorum fortasse 600 ». — « 1. B. Codex

(1) In calce voluminis. Eas autem nos omisimus tamquam levioris momenti. Ed.

MS in Bibliotheca Collegii Balliolensis Oxoniæ ex quinque constat voluminibus in folio, et continet multo majorem partem Ciceronis operum cum quibusdam, quæ supposita habentur. Hicce codex est membranaceus, pulcherrime descriptus, et plurium scriptorum manus exhibet, quæ omnes lectu sunt facillimæ. Non autem omnino injuria vacat. Nam in paucis locis paginæ totæ desiderantur, et complures turpiter mutilatæ sunt, literis initialibus operum aliquorum inauratis, cum marginibus earum splendidis excisis ». — Pergit Vir Illustris l. l. p. 67 sic : « Volumen quarum continet tres libros de Officiis, de Amicitia », et al. — « Deest hujus voluminis principium ». Sed ut horum codicum fructus esset uberior, Oliveti auctoritatem sæpius, quam Heusingerus, adhibui, non tam sua causa, quam ut posset ab iis, quibus editio ejus non in promptu esset, facilius judicari, quam consentirent cum nostra editione tres illi libri, quippe qui, ubi Oliveto suffragarentur, non essent in indice nominati.

Præterea, Aug. Seidlero intercedente, librum nactus eram impressum eumque satis vetustum, quem quum, typographi, loci et anni indicio deficiente, viderem in plerisque cum editionibus veteribus Lipsiensibus, quibus anno 1507 et 1513 impressis Jac. Fr. Heusingerus usus esset, consentire, eumdemque cum illis fontem habere suspicarer; non erat, ut ubique eum commemorarem, sed, ubi videretur, appellavi *incertum b.* altero libro incerto Heusingeri (*incert. a.*) opposito. Postea me Seidlerus amicissimus per literas docuit, impressum illum librum esse auctore Martino Landsbergio Herbipolensi, qui vulgo Martinus Herbipolensis appellatur, intra spatium annorum 1492 et 1522, eamque videri esse Lipsiensium editionum primam quum propter anni omissionem, tum quod hæc editio plura verba haberet inscripta, quam ejusdem typographi reliquæ : « Marci Tullii Ciceronis consulis romani at oratorum maximi ad Marcum Ciceronem filium suum. Officium liber

incipit ». In promptu fuit etiam editio quædam Ascensiana : « Opera Ciceronis philosophica. Lutetiæ Parisiorum apud Jodocum Badium Ascensium, ann. 1521, fol. » quam quum cognovissem a reliquis libris impressis vett. non raro discedere, cum melioribus autem libris scriptis consentire, non minus diligenter comparavi, quam Lugdunensem editionem, Petri Balduini cura castigatam, quæ sic inscripta est: « M. T. Cic. de Offic. libri III, Commentariis Erasmi Roter. Ph. Melanchth. V. Amerbach. et Franc. Maturant. tum Disquisitt. Cælii Calcagn. illustrati. Ejusdem de Senectute, etc. Omnia jam recens sedulo castigata et copiosissimo rerum atque verborum indice locupletata. Lugduni apud Theobaldum Pagan. 1556, in-4° ». In fine adjectæ sunt « Annotationes Petri Balduini in Cic. de Off. » Is consilii sui rationem aperiens se dicit nactum esse exemplaria aliquot manu non imperite descripta : præter cetera autem unum antiquitatis admirandæ, quod quoniam fidelissimum visum sit, bona ex parte expresserit, ita tamen, ut, ubi lectio vulgata non aspernanda videri posset, eam quoque exhiberet, quum ea, quæ exstaret in aliis quibusdam exemplaribus, efformatis quidem illis, sed quorum unum emissum esset ante annos 68, alterum anno abhinc quinquagesimo octavo : quæ minus degenerasse putaverit a germana sinceraque lectione, quam quæ postea præcipitantia typographorum extruserit. In quo illud dolendum est, quod non in pluribus locis Balduinus, quid egregius ille liber tueretur, indicavit. Heusingeri, si quando illum Balduini codicem commemorant, sequuntur Grævium, qui sæpe vetusti hujus codicis lectionem adhibet. Quamquam Grævius nonnulla prætermisit : plura etiam Heusingeri : ut lib. I, cap. 15, pr. cap. 16, § 8; cap. 31, § 8 et al. Permulta autem equidem animadverti a P. Balduino, nescio an ex præclaro illo libro, occupata, quæ Heusingerus demum e suis libris MSS restituisset, quum essent reliquæ editiones veteres et recentiores depravatæ.

Sed etiam post J. A. Ernestium et Heusingerianam re-

censionem non pauca ad horum librorum castigationem atque interpretationem denuo instituendam accesserunt subsidia. Ut prætercam, quæ passim a viris doctis de his Ciceronis libris animadversa sunt, in primis commemoranda sunt, quæ Daniel Wyttenbachius in Bibliotheca critica Amstelod. vol. I, part. 3, ann. 1778, p. 22-31, in Ernestianæ editionis censura, ibidemque vol. II, part. 8, p. 52-84, quinque annis post de Heusingeriana præclare monuit, additis tribus codicibus. Neque negligenda fuerunt Joh. Christoph. Gottleberi novem specimina Animadversionum ad libros Officiorum Ciceronis. Misenæ ann. 1780, et quatuor annis seqq. Tum per insignem Godofredi Hermanni liberalitatem expromere licuit ea, quæ de quibusdam locis Frid. Volg. Reizius in editionis Ernestianæ margine notaverat. Eadem jam pridem descripta, et notas sua manu exaratas mecum communicavit amicissimus Car. Gottl. Aug. Erfurdtius. Ad hæc addenda est Jo. Jac. Hottingeri Annotatio philologico-critica in calce vol. II versionis germanicæ librorum de Officiis. Turici ann. 1800.

Ceterum qui in his Ciceronis libris edendis doctrinæ quærant uberiorem explicationem, quum huic parti Heusingeri parum consuluerint, neque J. Facciolatus satisfecerit, ii, quod sentio quam multa etiamnum desideraturi sint, meminerint consilii, quod Dan. Wyttenbachius dudum cepit, cujusque ante septem et viginti annos l. l. vol. II, part. 8, pag. 55, scribit se minime pœnitere, edendorum quidem aliquando horum librorum ad eam rationem, ut emendatæ lectioni superstruatur doctrinæ interpretatio accuratior, ducta e fontibus veterum philosophorum quum universorum, tum eorum, quos Cicero sequutus sit, Stoicorum, in primis Panætii, Hecatonis, Posidonii, ac similium. Atque nunc quasi quædam spes etiam major videtur effloruisse, fore, ut in Belgio prodeant hi Ciceronis libri de Officiis viri philosophiæ veteris peritissimi cura et emendati et illustrati. Deinde illud etiam animadvertendum est, quæ ad

scriptoris philosophiam doctrinamque illustrandam pertineant, non omnia continuo in quovis commentario explicanda esse; sed alia non nisi leviter attingi possunt, alia ad diligentioris lectoris, vel doctoris, judicium, aut ad eos libros, qui veterum philosophorum placita persequuntur, vel morum doctrinam omnem aperiunt, transmittenda sunt.

Quamquam in eo genere instituendæ variæ quæstiones sunt, ac sententiarum, decretorum et præceptorum veritas exploranda, videndumque, quo jure auctor et quam naturæ convenienter quæque senserit, statuerit, judicaverit: ut, omnisne quatuor illis, quas posuit, partibus honestas contineatur: an virtutis cujusque sufficiens sit definitio, et quæ sunt generis ejusdem. De quibus et longa est disputatio et quæ sit in tanta disciplinarum, quæ officia tradiderunt, diversitate, nisi totius hujus loci ratio altius repetatur, non ita multorum comprobationem habitura. Verum etiamsi Ciceroni Stoicorum præcepta, Academiæque probabilia consectantis licentiam concesseris; nescio tamen an sententiarum constantiam, partiumque explicandarum æquabilitatem hic illic desideraturus sis, alia quidem sentiens omissa, alia minus distincta, brevius alia, alia multis exposita. In quo satis sit semel monuisse et temporis miseriæ, qua se Cicero, ut ad philosophiæ studium reverteretur, impulsum esse dicit (lib. II, cap. 1 et 2) et Marci filii, ad quem scripsit, ætati, suæque auctoritati ipsum scribendi consilium esse accommodatum. Itaque ne quis miretur ea officia, quæ tum videbantur a plerisque negligi, quum unus omnia licere sibi putaret, uberius explicari, ejusque generis vitia notari acerbius, tum eas virtutes maxime commendari, quas qui tueretur, vir fortis isque evaderet, cujus opera potissimum esset ad rempublicam conservandam necessaria. Huc igitur revocanda est ejus loci brevitas, in quo sapientiæ ac prudentiæ munus cernitur, veri dico indagationem, quippe quæ ab agendo negotiisque reipubli-

cæ animum abducat. Contra de gloria, cujus studio erat juvenilis animus incendendus, in libro secundo plura disputavit, eorumque qui dominatum appetiissent, novarumque rerum studiosi fuissent, Gracchorum, Sullæ, J. Cæsaris sæpius et severius perstrinxit turpitudinem.

In eodem scribendi consilio justam equidem dialogicæ formæ, quam reliqui Ciceronis libri philosophici præ se ferunt, in hac Officiorum doctrina repudiandæ causam fuisse putaverim. Scribere enim statuerat ad Marcum filium, quod et ætati illius esset aptissimum, et auctoritati suæ. Itaque non tam quæstionem de officiis instituere voluit, quam vitæ conformandæ præcepta filio tradere, neque philosophorum diversas sententias comparare, sed quæ ipsi probabilia viderentur, aperire sic, ut popularem et ab altercando alienam perspicuitatem atque elegantiam Panætii sequeretur, cui ad quietum disputandi genus, rerumque tradendarum amplitudinem dialogi forma minus visa esset convenire. Hoc etiam idcirco monendum putavi, quod Frid. Liebg. Becherus, Observatt. critt. Lipsiæ apud Barthium, ann. 1808, p. 48, judicat, propterea dialogicam formam in his libris non placuisse, quod dialogi elegantia quum ab omni Stoicorum severitate et siccitate, tum a Panætii, quem Cicero sequutus sit, libris de Officiis aliena esset. At multum hæc Ciceronis disputatio, nec minus quam Panætii, a Stoicorum locos hujus generis tractandi ratione discrepat: splendet enim illa copia, ubertate, perspicuitate, atque elegantia, longeque pauciora sunt ex mediis Stoicorum spinis deprompta, quam in illis reconditioris doctrinæ Quæstionibus Academicis, Tusculanis et in libris de Finibus. Ita etiam facilius judicabitur, quam recte ante Becherum Schellius in libro, quem inscripsit *Welche alte klassische Autoren soll man auf Schulen lesen? Leipzig*, 1804, vol. I, p. 425, de his Ciceronis libris statuerit, argumenti ubertatem et copiam fuisse majorem, quam cui cum brevitate accommodari posset forma dialogica.

Restat, ut librorum de Officiis argumentum describamus. Quod quum ad J. Facciolati institutum fecimus, ut capitum ab ipso constitutorum argumenta congereremus; tres illos libros sic persequi visum est, ut, quid in omni hac disputatione ejusque partitione potissimum tenendum esset, aperiremus. Panætii quidem de officiis disputatio a triplici profecta erat consilii capiendi deliberatione. Quibus deliberandi generibus quamquam duo a Panætio prætermissa genera Cicero addidit, ad duo tamen illa quinque genera revocat, ad *honestatem* et ad *utilitatem*. Et primum quidem honestatem persequitur, quum deliberari soleat non solum, utrum honestum an turpe sit, sed etiam, duobus propositis honestis, utrum honestius: tum secundo libro pari ratione de utili: denique tertius liber honestum cum utili comparat.

Ratio, ad quam natura omnem vitam regi voluit, hominem ducit ad honestatem: eademque jubet vitæ quamdam commoditatem comparari. Ita exsistit officiorum genus duplex. Atque honestas quidem continetur duobus, quæ ratio in homine efficit, studiis, cognoscendi altero, altero agendi. Quibus naturæ principiis quod suum cuique propositum est eadem ratio præcipit ut homo consequatur, contrarium fugiat. Hinc quatuor virtutum divisio. Rerum igitur cognoscendarum studium, quæ est sapientia et prudentia, simplex est in eo, ut, errorem fugiens, id quod in quaque re verum est, videas. Quæ autem rationis vis ad actionem impellit, huic e triplici impedimento triplex munus nascitur: primum, ut animus rebus externis casibusque humanis non perturbetur, sed ad magnas res subeundas promptus fiat et paratus fortitudine. Secundum est in moderatione et temperantia, quæ cohibendis cupiditatibus temeritatem fugit, tueturque rationis imperium. Tertium attingit eos, quibuscum aliquo societatis vinculo conjunctus es, ne cuiquam sine causa obsis, ut omnibus pro facultate prosis: ex quo exsistit justitiæ virtus et huic adjuncta liberalitas. Sed quoniam homo natura humano generi conjun-

ctus est, ejusque consociationis multa sunt, alia aliis arctiora, vincula; illa « honestatis officia ad summum humanæ societatis tuendæ juvandæque consilium revocanda sunt », ut ita virtutes appellentur, si complectuntur eos, quibuscum societate conjunctus es. Id quum justitia per se consequatur, fit ut hæc virtus omnium princeps sit. Reliquæ autem honestatis partes, prudentia, fortitudo ac temperantia, quæ in se ipsis vertuntur et per se quidem videntur minus pertinere ad hominum societatem, eodem referendæ sunt. Itaque ut res honestas et utiles cogitare agendique viam prospicere prudentiæ munus est; sic fortitudo, ne feritas fiat, patriæ, amicorum et necessariorum commoda defendet: temperantia autem cavebit, ne pulchri honestique sensum aliorum offendat, et ita mores fingendos putabit, ut reliquorum habeat comprobationem.

Sed quoniam in posteriore officiorum genere accedit etiam jucunditatis species; utilitatis officia rationis præceptis secundo libro sic constituuntur, ut, quoniam homines hominibus plurimum prosint et obsint, ad earum rationum descriptionem revocentur, quibus hanc facultatem assequi possimus, « ut hominum studia ad amplificationem nostrarum rerum parata excitemus, ac teneamus ». Id quidem cujusque virtute fieri docuit, iisque rebus, quæ cum virtute conjunctæ sunt. Rerum autem utilium cum utilibus comparationem paucis, ut par erat, absolvit.

Quæ autem in tertio libro propterea, quod homines in deliberando solent dubitare, quale sit id de quo considerent, honesti et utilis contentio instituitur; hæc lis omnis ita dirimitur, ut, quum non vera utilitas cum honestate pugnet, sed ea quæ videatur utilitas, « nihil putetur utile, quod non sit idem honestum », id est, victum et cultum comparare ita utile esse, si fiat nulla aliorum hominum injuria. Alterum hoc est : « quidquid honestum, id utile ». Utile enim quod est, oportet idem esse bonum : solum au-

tem bonum honestum est: ergo quod honestum est, idem est utile. Scripsi Numburgi kal. novembr. 1810.

Pauca huic præfationi addemus de tempore et causis horum de Officiis librorum, quæ suppeditabit Frid. Gottl. Born. «Hos de Officiis libros Cicero pater ann. U. C. 710, coss. Caio Fabio Pansa et Ant. Hirtio, misit ad Tullium filium, Athenis tunc commorantem tum eloquentiæ, tum potissimum philosophiæ discendæ causa. Natus autem Tullius filius erat ann. U. C. 689, coss. L. Jul. Cæsare et Caio Marco Figulo; cf. ad Att. I, 2. Puer decennis traditus est erudiendus Dionysio, Attici liberto; ad Att. IV, 15: annos natus sedecim ann. U. C. 704, coss. C. Claud. Marcello et L. Corn. Lentulo togam virilem accepit Arpini; ad Att. IX, 18. Adolescens eodem anno patrem sequutus est in Græciam, a Pompeio alæ alteri præfectus; de Offic. II, 13. Ann. U. C. 709, a patre missus Athenas, ut eloquentiæ et philosophiæ operam navaret. In philosophia usus est magistro Cratippo, tum temporis Peripateticorum principi; ad Div. XVI, 21. Cassio duce declamavit græce et Bruttio latine. Adiit etiam Gorgiam rhetorem, qui vero hominem amore lasciviæ et compotationum imbuit. Plutarch. in Cic. Inde illum admonitu patris, qui eam rem compererat, paullo post dimisit; ad Div. XVI, 21.

« Atque ob hanc ipsam causam, ut filium scilicet in viam reduceret et a corruptione servaret, Cicero videtur hos de Officiis libros ad eum conscripsisse. Quos quidem ann. U. C. 709 componere instituit in peregrinatione, ad Att. XV, 8: eodem anno eos absolvit, ad Att. XVI, 11, annoque post ad filium misit, post kalendas apriles, ad Att. XV, 15.

« Sed sequutus est in his libris decreta Stoicorum, Panætii maxime Stoicorum ea ætate principis. In libris primis duobus pleraque hausit ex fontibus; in tertio vero libro persequutus est vestigia Posidonii, Panætii discipuli ».

CAROLUS BEIER
LECTORI BENEVOLO S. P.

Verecundatus diu sum studiorum meorum qualiumcumque documentum aliquod examini eruditorum atque judicio subjicere : quum memorabile quiddam nec institui posset, nisi præparato otio, nec exiguo tempore absolvi. Adhuc autem difficilior fortuna otio meo ad aliorum arbitrium abusa est. Alias enim vix umquam hanc commentandi viam rationemque tentassem; sed in philosophia potius majori cum fructu elaborarem. Nondum tamen desperavimus, fore, ut hæc ipsa fortuna mortalis ab immortali natura superetur. Jam vero fato, nescio quo, in lucem protrudere coactus sum immaturum fetum tumultuariæ opellæ, prius publice promissum, quam inchoatus esset. Exeunte enim æstate superiori bibliopolæ honestissimi mihi obtulerunt conditionem curandæ novæ editionis librorum de Officiis, sed ita, ut sine mora prelo traderentur, quum Heusingerorum editio utraque tunc quidem in librariis frustra quæreretur. Ego vero quum numquam antea ad hos libros intentiori cura tractandos animum applicassem, temeritatis crimen veritus, tamen deesse nolui virorum industriorum de his literis, quantum in ipsis esset, bene merendi studio eo magis laudabili, quum antiquitatis classicæ monumentorum editiones numquam nimis multæ prodire possint. Perfecto quidem editoris officio ut fungerer, nisi denegasset facultatis modulus, certe propter temporis angustias, quibus etiam impeditus sum, quo minus novum apparatum criticum colligerem, ea spes ne inchoari quidem

potuit. Ab hac igitur arrogantia alienus, medium officium sequutus, auctore nostro, ne incognitis rebus temere assentiamur, et tempus et diligentiam adhibendam, præcipiente, quantum temporis defuit, tantum diligentiæ addidi, et, typotheta quot diebus singulas non plagulas, sed paginas efflagitante, tamquam in aliquod pistrinum detrusus tantaque mole molestiarum pressus, numquam tamen remisi curam observationum dote sic hanc editionem instruendi, ut ipsa adventum suum in lucem publicam quodam modo excusare posse videretur. Opus operosum si ex sententia successerit, bene erit opera posita; sin minus, aggrediemur alia. Judicium sit penes arbitros harum rerum peritos : quod omni, qua par est, reverentia accipiemus, sed, nobis æquum fore, speramus, si propter consilia quædam calidiora aliquarumve annotatiuncularum, quæ non æque omnibus necessariæ videbuntur, farraginem non ea ipsa, quæ forte bonæ frugis reperiantur inter viliora, fastidiosiores spreverint, ut fere ii solent, « qui omnia se simulant scire, nec quidquam sciunt ».

Quod si in exemplis colligendis passim ambitiosior fuisse videar, hoc intelligendum puto, quædam ejus modi esse, ut rite dijudicari non queant, nisi ex synopsi : ut ea, quæ de verbi substantivi positu atque ellipsi passim observavimus : de quibus ipsis alios secus, nescio tamen, quam vere, statuentes quum viderem; verborum transponendorum temperantior fui, nec quidquam mutavi, nisi favente aut codicum auctoritate, aut exemplorum consimilium caterva. In orthographia et interpunctione maxime constantiam servandam duximus. Sic nonnullis placuit § 1, forma *faciundum*, et 19, *a rebus gerundis :* quum iidem boni editores servarint § 12 extr. II, 40 pr. *ad rem gerendam*, et III, § 6 pr. *faciendum*. Nos ubique usitatiorem formam retinuimus cum Gernhardo; antiquiorem tamen in formulis solemnibus præferendam censemus. Contra ubique recepimus contractam genitivi in—*i* formam : quæ servata est II, § 57 extr.

in ed. Græv. *Appi* et in Guelpherb. 1, 5, ed. Veneta 1498, Lipss. atque Anemœcii ibid. *Pompei*, III, 58 extr. in ead. Ven. et in Guelph. 1, *Pythi*, et 62 pr. in eod. et in Nonii s. v. *Indicare* cod. Guelpherb. *Publi.* Vid. Ric. Bentl. ad Terent. Andr. II, 1, 20; Heindorf. ad N. D. II, 3, 9 pr. 8, 22 extr. et quæ de accusativis pluralis numeri in—*is* monuimus, p. 205 sq. Singularum autem lectionum et striblignum steriles avenas ventilandi labor, præsertim in Cicerone, cujus Minervium et scribæ et superioris ætatis editores in Augiæ stabulum mutare certarunt, res videtur tædii et nauseæ plenissima, ingrata certe plerisque lectoribus. Nam qui tali apparatu utuntur, ut emendationem tentent ipsi, his fere optimæ quæque editiones præsto sunt. Itaque lectionis varietatem ex his non repetii, nisi ubi aut proximi editores in ea indicanda fidem fefellissent, aut disputare de lectione placeret propter VV. DD. qui proxime ante in his libris perpoliendis elaborarant, dissensionem. Interdum tacito ad Heusingeros redii, sicubi horum successores apertum errorem magis incuria quadam, quam consulto, propagassent. De quibus autem ab his, qui maxima valere censentur auctoritate, triumviris Heusingero, Gernhardo, Schützio recedere, quam in consentientium judicio acquiescere, malui : semper rationem, cur id facerem, reddidi maximamque adhibui religionem in plena lectionis varietate indicanda : in quo eadem, quibus superiores usi sunt, retinuimus codicum MSS signa, *Palat(inorum)* 1 et 2 (apud Gruterum), *Ox(oniensium* ap. Thomam Cockman), *Græv(ianorum)* 1 et 2, *Cur(iensis)*, *Goth(ani)*, *Vin(ariensis)* et *Gu (elpherbytanorum)* 5 ap. Heusingeros, λ, μ, ψ, ap. *Gernh(ardum)* ex ed. Oxoniensi an. 1783, in-4, itemque *exc(erptorum) Pith(œi)* in margine editionis *Gryph(ianæ)* 1550, et Argentoratensis Lambini adscripta, quibus usus est Jos. Ge. Grævius, tum *Nonii (Marcelli)*, *Bedæ (Venerabilis* in Opp. ed. Colon. Agripp. 1612, tom. II, ubi inscribuntur *Sententiæ ex Cicerone)*, *Joannis Sarisberiensis* in

Policratico, *Vincentii Bellovacensis* in *Speculo historiali*, Alberti *de Eyb* (in *Margarita poetica* Basil. 1495), necnon *ed(itionum) vet(erum) Magont(iacensis* 1465, per Fustium ac Schefferum*) Ven(etarum)*, *inc(ertæ) s(ine) l(oco) et a(nno)* aliarumque ap. *Heus(ingeros)*. Reliquæ notæ nullam habebunt difficultatem.

Sed ut consuleretur Philo-Tulliis quam plurimis, studuimus editionem hanc utilem reddere partim usui magistrorum scholasticorum, qui, multis iisque molestissimis negotiis districti, non repudiabunt rerum conspectum notabilium, in quibus eligendis corrigendisque suum sequantur judicium et arbitrium, partim privatis discentium studiis, qui et utilissimorum librorum, a nobis laudatorum, accipient notitiam et in dubiis rationum momentis ab utraque parte ponderandis cotem habebunt, in qua ingenii subtilitatem acuant.

Itaque, quum majorum gentium philologi, ipsi sua ambrosia delectati, secundarias interpretandi partes fere agrestioribus Musis relinquant: ego quidem, mihi in his ipsis subsistere honestum fore, ratus, præcipuam rationem habendam duxi tum verborum explicandorum, tum rerum enarrandarum, præsertim quum Gernh. nostræ memoriæ laudatissimus horum librorum editor, in Præfat. sup. p. xvi, scripsisset: « Qui in his Ciceronis libris edendis doctrinæ quærant uberiorem explicationem, quum huic parti Heusingeri parum consuluerint neque J. Facciolatus satisfecerit, ii, quod sentio, quam multa etiamnum desideraturi sint, meminerint consilii, quod Dan. Wyttenbachius dudum cepit edendorum quidem aliquando horum librorum ad eam rationem, ut emendatæ lectioni superstruatur doctrinæ interpretatio accuratior, ducta e fontibus veterum philosophorum ». Cui promisso quum Wyttenbachius non magis satisfecerit, quam Panætius id, quod de tertia exquirendi officii parte pollicitus fuerat, exsolvit: nos jam post viri obitum hanc relictam partem utcumque explere conati su-

mus. Duplex est autem officium eorum, qui veteres philosophos interpretantur, non modo, quid illi senserint, sed etiam, utrum recte an male senserint, explicandi: quod re ipsa conjunctissimum esse, quum philosophia perspicientia causarum contineatur, in hoc ipso posita, ut scias, idoneas esse causas, aut non idoneas, peritissime monuit Ill. Hermannus, acutissimus idem et philosophus et philologus, ad Aristot. artem poeticam, pag. 197. Et nobis quidem hic finis videtur primarius, ut veritas eruatur, in veterum sapientiæ monumentis penitus abdita, eorumque, quæ nunc subtilius ac solertius edocentur, illic latentia reperiantur certe elementa. Quum vero antiqui de philosophia scriptores in multis ea, quæ re conjuncta sunt, separaverint; non inutile ad perspiciendum universæ compagis nexum fore arbitrati sumus, si colligeremus quasi Apsyrti membra, quæ, tamquam Medea aliqua, ipsa vetustas Tomis disperserat. Nec vero sine causa factum attentior intelliget lector, si quæ alicubi notavimus., quæ ibi quidem requiri non videantur, ut ad § 17, pr. philosophiæ divisione, et 61, p. 141, de rerum humanarum despicientia. Illinc enim lucem mutuamur explicandæ sapientiæ descriptioni, § 153. Id ergo nobis propositum fuit conjuncta conjunctim exponentibus copiosius, ut, vitatis sedulo repetitionibus, unam quamque rem in luce collocaremus quam clarissima. Contrahemus tamen, quantum fieri poterit, vela in Tomo altero, qui certe non amplioris voluminis, nulla mora interposita, sequetur, instructus indicibus.

Ceterum quum editorum nemo, « quemadmodum singulæ hujus operis partes inter se cohærerent, quæve totius descriptio esset », docuerit; Francisci autem Binkes Analysis, ab Academia L. B. præmio et laude ornata, tirunculi rudimentum sit (quod ne iniquius dictum existimes, vide, sodes, instar omnium, quæ p. 45, extr. notavimus): placuit, quam horum Cic. de Off. librorum trium ad faciliorem eorum intelligentiam in brevi conspectu posuit Rud. Gott-

hold Rath (1803), hanc, Batavo illi ne cognitam quidem, nostræ editioni accommodare sic, ut tabulas, in quibus ille Heusingeri editionem sequutus fuerat, compendii causa a lineis revocaremus ad numeros et literas, multis partim propter hanc ipsam rem necessariis mutationibus factis. Ex hac enim descriptione, quam Epitomator, ut ipse ait, non sine magna opera confecit, quam facillime perspici potest, «qua de re agatur; quo ordine expositæ sint res; quemadmodum cohæreant inter se; quæ divisio totius sit». Quæ quatuor, si semper ante oculos versantur, magnopere faciliorem libri cujusque intelligentiam atque difficillimi cujusque loci interpretationem adjuvant. Prætereaque, ex eadem epitome discere est, quibusnam rebus Cicero immoratus sit, quas tractaverit subtiliter, quas neglexisse videatur, quas rerum notiones egregie dilucidarit, quæ in ejus mente obscuræ fuisse videantur. Indidem apparet, quam absurda sit solemnis capitum divisio et quemadmodum instituenda. Verum enim vero, ut hoc recte monuerit Rath, veriti tamen sumus, mutandis capitibus, ut quidam aliorum librorum editores pessimo exemplo, exsistere auctores confusionis futuræ. Distinximus potius novas res diductis literis.

Inseruimus etiam alia quædam memorabilia e libellis singularibus, quorum non omnibus ubique copia fore videretur, ipsis, quatenus commodum fuit, auctorum verbis servatis. Non enim imitandam duximus eorum consuetudinem, qui, ne scilicet aliorum pedissequi viderentur, passim contraria retulerunt iis, quæ apud ipsos auctores reperiuntur: quam illorum fraudem sæpius notandi habuissemus causam. Præcipue vero hos commentarios quasi gemmis quibusdam ornavimus Hermanni observationibus, propositis in *Leipziger Literatur-Zeitungen*, 1812, n. 12 sq. Nec incommodum fuisset, plura, quæ ad interpretationem facerent, e superioribus editionibus repetere, quum, qui notas inspiciunt, ut aliquid inde adjumenti petant, hi fere rario-

ribus editionibus destituantur. Sed satis habui, utilissima quæque, quæ præ ceteris eleganter observata videbantur, aut quibus habebam quæ adderem, breviter commemorare, ut locus esset nostris copiis explicandis. Nescio, ecquid attulerimus, ut et de summa rerum et de singulis sæpe multis nunc aliter, quam vulgo solebat, judicandum sit. Jure desiderabat Rath explanationem notionum difficiliorum, in his libris adhibitarum, earum in primis, quas Cicero libris de Finibus bonorum et malorum illustravit. Nam quum in his ipsis philosophiæ fundamentum positum sit; statim libri primi de Officiis exordium, monitum est, intelligi non posse, nisi ab eo, qui veterum philosophorum de summo bono sententias penitus perspexerit. In his multisque aliis superiores editiones lectorem destituunt, vel potius ab ipso primo limine in caliginosam noctem præcipitant. Quippe plerique interpretes in philosophi verbis hæserunt, aut, de re ipsa disputantes, ut *Garve*, subtilissimo ille acumine sæpe admirabilis, multa tamen mirati sunt propterea, quod Stoicæ philosophiæ rationem et formulam non satis perspectam habebant: ut passim non removerint, sed auxerint difficultates. Vix enim veteris philosophiæ paullo peritior sine risu legere potuerit talia: « Ciceronem non tam quæstionem de officiis instituere voluisse, quam vitæ conformandæ præcepta filio tradere », et quas alias dubitationes peperit veritatis ignoratio.

Verum tamen, si qui, veritatis latentis vestigia ambigua persequuti, præter spem in errores inciderunt: hos non modo non vituperandos, sed propter arduæ rei conamen pro merito etiam dilaudandos semper censuimus, quod, ne prolapsionis quidem periculo deterriti, lubricam viam ingredi ausi sunt. Invitis autem nobis non numquam veniendum fuit ad severius castigandi genus, quum obversaretur animo mœsta Tullii imago, conquerentis de editorum quorumdam dissoluta arrogantia, negligentium, quid de se quisque sentiat. Hanc increpare si cujus de literarum in-

cremento aut detrimento securi stultiloquentia vetet : haud sane se intelligere, quænam huic major humanitas ac comitas videri possit, quam asinorum asinos fricantium. His fere rationibus motus, notavi p. 240, 243, n. 2, 310 pr. et sæpe alibi errores, quibus partim horribilibus et vix credibilibus inquinatissima est Degenii editio, nuper demum adeo iterata. Quam mallem, laudare potuissem! Sed subinde V. S. Rev. discendi cupidos invitat, ut, invento frumento, glandibus pascantur, et « ad id solum, quod adest quodque præsens est, se accommodat, paullum admodum sentiens præteritum aut futurum » : quæ Ciceronis verba, § 12, Rath non incommode ad volgus interpretum transtulit. Eo gratior nobis acceptiorque fuit quævis opportunitas suffragandi antecessorum aliorumque VV. DD. de scriptore nostro quacumque demum ratione bene meritorum laudi. Namque ab obtrectandi studio tam longe absum, quam qui longissime. Sed satius esse duxi, ubique meo qualicumque judicio stare, quam auctoritatibus fidem habere, quamvis spectabilibus. Aliter enim teneri non potest, si quæ ad criticam artem est facta progressio. Itaque cujus mihi quumque opinio improbabilis videretur : putavi, licere verum exquirere sine invidia. Sin acriorem mihi hiemem paraverim importunamque tempestatem conciverim, numquam tamen pœnitebit; modo veritas clarius elucescat. Propterea aliorum dissensiones argumentis firmari velim, ut tandem res ad liquidum perducatur. Addubitare enim res omnium facillima est ; sed idoneis argumentis evincere, doctorum hominum est. Si qui veriora docuerit : correctione gaudebimus.

DE ANACOLUTHIS
IN CICERONIS LIBRIS DE OFFICIIS.

Ἀνακόλουθα in optimis et Græcorum et Romanorum libris reperiri, neque a Cicerone, in primis in iis, quæ de philosophia scripsit, repudiata esse, quum multi passim interpretes animadvertissent, tum nuper de anacoluthis in Cicerone vir doctissimus Aug. Matthiæ sic disseruit, ut exemplorum illustratorum ordinem ad quædam genera compararet. Ex qua disputatione illud sane cognitum est, quantum sibi Cicero in isto dicendi modo licere putaverit. Sed ut non solum quid Cicero, aliive scriptores, in eo genere fecerint, sed etiam quo jure, et quid fieri possit, intelligatur; altius res repetenda est, ejusque investiganda initia, quo ad ea anacolutha, quæ in Ciceronis libris de Officiis non pauca reperiuntur, cognoscenda quasi quidam aditus aperiatur. Quamquam multi sæpe hunc dicendi modum cum aliis similibus confuderint; hoc tamen, opinor, constat inter omnes, anacoluthon esse in legitimo constructionis ordine relinquendo. Quod autem Matthiæ anacolutha sic definit, ut sint « eæ enuntiationum conformationes, in quibus non id sequitur, quod instituta oratio poscebat, sed vel sententia abrumpitur, vel aliud sequitur, ut re et sensu idem, ita verbis et constructione diversum », nollem nude scripsisset « vel sententiam abrumpi », quasi anacoluthon sit in sententia sic abrupta, ut nihil, ne verbis quidem et constructione diversum, sequatur, unde possit pars deficiens intelligi. Abrupta enim sententia aut ita manca est, ut quæ non dicuntur, ex iis ipsis, quæ dicuntur, intelligantur, sive usùs omissionem sanxerit, quæ ellipsis est, sive simulata taciturnitate, vel animi verecundia, vel iræ motu, quo qui lo-

quitur, affectus est, ea, quæ senserit, non dixerit, conjectura liceat assequi, in quo est posita aposiopesis: aut in præcedentibus vel in sequentibus verbis quidquam sit oportet, quod respondeat, quod ad explendam illam inchoatam sententiam adhiberi possit. Certe, si quod sic abruptum fuerit, ut non magis per se possit, quam aliunde intelligi, hoc non solum formæ et constructionis anacoluthon est, de quo nunc disseritur, sed rerum et sensus defectio, nullo pacto excusanda, et quovis dicendi genere indigna. In anacolutho autem necesse est, ut ex iis, quæ sive proxime, sive post longum intervallum, quantumvis mutata locutione, sequuntur, superioris non integræ enuntiationis sensus possit vel maxime latens exquiri. Anacoluthon igitur eum dicendi modum intelligimus, in quo instituta oratio non ea, quam poscebat, constructione perficitur. Est autem in constructione et verborum nectendorum, et enuntiationum inter se comparandarum, ea usitata et legitima ratio, ut locutiones sibi respondeant, eamque formam induant sequentia, quam præcedentium grammatica ratio flagitat. In quo est dicendi intelligendique præsidium et adjumentum potissimum. Sed hæc vulgaris construendi ratio quum non sua causa servanda sit, sed ad juvandam intelligentiam, rerumque tradendarum cognitionem, pertineat; variæ causæ esse possunt, quibus singularum vocum, vel membrorum, antequam absoluta sit, constructio permutetur, et, quasi antiquata locutione priore, alia diversa inducatur, ut sensus non modo nihil detrimenti capiat, sed etiam quamdam alacritatis certe et vigoris speciem indidem referat. Cujus rei causa prima est in loquentium animis, in quadam, ut sentiendi et cogitandi, sic loquendi ac scribendi mobilitate et celeritate, qua, quod dicere instituerunt, non eo, quo cœperunt, ordine persequuntur et perficiunt, sed grammatico verborum nexu relicto, ad aliam locutionem transsiliunt. Is dicendi modus in cujusque fere gentis sermonem certe familiarem, minusque sollicitum, irrepit ita facillime,

ut est ad cogitandi et sentiendi mobilitatem maxime propensa. Nec mirum, in Græcorum lingua permultas diversarum locutionum confusiones usu loquendi receptas esse, multosque vel politissimos scriptores prosaicos et poetas interdum a solita constructionis lege recedere non dubitasse, quum in dicendo naturam potius et animi sensum sequerentur, quam grammaticæ artis regulas vererentur, mallentque spectare quid dicerent, quam accuratiorem nectendorum verborum rationem ubique servare et constantiam. Alia mutandæ constructionis causa est in verborum collocatione. Hæc enim sæpe sic instituenda est, ut primariæ sententiæ membra propter cogitationum quamdam similitudinem et conjunctionem aut eamdem formam referant, aut sibi quodammodo, ut sensu, sic conformatione respondeant. Ea membra si enuntiationibus secundariis ita distinguuntur, ut, quum ad posterius scribendo legendove perveneris, prioris locutionis formam prope oblitus sis; fit, ut sequens locutio, quum non sensu solum, sed etiam forma et constructione priori enuntiationi respondere debere videretur, vel paullulum ab illa, nullo quidem perspicuitatis damno, recedat. Ejus generis illud est, quum post *primum* non sequitur *deinde*, vel alterum *aut* suppressum est, vel si, protasi bis non eadem forma posita, apodosis una, eaque ad posterioris membri rationem accommodata sequitur. Hæc igitur mutandæ constructionis causa in integrarum locutionum disjunctione idonea est; eaque justior etiam est, si in media locutione interponitur parenthesis: quæ quum suam sententiam et constructionem habeat, si etiam longior est, ad memoriam sublevandam opus est inchoatæ sententiæ repetitione. Hæc eorumdem verborum forma et ordine eodem fiat, an locutione quodammodo mutata, modo eumdem denique sensum præbeat, non multum videtur interesse: quid? quod superiorum verborum, si plura sunt, iteratio aliquid tædii habet, multum vero ex eorum vel contractione, vel explicatione, cum varietate re-

dundat suavitatis. Atque nonnumquam ipsa illa interjecta locutio postulat, ut, quæ dicta sunt, redeant, certe particula aliqua præposita, quæ ad proxime præcedentia respiciat. In quo quidem altera, quæ e verborum collocatione ducitur, anacoluthi causa posita est, illi, de qua diximus, prope contraria. Namque orationis conformàtio ut, mente quippe auctore, remotiores verborum nectendorum et collocandorum causas refugit, atque ex interpositorum copia et diversitate ducit repetitionis excusationem, sic quamdam verborum consociationem nexusque vincula in proximis quærit vocibus, ad quas se applicet et componat. Quam ob causam nunc superioris, e qua pendere debebant, enuntiationis imperio relicto, verba sese ad vicinarum vocum formam accommodant, nunc locutionis inchoatæ finis frustra quæritur, novaque substituitur locutio, qua illa, re et sensu magis, quam verbis et constructione perficiatur. Atque hoc proximarum vocum conciliandarum studium tantum valet, ut sæpe proximæ enuntiationis, vel brevissimæ, pars prior negligatur, serveturque postremæ vocis auctoritas. Duplex est igitur e remotiorum oblivione, propriorum recordatione, istius locutionum permutationis petenda excusatio, vel defensio. Sed utra ratio in quoque loco obtineat, et an justa illa sit et apta, id tum ad inchoatæ locutionis naturam, tum ad interjectorum verborum copiam, eamque, quam in primaria enuntiatione constituenda habent, vim, judicabitur. Ad has rationes accedit cura quædam perspicuitatis, quæ in enuntiationum se excipientium diversitate sic sæpe juvanda est, ut conjunctivæ, vel alius, particulæ ope, sensum expedire satius sit, quam institutæ orationis formam et legem tueri. Adde varietatis studium, quo non solum in verborum delectu, sed etiam in locutionum usu, orationi aliquid vigoris et alacritatis conciliatur. Denique, in forensi potissimum dicendi genere, ad gravitatem grammatica subtilitas nonnumquam postponitur rationi rhetoricæ. In tanta causarum, quæ anacolutha efficiunt, varie-

tate et honestate, nemo anacoluthorum in optimis etiam Ciceronis libris frequentiam mirabitur, nec, quo in genere illa ponenda sint, dubitabit. Nam alii hunc dictionis modum tantum non in vitiis habent, eos quidem reveriti, quos viderint interdum constructionis formam mutasse, vel duas locutiones permiscuisse: quasi dictionis honestas et convenientia e sola scriptorum auctoritate judicanda sit, vis autem et natura dicendi contemnenda. Alii, in quibus est vir spectatissimus Matthiæ, anacoluthon ad *gratam negligentiam* pertinere dicunt, de qua J. A. Ernest. Opusc. philol. et crit. p. 127, aperuit, quam dixit eam esse, ut in rebus pulchritudine et arte et copia præstantibus, si quid subneglectum videatur, eo non minus prope, quam quod perfectum est, delectemur: in quo autem ubique exquisitior quædam absolutio curaque emineat, id etiam suboffendat. Verum enim, quæ tandem est ista grata, vel potius non ita ingrata, anacoluthorum negligentia, cujus quum probabilis quædam causa reddi possit, desinit esse negligentia? Quid? si illius legis, in qua neglecta dicunt esse negligentiam, servandæ fines quidam sunt constituendi, tenendusque in severiore constructione modus? tum certe gratum illud erit non in negligentia, sed in dictionis cum cogitationibus convenientia. Jam vero si concessum fuerit, constructionem ad animi sensum et ad cognitionem accommodate mutari posse, et a probis scriptoribus mutatam esse, ut de orationis perspicuitate nihil detraheretur, animi vero oblectatio in poetica oratione, in prosa cognitio dictionis alacritate adjuvaretur et augeretur: non diutius nobis anacoluthon eodem jure, quo pleonasmum et ellipsin, cum Godofr. Hermanno in disputatione de differentia prosæ et poeticæ orationis, p. 27, *figuram* appellantibus repugnabunt. Laudatur in Pindaro atque Horatio illa membrorum conformandorum varietas, qua omnes delectantur, quam in crebra locutionum æquabilitate ac similitudine, ejusdem dicendi rationis frequentia, desiderant. Atque in isto

orationis vigore ut aliarum figurarum sedes est, sic etiam anacoluthi initia deprehenduntur latius sensim serpentia ad insolentiorem locutionum discrepantiam, vel permutationem, vel confusionem : quæ quum in poesi sensum oblectare existimatur, eodem jure, si cognitionem adjuverit, prosæ orationi concedetur; atque ita erit ejus usus quoque loco aptissimus, ut maxime ab orationis natura suppeditatus videbitur, plurimumque ad intelligentiam afferet adjumenti. Reliquum est, ut ea, quæ in libris de Officiis inveniuntur, cujusvis fere generis anacolutha ordine quodam digeramus. Est autem in ea re et prior locutio consideranda, quæ alterius formam quamdam frustra exspectaverit, et posterior, quæ priori minus respondeat. Ac prior quidem enuntiatio aut talis est, ut, quum ipsa per se perfecta sit, tamen alteram sententiam velit ad suam formam esse accommodatam : aut, si ipsa inchoata est, finem exspectat eum, quo sua forma eo, quo cœperat, modo expleatur. Huic utrique rationi si posterior enuntiatio minus satisfecerit, duplex exsistit anacoluthorum genus. Unum est in diversâ membrorum integrorum conformatione : in qua posterioris membri forma aliquo modo a priori recedit, quum exspectaretur omnibus partibus illi conveniens locutio, sive proxime, sive post interjectam aliam enuntiationem sequutura. Ut de Offic. I, 3, 8 : « Atque ea sic definiunt, ut rectum quod sit, id perfectum officium esse definiant : medium autem officium id esse dicunt, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit ». Ibid. I, 19, 64 : « Ex quo fit, ut neque disceptatione vinci se, nec ullo publico ac legitimo jure patiantur : exsistuntque in republica plerumque largitores, etc. » In utroque loco alterum membrum, conjunctione *ut* neglecta, ex indicativi usu sic satis frequenti, cum primariæ enuntiationis specie, vigoris aliquid refert et alacritatis. Hanc membrorum distinguendorum consuetudinem qui non recordarentur, ad severiorem construendi rationem convenientius scribendum putarent *dicant*, in

altero loco *exsistantque*. I, 14, 44, « qui benigniores volunt esse, quam res patitur, primum in eo peccant, quod injuriosi sunt in proximos: quas enim copias his et suppeditari æquius est, et relinqui, eas transferunt ad alienos. Inest autem in tali liberalitate cupiditas plerumque rapiendi ». Ita *deinde*, quod exspectabatur, quin alterum peccandi genus omitteretur, suppressum est, ut sæpe alibi. Illud nescio an paullo rarius acciderit, ut *dei*. *de* scriberetur, quasi præcessisset *primum*, ut II, 5, 16 : « Est Dicæarchi liber de interitu hominum, Peripatetici magni et copiosi; qui collectis ceteris causis eluvionis, pestilentiæ, vastitatis, belluarum etiam repentinæ multitudinis, quarum impetu docet quædam hominum genera esse consumpta : deinde comparat, quanto plures, etc. » *Deinde* post ablativos absolutos paullo remotiores, in quibus illud *primum* certe cogitatur (*primum colligit*), et propter interposita *quarum ... docet*, a quo verbo erat verbum *comparat* distinguendum, prope necessarium est. Sæpe etiam ad vitandam repetitionem jure suo, si qua protasis non eadem locutione bis posita est, apodosis pro duplici una legitur, eaque ad posteriorem protasin accommodata. I, 5, 16 : « Ut enim quisque maxime perspicit, quid in re quaque verissimum sit, quique acutissime et celerrime potest et videre et explicare rationem, is prudentissimus et sapientissimus rite haberi solet ». Pronomen *is* a *quique* aptum est, quum *ut* requireret *ita prudentiss.* etc. In eo loco, qui sequitur, alterius membri forma propius *id* respicit, remotiore vocula *ut* neglecta. I, 1, 1 : « ut ipse ad meam utilitatem semper cum Græcis Latina conjunxi, neque id in philosophia solum, sed etiam in dicendi exercitatione feci : idem tibi censeo faciendum, etc. » II, 6, 21 : « Quæcumque igitur homines homini tribuunt ad eum augendum atque honestandum, aut benivolentiæ gratia faciunt, aut honoris, si cujus virtutem suspiciunt, quemque (et si quem) dignum fortuna quam amplissima putant ». I, 33, 121 : « deinde, si natura non feret, ut quæ-

dam imitari possit ... ut superioris Africani filius, qui hunc Paullo natum adoptavit, propter infirmitatem valitudinis non tam potuit patris similis esse, quam ille fuerat sui ... si igitur non poterit sive causas defensitare ... sive bella gerere : illa tamen præstare debebit, quæ erunt in ipsius potestate, justitiam ... temperantiam, quo minus ab eo id, quod desit, requiratur ». Quod J. Facciolatus in his anacoluthon esse dixit, id sane nullum est; esset autem, si verba, quæ a superioribus « si natura non feret, ut quædam imitari possit », tamquam apodosis flagitantur, illorum verborum constructioni minus convenirent, quam propioribus his « si igitur non poterit sive causas defensitare, etc. » Nam si superiorum vel mutato verborum ordine, hic quidem per μερισμὸν, facta repetitio ea verba, quæ desiderabantur, ut h. l. apodosin, ita adhibet, ut inchoatæ locutioni non minus conveniant, quam repetitionis formæ et ordini; non est cur anacoluthon statuamus.

Alterum genus est inchoatarum locutionum, quæ sequentium verborum constructione non perficiuntur. In quo e duabus locutionibus prior, quum inchoata sit, frustra exspectat finem : posterior aut perfecta per se est, in primis post parenthesin, quamquam priori locutioni parum conveniens, aut ipsa, quum finem justum habeat, caret tamen principio, quandoquidem est mediæ alteri locutioni applicata. III, 26, 97 : « Utile videbatur Ulixi, ut quidam poetæ tragici prodiderunt... nam apud Homerum, optimum auctorem, talis de Ulixe nulla suspicio est... sed insimulant eum tragœdiæ simulatione insaniæ militiam subterfugere voluisse ». Verba interjecta requirebant particulam *sed* in excipienda superiore locutione præter *enim*, *autem*, *igitur* solemnem : neque difficile est ex posteriore locutione explere priorem, in cujus fine non poterat esse *voluisse*. Quo cum loco comparare juvabit alium, II, 21, 73, cujus loci ratio non multum abest, quin in anacoluthorum numero referenda sit. « Perniciose enim Philippus in tribunatu,

quum legem agrariam ferret, quam tamen antiquari facile passus est, et in eo vehementer se moderatum præbuit: sed quum in agendo multa populariter, tum illud male, non esse in civitate duo millia hominum, qui rem haberent». Hic igitur locus anacoluthi expers est. Nam quamquam prior locutio mutatis verbis repetitur; ea tamen, quæ inde a *male* leguntur, pariter conveniunt perficiendæ superiori locutioni ac proxime præcedenti. Secus statuendum est de III, 10, 45: «Damonem et Phintiam Pythagoreos ferunt hoc animo inter se fuisse, ut, quum eorum alteri Dionysius tyrannus diem necis destinavisset, et is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causa postulavisset, vas factus est alter ejus sistendi». Neglecta nimirum conjunctione *ut* nimis remota, verbum *factus est* primariæ locutionis formam induit, quo ipsius vadimonii commemoratio evadit gravior. Contra, quæ primaria esse debebat sententia, formam accepit secundariæ I, 7, 22: «Sed quoniam... ut præclare scriptum est a Platone... non nobis solum nati sumus, ortusque nostri partem patria vindicat, partem parentes, partem amici: atque, ut placet Stoicis, quæ in terra gignuntur, ad usum hominum omnia creari». Infinitivus *creari* pendet e *placet*, quasi scriptum fuerit *atque placet Stoicis*. Scriptum autem *ut placet Stoicis*, loco secundario: quo fit, ut exspectetur *omnia creantur*. Ut *creari* scriberet, monebat etiam proxime præcedens *quæ... gignuntur*, cui si addidisset *ad usum hominum omnia creantur*, verborum structura evasisset impeditior, atque ex duplicis indicativi concursu ac diversitate etiam molestior, I, 10, 33: «Ne noster quidem probandus, si verum est, Q. Fabium Labeonem, seu quem alium... nihil enim præter auditum habeo... arbitrum Nolanis et Neapolitanis de finibus a senatu datum, quum ad locum venisset, cum utrisque separatim loquutum». Ab interposita enuntiatione secundaria «si verum est» pendere maluit Cicero ea, quæ vulgaris ratio nominativo fere sic expresserit: Ne noster quidem proban-

dus Q. Fabius Labeo...arbiter datus...loquutus. Atque vel sic ad « si verum est » ea omnia « Q. F. Lab. etc. » accusativi forma cum infinitivo intelligerentur. Apparet autem ipsum illud Labeonis facinus, quin vere commissum sit, vehementius dubitari, quum a verbis « si verum est » illa nexa sint, quam si oratione recta legerentur. Cum hoc loco comparanda sunt, quibus continetur formula Stoicorum, III, 4, 20. Similiter, quæ requirebant indicativum, conjunctivi formam sibi e verbis interjectis adsciverunt, I, 21, 72 : « Capessentibus autem remp. nihilo minus, quam philosophis, haud scio an magis etiam, et magnificentia et despicientia adhibenda sit rerum humanarum ». Verba « nihilo minus » poscebant « adhibenda est ». Concessit autem Cicero propioribus verbis « haud scio an » conjunctivum. I, 43, 153 : « Idque hoc argumento confirmari potest, quod, si contigerit ea vita sapienti, ut in omnium rerum affluentibus copiis, quamvis omnia, quæ cognitione digna sunt, summo otio secum ipse consideret et contempletur : tamen, si solitudo tanta sit, ut hominem videre non possit, excedat e vita ». Periodi principium « quod... ut... quamvis... contempletur »; sequi jubebat hæc : « tamen solitudo tanta sit, ut hominem videre non possit, excedat e vita ». Hanc impeditissimam atque in conjunctivorum molestissimo concursu parum distinctam constructionem an non aptius erat, vel invita vocula *ut*, levare, et expedire sic, ut interposito *si* (ne repeterentur hæc omnia *si contigerit ea vita sapienti*, *ut*), *tamen* referretur ad *excedat e vita*, quæ verba ex instituta oratione nexa erant cum *quod*. Huic loco is, qui sequitur, simillimus est eo, quod inchoatæ constructionis neglectu vitata est repetitio, I, 5, 15 : « Quæ quatuor quamquam inter se colligata atque implicata sunt, tamen ex singulis certa officiorum genera nascuntur : velut ex ea parte, quæ prima descripta est, in qua sapientiam et prudentiam ponimus, inest indagatio atque inventio veri; ejusque virtutis hoc munus est proprium ». Instituta oratio, ut solito modo perficeretur,

poscebat hæc: « ex singulis certa officiorum genera nascuntur : velut ex ea parte, quæ prima descripta est, in qua sapientiam et prud. ponimus, nascitur illud (officiorum) genus, in quo inest indagatio». Hæc contractius scripsit ita, ut, duabus inter *ex* et *inest* interjectis enuntiationibus, locutionum fieret confusio, quarum posterior legitimo careret principio, priorem finis deficeret. Item Cicero, I, 32, 115, institutam constructionem subito mutavit, si vera hæc lectio est: « Nam regna, imperia, nobilitates, honores, divitias, opes, eaque, quæ sunt his contraria, in casu sita, temporibus gubernantur». Accusativi requirebant « tempora gubernant»; sed quum subjecti vox *tempora* accusativorum proximorum copia opprimi videretur, scripsit « temporibus gubernantur», quasi præcessissent nominativi « regna, imperia, nobilitates, honores, divitiæ, etc.» qui vulgo leguntur. Certe mirabile videri debet in bonis libris accusativos reperiri, quos parum probabile est glossatores, sæpe nimis severos vulgaris dicendi rationis vindices, finxisse potius, quam, quum sequentia minus responderent, correxisse.

C. Beier.

M. T. CICERONIS

AD M. FILIUM

DE OFFICIIS

LIBER PRIMUS

ARGUMENTUM

E SCHUTZII EDITIONE DESUMPTUM.

In præfatione Cicero filium Athenis jam versantem exhortatur, ut, quamquam ibi Cratippum principem hujus ætatis philosophorum audiat, tamen cum græcis etiam latina conjungat, in primisque, non solum orationes suas, sed suos etiam de philosophia libros studiose legat, ut par sit in utriusque orationis facultate. Quo consilio se nunc statuisse ad eum de officiis scribere, quod et ætati filii, et suæ patris auctoritati esset aptissimum. Atque ea in quæstione se potissimum Stoicos sequuturum profitetur (adhibuit autem maxime Panætii libros περὶ καθήκοντος), non ut interpretem, sed ita ut judicio suo arbitrioque sit e fontibus eorum hausturus, cap. 1, 2.

Jam primum, cap. 3, definitionis loco dicit omnem de officio duplicem esse quæstionem. Unum genus esse, quod pertineat ad finem bonorum; alterum, quod positum sit in præceptis, quibus in omnes partes usus vitæ conformari possit. Esse autem aliud officium perfectum, idem quod rectum, s. græce κατόρθωμα vocetur; aliud medium, i. e. id, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit. Hic autem secundum Panætium tres oriri quæstiones: primam de honesto; secundam de utili; tertiam de utriusque comparatione. Atque in duabus primis non solum utrum aliquid honestum, utrum utile sit, quæri, sed etiam duobus propositis honestis utrum honestius, itemque duobus propositis utilibus, utrum utilius. Jam primum de honesto ipso, cap. 4-44; deinde de honesti cum honesto comparatione agit, cap. 45.

In prima parte, forma honesti universa breviter adumbrata, cap. 4; ejus quatuor partes, sive fontes esse docetur, cap. 5. Aut enim in perspicientia veri solertiaque versari, aut in hominum societate tuenda, tribuendoque suum cuique et rerum contractarum fide; aut in animi excelsi atque invicti magnitudine ac robore; aut in omnium quæ fiunt, quæque dicuntur ordine et modo. Harum quatuor virtutum primam prudentiam,

seu sapientiam; alteram justitiam et beneficentiam; tertiam fortitudinem; quartam temperantiam appellari, cap. 5.

Primam igitur virtutem, scil. sapientiam, seu prudentiam, partim in studiis scientiæ cognitionisque versari, partim in consiliis capiundis de rebus honestis et pertinentibus ad bene beateque vivendum, cap. 6.

Secundo loco tractat eas virtutes quibus societas hominum inter ipsos continetur, h. e. justitiam et beneficentiam.

Justitiæ primum munus esse, ut ne cui quis noceat, nisi lacessitus injuria, deinde ut communibus pro communibus utatur, privatis ut suis; fundamentum autem justitiæ fidem esse.

Injustitiæ autem duo genera esse; unum eorum, qui inferunt, alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, si possint, non propulsant injuriam; quarum utriusque causæ exponuntur, c. 7-9.

Sed incidere sæpe tempora ubi quæ justa sint, commutentur, eaque quæ alias justa fuerint, migrare et non servare sit justum. Hic nimirum omnia referenda esse ad fundamenta justitiæ, primum ut ne cui noceatur; deinde ut communi utilitati serviatur. Injurias etiam sæpe exsistere calumnia quadam et nimis callida, seu malitiosa juris interpretatione, cap. 10. Esse autem quædam officia etiam adversus eos servanda, a quibus injuriam acceperis; in primis in republica maxime conservanda esse jura belli. Postremo etiam adversus infimos, et quum infima conditio sit servorum, adversus servos justitiam esse servandam, omnino autem utrumque injuriæ modum, et vim, et fraudem vitandam esse, cap. 11-13.

Sequitur locus de beneficentia et liberalitate, in qua videndum esse docetur, primum ne obsit benignitas et iis, quibus benigne videbitur fieri, et ceteris; deinde ne major benignitas sit, quam facultates: tum, ut pro dignitate cuique tribuatur. Duo autem genera liberalitatis esse, unum dandi beneficii, alterum reddendi, cap. 14, 15. Optime autem societatem hominum conjunctionemque servatum iri, si ut quisque sit conjunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferatur. Gradus nimirum esse plures societatis hominum; primam infinitam illam universi generis humani; propiorem ejusdem nationis et linguæ; interiorem ejusdem civitatis : rursus arctiorem societatis propinquorum, ut conjugum, parentum et liberorum, fratrum

consobrinorum, affinitatum. Omnium vero societatum nullam esse præstantiorem, nec firmiorem, quam quum viri boni, moribus similes, sint amicitia et familiaritate conjuncti. Magnam etiam communitatem esse, quæ conficiatur ex beneficiis ultro citro datis acceptis. Denique omnium nullam esse cariorem et graviorem, quam eam quæ cum republica, seu patria, sit unicuique nostrum. Atque in his benignitatis officiis videndum esse, quid cuique maxime necesse sit, et præceptis usum et exercitationem adjungendam, cap. 16-18.

Sequitur tertia virtus, fortitudo, quæ splendidissima sit, quum pericula et labores animo magno elatoque subeantur. Eam autem in vitio esse, si justitia vacet, cap. 19. Omnino autem fortem animum et magnum duobus maxime rebus cerni; quarum una in rerum humanarum despicientia ponatur, quum persuasum sit, nihil hominem, nisi quod honestum sit aut admirari, aut optare, aut expetere oportere; nullique neque homini, neque perturbationi animi, neque fortunæ succumbere; altera autem in eo sit, ut res gerantur vehementer arduæ plenæque laborum et periculorum, cap. 20, 21. Falso autem putari res bellicas majores esse quam urbanas, quum multæ res urbanæ majores clarioresque exstiterint, quam bellicæ, cap. 22, 23. Bella vero ita suscipienda esse, ut nihil aliud nisi pax quæsita esse videatur. Fortis vero et constantis esse, non perturbari rebus asperis, sed præsentis animi uti consilio, nec a ratione discedere. In bello autem vitandam esse crudelitatem; vitanda calida consilia; promptiores nos esse debere ad nostra pericula quam ad communia, cap. 24. Omnino autem iis qui reipublicæ præfuturi sint, duo Platonis præcepta tenenda esse, unum ut quæcumque agant ad utilitatem civium referant, alterum ut totum corpus reipublicæ curent, nec dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Non esse autem audiendos eos, qui graviter irascendum inimicis putent, idque magnanimi et fortis viri esse censeant. In pœnis etiam severitatem mansuetudine temperandam, optandumque ut ii, qui præsint reipublicæ legum similes sint, quæ ad puniendum non iracundia, sed æquitate ducuntur, cap. 25. Atque etiam in rebus prosperis superbiam, fastidium et arrogantiam fugiendam esse. Postremo etsi maximæ res et maximi animi gerantur ab iis, qui respublicas regant,

posse tamen etiam in vita otiosa magnitudinem animi et fortitudinem demonstrari docetur, cap. 26.

Sequitur ultima pars honestatis in temperantia et modestia posita. Hoc loco continetur id quod græce πρέπον, latine decorum dici potest. Est autem ejus descriptio duplex; alterum generale, quod in omni honestate versatur; alterum huic subjectum, quod pertinet ad singulas partes honestatis; et hoc sic definitur, ut sit ita naturæ consentaneum, ut in eo moderatio et temperantia appareat, cum specie quadam liberali. Atque hoc decorum non solum in corporis, sed maxime in animi motibus servandum est. Idem autem valet in ludo et joco, cap. 27-29. Victus cultusque corporis ad valitudinem referendus, et ad vires, non ad voluptatem. Et ut turpe est diffluere luxuria, et delicate ac molliter vivere, sic honestum parce, continenter, severe, sobrie. Intelligendum etiam, duabus quasi nos a natura indutos personis; una communi quod omnes participes sumus rationis, altera quæ proprie singulis est tributa. His accedit tertia, quam casus aliquis, aut tempus imponit, et quarta, quam nobismet ipsi judicio nostro accommodamus. In his omnibus videndum est, quid deceat, et cura adhibenda, ut constare in vitæ perpetuitate possimus nobismet ipsis nec in ullo officio claudicare, cap. 30-33. Neque vero eadem omnia disparibus ætatibus officia tribuuntur; alia enim sunt juvenum, alia seniorum. Itemque propria quædam magistratuum, privatorum, civium, peregrinorum, cap. 34. Decorum porro in omnibus et corporis, et animi motibus observandum. In corpore tenenda est verecundia, venustas et dignitas, munditia, mediocritas in incessu, cap. 35, 36. Multo autem magis elaborandum, ne animi motus a natura recedant; idque assequemur, si curabimus, ne in perturbationes atque exanimationes incidamus; et si attentos animos ad decoris conservationem tenebimus. Et quum motus animorum duplices sint, alteri cogitationis, alteri appetitus, curandum est, ut cogitatione ad res optimas utamur, appetitum rationi obedientem præbeamus. Et quoniam magna vis orationis est eaque duplex: altera contentionis, quæ disceptationibus tribuitur judiciorum, concionum, senatus; altera sermonis, qui in circulis, disputationibus, congressionibus familiarum, itemque in conviviis versetur, exponuntur ea quæ sint in sermone, ut ex omni parte de-

eorus sit, servanda, cap. 37, 38. Adjicitur præceptio qualis esse debeat hominis principis et honorati domus, cap. 39. Deinceps de ordine rerum, seu εὐταξίᾳ, et de temporum opportunitate præcipitur. Quo in genere non est incommodum quale quodque eorum sit ex aliis judicare; nec alienum doctos homines, vel etiam usu peritos adhibere. Observanda sunt etiam, quæ more institutisque civilibus aguntur; itemque homines bene meriti, senes, magistratus præcipue colendi, cap. 40, 41. Tum de artificiis et quæstibus, qui sordidi sint, quique liberales habendi, exponitur, cap. 42.

Jam explicato ipso honesto, sequitur honesti cum honesto comparatio; ubi, si eorum quæ sint honesta incidat contentio, quæritur de duobus honestis, utrum honestius, qui locus erat a Panætio prætermissus, cap. 43-45.

M. T. CICERONIS,

AD M. FILIUM,

DE OFFICIIS*

LIBER PRIMUS.

I. Quamquam te, Marce fili[1], annum jam[2] audientem 1
Cratippum[3], idque Athenis, abundare oportet præceptis institutisque[4] philosophiæ, propter summam et doctoris auctoritatem, et urbis; quorum alter te scientia augere potest, altera exemplis: tamen, ut ipse ad meam utilitatem semper cum græcis latina conjunxi, neque id in philosophia solum, sed etiam

* *De Officiis.* De eo, quod decet, et rectum est in factis dictisque. Græci partem hanc philosophiæ inscribebant περὶ τοῦ καθήκοντος, *de Officio.* Cicero numerum variavit: quia, ut scribit in libro ad Att. XVI, ep. 11, inscriptio *de Officiis* plenior est. Facc. — Eamdem inscriptionem his libris tribuunt Suet. Cæs. cap. 30; Gellius, XIII, 27, aliique, quos laudant Hensingeri, cum MSS Gu. omnibus præter quartum, qui, ut alii quidam codd. habet *Officiorum.* Gern.

I. 1. *Marce fili.* Marco filio se auctum esse Cicero scribit ad Atticum, I, 2, « L. Julio Cæsare, C. Marcio Figulo coss. » Designatos consules intelligunt Manutius, Bos. Tunstal. Wieland. in nota ad versionem illius epistolæ, quam contendunt Cotta et Torquato coss. post designatos Cæsarem et Figulum scriptam esse. Gern.

2. *Annum jam.* Annus jam elapsus fuerat, ex quo Marcus filius, victo interfectoque Pompeio, Athenas profectus erat. Marcus autem pater post Cæsaris necem, quum de rep. desperasset, omnemque concordiæ spem amisisset, in otium secessit, ut hos de Officiis libros scriberet, ann. ab U. C. 709 et 710. Facc.

3. *Cratippum.* Peripateticorum ea ætate principem. Vide Marci filii epistolam 21 inter Familiares libri XVI. Facc. — *Cratippum.* De Cratippo et de toto hoc loco conf. lib. III, c. 2, § 6. Gern.

4. *Præceptis institutisque. Præcepta* sunt, quæ vera recta et honesta monstrant: *instituta* animum moresque ad præcepta conformant. — Contra Beierus notat: Instituta sunt exercitia in philosophia tractanda, explicanda, aliisque tradenda.

in dicendi exercitatione[5] feci; idem tibi[6] censeo faciundum[7], ut par sis in utriusque orationis[8] facultate. Quam quidem ad rem[9] nos, ut videmur, magnum

5. *In dicendi exercitatione feci.* *Feci* irrepsit ex margine in contextum. Et Cicero pater græce latineque declamabat, ut ipse de se scribit in Bruto, cap. 90, et filius, ut est in epistola modo allata. Facc. — *Feci* Gernhard. defendit laudato hoc Bruti l. « Commentabar declamitans ... idque faciebam multum etiam latine, sed græce sæpius ». — *Feci* M. Heusing. servavit, quem sequutus est J. F. Heusing. auctoritate meliorum codicum.

6. *Idem tibi.* Alii legunt *item tibi.* Hanc ultimam vocem Facc. delevit, qui notat : Nostro loco pronomen referendum est ad superiora « cum græcis latina conjunxi, etc. » quæ via est, qua possit filius, patris exemplo, id, « ut par sit, etc. » assequi. Quare a plurimorum et optimorum codd. lectione *idem* visum est mihi non recedere. Exspectabatur *sic idem* : sed quum interpositum esset *id*... *feci*, oblitus illud *ut*, *idem* simpliciter dixit. Similiter cap. 5, 16 : « Ut quisque ... is », quum intercessisset *quique.* Gernhard.

7. *Faciendum.* Alii leg. *faciundum* : quam varietatem in gerundiis ejus generis efferendis semel notasse sufficiat. Facc.

8. *Utr. orat. Utramque orationem* interpretantur aut linguam græcam et latinam, ut Hottingerus in horum librorum versione ann. 1800 edita, aut philosophicum et forense dicendi genus, de quo utroque præcipit § 3 (atque hic sensus Beiero placuit). At neque philosophia est dicendi genus philosophicum, quum præsertim *dicendi exercitationi* opponitur, neque mihi persuadebitur, Ciceronem monere filium id unum, ut græce latineque discat. Sed utroque conjungendo jubet eum, ut ipse fecerit, et philosophiæ operam dare (præcepta philosophiæ discere a Cratippo philosopho) et eloquentiæ, id est, facultati de quaque re bene dicendi, quam petere possit e patris libris et philosophicis et oratoriis. Hanc esse Cicer. sententiam docent etiam verba, quæ § 2 sequuntur, sibi opposita : « ad dicendum et ad judicandum : disces ... de rebus ... orationem : philosophandi scientiam ... apte d. o. dicere ». Cicero nimirum multis in locis ægre fert, quod inde a Socrate philosophi eloquentiam despexerint, oratores scientiam, contra morem veterum philosophorum (vid. de Orat. III, 19, § 72). Comp. ibid. cap. 16. Gern. — Sensu ita constituto Gern. affirmat legendum esse « in utriusque rationis fac. », conferrique jubet Orat. III, 15. Nobis autem voc. *orationis* placet, quia totius loci tenor esse videtur : sane mirum tibi videbitur me ad te philosophicum opus mittere, quum praclarissimum philosophum quotidie audias : sed hæc solum græce dicta audis : ego feci ut audires etiam latine, ne fieres latini sermonis negligens aut contemptor græca semper audiendo. Sic utrique linguæ pariter studebis, et non solum nosces omnino philosophiam græcam, sed etiam quid gravitatis et dignitatis habere possit sermo latinus docebere, qui sensus aptissime cum sqq. convenit.

9. *Quam quidem ad rem.* Ut pares esse possent in utriusque orationis facultate. — Tamen ita Beier : Ad

attulimus adjumentum hominibus nostris, ut non modo græcarum literarum rudes, sed etiam docti, aliquantum se arbitrentur adeptos et ad[10] dicendum, et ad judicandum[11]. Quamobrem disces tu quidem 2
a principe hujus ætatis philosophorum, et disces, quamdiu voles : tamdiu autem velle debebis[12], quoad te, quantum proficias, non pœnitebit. Sed tamen nostra legens[13], non multum a peripateticis[14] dissi-

ea, quæ a Græcis discuntur, latine dicenda, ut, qui locos graves ex philosophia tractare voluerit, abhorrentes ab oratorio dicendi genere atque a forensi usu et publico, adhibitis oratoriis ornamentis dicendo consequatur tamen, ut expleudescant oratione, et tamquam excolantur populoque illa probabilia videantur (Paradox. § 1).

10. *Ad dicendum*. Recte rejecerunt interpretes, excepto Franc. Maturantio, *discendum*, quod, ut sæpe in his libris *dicere*, *ducere* et *discere* confunduntur, hic legitur in Gu. 1, 4, 5, Goth. Vin. Oxx. λ, μ, impress. libr. incert. Gern. — *Et ad dicendum*. Quia, qui græcas disciplinas noverant, eas latine explicare non poterant.

11. *Et ad judicandum*. Hoc est, ad res philosophicas. Facc.

12. *Velle debebis, quoad te, quantum proficias*, etc. Est, quantum certis conjecturis assequi possum, *voles*. Gern. — Nihil est conjectura opus : cuique verbo sensus suus est servandus, ut totius sententiæ tenor sit : et eum audire velle debebis, quamdiu in eo audiendo tibi satis esse proficiendum putabis. Voces « tamdiu pœnitebit » Beierus parenthesi includit.

13. *Sed nostra legens*. Facc. scribit : « sed et nostra leges ». Addidi *et*, inquit, quæ particula ita necessaria est, ut nihil magis. Pro *leges*, alii malunt *legens ;* ne periodus abrumpatur : sed hæc quidem battologia est, « nostra legens legendis nostris efficies, etc. » Nisi forte duo verba *legendis nostris* sunt insititia. — Idem interpungit colo post « pœnitebit; dissidentia; judicio » : plene autem post *volumus*. *Leges* ex suo et H. Wolfii codice placuit etiam Grævio post J. F. Gronovium. Quominus autem cum Ernestio et Heuss. *legens*, quod in reliquis libris legitur, ad *efficies* pertinere putemus, atque verba « de rebus... impedio » in parenthesi ponamus, prohibet verborum « rebus ipsis » et « orationem latinam » oppositio, quam grammatica hujus loci ratio et structura præ se fert : quæ si tenenda est, verborum *nostra legens* repetitio (*legendis nostris*) in altero membro non otiosa, sed necessaria est. De rebus enim Marcus judicabit, *dum legit;* orationem autem efficiet pleniorem « eo quod legit ». Atque Cicero, si propter parenthesin prima periodi verba repetere placuisset, scripsisset « legendis autem nostris orationem latinam eff. etc. » ut cap. 30, 105, 43, 153, et al. Gern. — Quidquid dicat Gern. cui Sch. assentitur, nos ibi parenthesin videmus latentem, si non expressam.

14. *A Peripateticis dissidentia*. Quia Cicero finem bonorum in virtute col-

dentia; quoniam utrique, et Socratici[15], et Platonici esse volumus: de rebus ipsis utere[16] tuo judicio, nihil enim impedio: orationem autem latinam profecto[17] legendis nostris efficies pleniorem. Nec vero arroganter hoc dictum existimari velim. Nam philosophandi scientiam concedens multis[18]; quod est oratoris proprium, apte, distincte, ornateque dicere, quoniam in eo studio ætatem consumpsi, si id mihi assumo, videor id meo jure quodam modo vindicare.

3 Quamobrem magnopere[19] te hortor, mi Cicero,

locat; et vel solam honestatem, ut Stoici, vel honestatem maxime, ut Peripatetici, propter se expetendam contendit. Ex hoc autem principio officiorum præcepta ducit. Facc.

15. *Quoniam utrique, et Socratici, et Platonici esse volumus*, etc. Tum vos Peripatetici, tum nos Academici profitemur dogmata Socratis et Platonis. Nam Socrates philosophorum veluti parens peperit Platonem, Plato Aristotelem Peripateticorum caput et Xenocratem caput Academicorum. Facc. — Itaque et Peripatetici et Academici sese a Socrate et Platone ortos pariter dicebant. — Prius *et* abest a multis edd. Atque vere monet vir D. (Wyttenbach.) forte prius illud *et* ne a Cicerone quidem esse, certe repetitam particulam *et* in errorem duxisse Turnebum, qui *utrique* ad unum Ciceronem referret, et J. F. Gronovium et Græv. ut *utrumque* scriberent. Gottleberus in Specimine II, Animadvv. ad lib. I Officiorum Cicer. *utrique* servato, intelligit Ciceronem ipsum et filium parum probabiliter. Equidem assentior Facciolato. Grævio autem, qui *Platonicis* h. l. vult *Stoicos* ab illis diversos opponi, non *Socraticos*, adversatur præter loc. laud. etiam Orat. III, 16, 17. Gern.

16. *Utere*. Formam hanc esse futuri notat Beier. adjectis exemplis.

17. *Profecto l. n. efficies*. Beierus transp. « orat. aut. lat. efficies profecto leg. nostr. plen. » codd. MSS et vett. edd. fide, quem ordinem in notula ait Schützius se reposuisse sicut ipse ediderat, quod in nullo libro exstat *profecto efficies*. Notat Beier. Omnes interpretes hunc sensum subesse putant: « orationem autem latinam non dubito quin legendis nostris efficere possis pleniorem ». At vero ut præcedens *utere* urbane dicitur pro « veniam habes, ut utare »: sic hæc etiam accipienda pro, « orationem autem latinam magnopere te hortor ne tibi desis legendis nostris efficere pleniorem, neque de judicio meo judices, si meam velis gratiam: sic volo, sic jubeo ». Infra Beier. scribit, multis allatis exemplis, *ornataque*, quam copulam Heusing. optimorum libb. consensu sustulerat.

18. *Multis*. Veluti Varroni, Catoni, Nigidio, aliis. Bonn.

19. *Magnopere*. Gern. cum Schütz. et J. F. Heusing. *magno opere*. Suffragantibus codd. vulgatam dicit retine-

ut non solum orationes meas, sed hos etiam de philosophia libros, qui jam illos fere æquarunt[20], studiose legas. Vis enim dicendi major est in illis[21]; sed hoc quoque colendum est æquabile et temperatum orationis genus. Et id quidem nemini video Græcorum adhuc[22] contigisse, ut idem utroque in genere laboraret[23], sequereturque et illud forense dicendi, et hoc quietum disputandi genus[24]: nisi forte Demetrius Phalereus[25] in hoc numero haberi potest, disputator subtilis, orator parum vehemens, dulcis tamen; ut Theophrasti discipulum possis agnoscere. Nos au-

re deberi, ubi minorem vim habet, ut cap. 40, 145. Beierus *magnopere*.

20. *Qui jam illos fere æquarunt.* Gern. cui Beier. assentitur, scribit *illis* pro *illos*, notatque: Pronomen *se* rejecimus, ut *æquare* intransitivam vim habeat, ut ap. Liv. XXXIII, 23, Lambino, Græv. Ern. Sch. aliisque placet, « qui jam illos fere æq. » quod est in uno F. Fabricii codice. — *Æquarunt.* Mole ac numero. Siquidem Cicero multos de philosophia libros scripserat, eosque singillatim recenset in procemio de Div. lib. II. Facc.

21. *Vis enim dicendi major est in illis.* Gern. scribit : « vis enim major in illis dic. » Sic, inquit, Græv. jubet ex antiquioribus et emendatioribus libris corrigere vulgatam Gruteri lectionem « vis enim dicendi major est in illis ». Ordo autem hic melior etiam est propter opposita *sed hoc*. Commemoravit hanc lectionem H. Wolf. in Varr. Lectt.

22. *Adhuc.* Hoc Ern. unius Guelf. 4 auct. delet.

23. *Laboraret.* Gern. *elaboraret.* Hoc, inquit, post Lambinum F. Heusinger. restituit ex antiquissimis et emendatiss. Gu. 2, ut de Senect. c. 8 : « sed in literis certe elaboravi ». Brem. ad Fin. I, 4, *elaborare* de aliqua, non de maxima opera dici putat. Equidem dixerim, de aliqua opera eaque non intermissa : *laborare* est magnam operam per aliquod tempus collocare. Vid. cap. 32, 116. — Sed, ut nobis videtur, non satis est dicere lect. *elab.* altera esse meliorem : oporteret etiam ostendi lect. *laborare* pessimam esse, atque h. l. ferri nullo modo posse, antequam eam critici unius cod. auctoritate ejicerent. — Beierus putat *laborare* nihil dicere de successu laboris; *elaborare* autem velle, « aliquid assequi laborando, non frustra laborare ».

24. *Quietum disputandi genus.* Non quod disputatio careat contentione, sed quia caret actione, amplificatione et permotione animorum. Facc.

25. *Demetrius Phalereus.* In temperato dicendi genere excelluit. Dicitur *dulcis*, quemadmodum et Theophrastus, quem sequutus est, dulcis vocatur in Bruto, cap. 9. Ceterum philosophus potius quam orator habitus est. Facc.

tem quantum in utroque profecerimus, aliorum sit
4 judicium : utrumque certe sequuti sumus. Equidem et Platonem existimo, si genus[26] forense dicendi tractare voluisset, gravissime et copiosissime potuisse dicere; et Demosthenem, si illa, quæ a Platone didicerat, tenuisset, et pronuntiare voluisset[27], ornate splendideque facere potuisse : eodemque modo de Aristotele, et Isocrate judico : quorum uterque suo studio delectatus, contempsit alterum[28].

II. Sed quum statuissem[1] aliquid hoc tempore[2] ad te scribere, et multa posthac, ab eo ordiri[3] volui maxime, quod et ætati tuæ esset aptissimum, et au-

26. *Genus forense.* Beier. « genus illud forense » ex codd. multis, qui inserunt *id*, *quod*, v. *illud* compendium dicit.

27. *Pronuntiare voluisset.* Id est, afferre ad oratorias exercitationes. Facc. — Vid. Plutarch. Demosth. et Cicero compar. p. 848, ed. Francof. de Demosthene ἰάσας τὰ λοιπὰ μαθήματα... αὐτὸς αὐτὸν ἤσκει... ὡς τῶν λεγόντων ἐσόμενος. Gern.

28. *Quorum uterque suo st. delectatus, contempsit alterum.* Aristoteles videlicet oratorium dicendi genus, Isocrates philosophicum contempsit : neque enim ad æmulationem, quæ nulla inter eos fuit, istuc referendum est; ut male quidam hic annotarunt. Longius. — Quamquam Cicero de Aristotele, quem tradit Orat. II, 38, dicendi artem despexisse, in Tuscul. I, 4, eam plurimi fecisse dicit : « Sed ut Aristoteles... quum motus esset Isocratis rhetoris gloria, docere etiam cœpit adolescentes dicere et prudentiam cum eloquentia conjungere ». Comp. Orat. III, 35. Gern.

II. 1. *Sed quum statuissem aliquid hoc tempore ad te scribere, et multa posthac.* Sic Olivet. Born. alii Gern. cum Sch. scribit : « sed quum statuissem scribere ad te aliquid hoc tempore, multa posthac ». Hunc, inquit Gern. verborum ordinem oppositioni aptissimum J. F. Heusingerus restituit. Idem Heusing. delevit copulam *et*, quæ vulgo ante *multa* legitur, quum in Gu. omnibus et trib. Oxx. abesset. — *Ad te* Hotting. et Garv. subaudiunt *erudiendum*, quos reprehendit Beierus, qui intp. *scribere ad te*, *nuncupare tibi.*

2. *Hoc tempore.* Idem ad Attic. I, 15, ep. 13 : « Nos hic φιλοσοφούμενα (quid enim aliud?) et τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος magnifice explicamus, προσφωνοῦμενque Ciceroni. Qua de re enim potius pater filio? Deinde alia ». Facc.

3. *Ordiri.* Gern. post Facc. *exordiri*, qui notat : Plerique codd. *ordiri*. Sed tamen *exordiri* principio scriptionis aptissimum, et suavissimum auribus est; tum nescio an post vocales *e* et *o* frequentius, quam *ordiri*. — Beier. servat *ordiri*. *Exordiri*, inquit, est *ab aliquo principio detexere orationem.* Hic autem de eligendo primæ scriptionis argumento agitur. Cf. de

ctoritati meæ[4]. Nam quum multa sint in philosophia et gravia, et utilia, accurate copioseque a philosophis disputata : latissime patere[5] videntur ea, quæ de officiis tradita ab illis, et præcepta sunt. Nulla enim vitæ pars neque publicis, neque privatis; neque forensibus, neque domesticis in rebus; neque si tecum agas[6] quid, neque si cum altero contrahas, vacare officio potest : in eoque colendo[7] sita vitæ est[8] honestas omnis, et in negligendo turpitudo. Atque hæc quidem quæstio communis[9] est omnium philosophorum. Quis est enim, qui nullis officii præceptis tradendis philosophum se audeat dicere? Sed sunt nonnullæ disciplinæ, quæ propositis[10] bonorum et[11] ma-

Divin. II, 12, 28, pr. « Ut ordiar ab haruspicina ».

4. *Auctoritati meæ*. Manut. cum quibusdam libb. addit *gravissimum*, quod auctoritate meliorum codd. Hensingg. repudiaverunt. — *Auctoritati meæ*. Sc. paternæ senis annum ætatis tertium et sexagesimum agentis. Opponitur enim *ætati tuæ* sc. *juvenili*, cui hoc scribendi argumentum aptissimum judicat pater, III, § 5 ext. Male Hottinger. Garvium sequutus, *auctoritatem* intelligit de nomine et laude viri, qui egregiis factis inclaruisset. BEIER.

5. *Latissime patere*. Prima ratio, cur de Officiis scribat, quod materia latissime pateat ad omnem vitæ partem. FACC.

6. *Tecum agas*, etc. Solus per te agas, et tibi agas. Sunt enim officia quædam, quæ sibi quisque debet. FACC. — Cf. cap. 31, 8. Virg. Georg. I, 389 : « Et sola in sicca secum spatiatur arena ». Georg. lib. IV, v. 465 : « Te dulcis conjux, te solo in litore secum, Te veniente die, te decedente canebat ».

7. *In eoque colendo*. Facc. cum plerique MSS et edd. vett. *excolendo*. Gern. scribit « in eoque et colendo », probante Beiero.

8. *Sita vitæ est honestas omnis*. Schützius scribit « sita est vitæ honestas omnis », Grævio ex suis codd. et Gu. 1, 4, præeunte. Pearcio *vitæ* delendum videbatur, quum id paullo ante præcesserit. Schützius in hoc a Beiero reprehenditur.

9. *Quæstio communis est omnium philosophorum*. Secunda ratio, quia, quamvis quæstio hæc de officiis sit philosophorum omnium communis, non tamen revera philosophi omnes de officiis præcipere possunt, vel recte præcipere. FACC.

10. *Propositis*. Id est, constitutis. FACC. — MS Eliens. ed. Rom. *præpositis*.

11. *Bonorum et malorum finibus*. Scilicet Epicurei, qui mala definiunt dolore, bona voluptate; tum etiam sectæ ac disciplinæ aliæ ab Epicurea ortæ, vel illam erroris similitudine antegressæ, officia perturbant et corrumpunt. FACC.

lorum finibus, officium omne pervertant [12]. Nam qui
summum bonum sic instituit [13], ut nihil habeat cum
virtute conjunctum; idque suis commodis, non ho-
nestate metitur : hic, si sibi ipse consentiat [14], et
non interdum naturæ bonitate vincatur, neque ami-
citiam [15] colere possit, nec justitiam, nec liberalita-
tem [16]. Fortis vero, dolorem summum malum judi-
cans; aut temperans, voluptatem summum bonum
6 statuens, esse certe nullo modo potest. Quæ quam-
quam ita sunt [17] in promptu, ut res disputatione non
egeat, tamen sunt a nobis alio loco [18] disputata. Hæ

12. *Pervertant*. Gern. qui dat *pervertunt*, scribit : Ernest. more suo post *sunt qui* conjunctivum *pervertant* scribit consentientibus quatuor MSS. Reliqui libri omnes respuunt conjunctivum : cujus usus in hac dicendi forma hanc duplicem habet cautionem; altera est, si verbo *sunt* aliquod subjectum est adpositum, quo sequens pronomen referatur, ut h. l. et c. 14, 43; cap. 20, 69; cap. 30, 109 (ubi tamen in altero membro *perpetiantur* retinendum est, quod est, perpeti parati sunt), de Fin. V, 14, 38 : « Sunt autem bestiæ quædam, in quibus inest, etc. » quem locum Ernest. non ausus est mutare. Altera indicativi causa est, si inter pronomen *qui* et sequens verbum una enuntiatio vel plures sunt interjectæ, sic, ut verbum remotius, modo ne omnes codd. repugnent, superioris structuræ oblitum videatur. Huc referri potest etiam l. l. cap. 20, 69, et cap. 24 extr. ad quem locum quæ F. Heusingerus monuit, ea litem hanc omnem non dirimere, sed omnia miscere, docuit Bremius ad Fin. I, 20. Eamdem vid. ad Cornel. Nep. Miltiad. c. 3, 2. — Gern. Beierus assentitur.

13. *Sic instituit*. Id est, hujusmodi esse statuit. Alii omittunt *sic*. Facc.

14. *Si sibi consentiat*. Si semper eodem modo sentiat, et vivat quemadmodum sentit; nec natura ipsa monente, revocetur aliquando ad honestatem. Facc.

15. *Neque amicitiam*. Quia qui suis commodis summum vitæ bonum metitur, se ipsum dumtaxat diligit. Hic autem late sumitur amicitiæ nomen pro ea, quæ in primo de Leg. cap. 13, dicitur « naturalis quædam indulgentia et benivolentia, qua homines inter se continentur ». Alii leg. « fit, ut neque amicitiam »; quæ est additio alicujus grammatici. Facc.— Excluduntur hæc duo *fit ut* in Grævii et Heuss. libris optimis. Gern.

16. *Nec liberalitatem*. Stultus enim videretur qui suas utilitates aliis concesserit. Vide Lactant. lib. V, cap. 16; Cic. infr. lib. III, cap. 33, med. M. Heusing.

17. *Quæ quamquam ita sunt*. Gern. post Heusing. scribit *sint;* dedit et Schütz.

18. *Alio loco*. In libris de Finibus et in libro quarto Tuscul. Quæst. Facc.—Vid. Fin. II, c. 5-7. Ceterum verbis seqq. « Hæ disciplinæ igitur, etc. » recurrit oratio ad eum locum, unde

disciplinæ igitur si sibi consentaneæ esse velint[19], de officio nihil queant dicere; neque ulla officii præcepta firma, stabilia, conjuncta naturæ[20], tradi possunt, nisi aut ab iis, qui solam[21], aut ab his, qui maxime honestatem propter se[22] dicant expetendam. Itaque propria est ea præceptio stoicorum, academicorum, peripateticorum; quoniam Aristonis, Pyrrhonis, Herilli[24], jam pridem explosa[25] sententia est: qui tamen haberent jus suum[26] disputandi de officio, si rerum aliquem delectum[27] reliquissent, ut ad officii inventionem aditus esset. Sequemur[28] igitur hoc quidem tempore, et hac in quæstione potissimum[29] stoicos,

defluxerat: « Sed sunt discipl.... pervertant ». Comp. c. 45, 59. Gern.

19. *Esse velint.* Gern. *velint esse.* Sic, inquit, Heusinger. e MSS Gu. omnibus et Gryph. Vid. c. 27, extr. Rell. *esse velint.*

20. *Conjuncta naturæ.* Ex naturæ fonte ducta, et ad naturam accommodata: siquidem a naturæ principiis officia omnia proficiscuntur, ut infra explicabit. Facc. — *Conjuncta naturæ* sunt *principia* universæ naturæ humanæ, ejusque principatui consentanea. Beier.

21. *Qui solam...qui maxime.* Nudam honestatem admittunt Stoici, eamque unam sequendam esse dicunt; Academici et Peripatetici maxime, post eam bona alia, tamquam honestatis præsidia et instrumenta. Facc. — Vide III, 3, 7 et 8; Tuscul. V, 7, 8, 12. Gern.

22. *Propter se.* Ex sua vi ac dignitate, ipsam per se primam. Facc.

23. *Itaque.* Gern. scribit *Ita*, notatque: Sic pro vulg. *Itaque* recepimus hic et c. 3, 10, aliisque in locis, ubi sententia, quæ sequitur, arctius adnectitur superioribus.

24. *Aristonis, Pyrrhonis, Herilli.* Vide lib. V de Fin. c. 8. Facc. — Adde huc Acad. IV, c. 42; Diog. Laert. VII, 165. — Atque hi tres philosophi omnes res, præter virtutem et vitium, posuerunt in summa æqualitate. Born. — Alii libri habent *Pyrrhonis et Herilli.* Gern.

25. *Explosa.* Rejecta tamquam absurda. *Explodi* dicuntur histriones, quum a spectatoribus, quibus displicent, strepitu excipiuntur et ejiciuntur. Vid. Parad. III, 2. M. Heusing.

26. *Jus suum.* Quandoquidem et ipsi sunt philosophi. Facc.

27. *Si rerum...delectum.* Ea siquidem ex officio fiunt, quæ in deliberationem cadunt; et, habito delectú, cum ratione fiunt. Al. leg. *dilectum* et hic et alibi: quod semel monuisse sufficiat. Facc. — Rerum nullum discrimen reliquerunt, dum paria omnia esse dixerunt. M. Heusing.

28. *Sequemur.* Sic Oliv. Born. Sch. *Sequimur* Gern.

29. *Potissimum Stoicos.* Interdum delabitur ad Peripateticos, pro veteri Academicorum instituto. Idcirco *potissimum* dicit. Ceterum in hac disputa-

non ut interpretes; sed, ut solemus, e fontibus eorum, judicio arbitrioque nostro, quantum quoque [30] modo videbitur, hauriemus [31].

7 Placet igitur, quoniam omnis disputatio de officio futura est, ante definire, quid sit officium [32]: quod a

tione Stoicos sequi maluit; quia Stoici de virtute honorificentissime senserunt. Facc. — Stoicorum nobilissimorum nomina vid. Fin. I, 2, 6. Gern. — Primus librum περὶ τοῦ καθήκοντος inscriptum edidisse videtur Zeno Citticus (vid. Diog. Laert. VII, 4, 108); deinde Cleanthes libros tres (ib. 175): Chrysippus (vid. Sext. Empir. III, Pyrrh. hypot. 25), cujus liber VI et VII citatur a Plutarcho de Stoic. repugn. Beier.

30. *Quoque.* Certe hæc vera esse debet lectio, ubi *quoque* valet *et quo*; quod ut notaret Oliv. post *quantum* virgulam posuit. — *Quantum quoque modo.* Alii, « quantocumque modo ». Ego malim, « quantum et quoque modo ». Facc. — Non recedendum est ab eo, quod in Gu. 2, 4, 5, impr. incert. Lipss. et ed. Ascens. servatur. De re vid. II, 2, § 8; Fin. l. l.

31. *Hauriemus.* Ern. mallet *haurientes*, quod Heusingero durum videtur. Gern.

32. *Definire, quid sit officium.* Non loquitur de definitione propria, plena et perfecta, quam vulgares logici *essentialem* dicunt; sed talem quamdam descriptionem intelligit, quæ satis sit ad tollendas nominis ambiguitates; « ut inter quos disseritur (de Fin. lib. II, c. 1) conveniat, quid sit id, de quo disseratur ». Nihilo plus requiritur in disputationum principiis. Itaque corruit Cœlii Calcagnini disquisitio, in qua Ciceronem accusat, quod officium non definierit per genus et differentiam. Facc. — Satis acriter reprehendit etiam Hottingerus in nota ad huj. l. vers. Ciceronis negligentiam, qui promissum non fecerit. Non defuerunt autem qui defenderent, ut Manutius, Ciceronem dividendo definisse. J. M. Heusinger. comprobante Viro D. in Biblioth. crit. Vol. II, P. I, p. 68, eum ita definisse officium, ut ejus generis formas antea exponeret. F. L. Becherus, Observatt. critic. ad quosd. script. vett. Lips. 1808, p. 47, judicat ex sequenti divisione officiorum aptissimam prodire illorum definitionem. Recte, *officiorum*, non *officii*. Van Lynden in disputat. historico-crit. de Panætio Rhodio, Lugd. Batav. 1802, p. 39 (quem locum Becherus l. l. inseruit) censet: quum Panætius suo ipse judicio et popularis elegantiæ ac perspicuitatis studio (Fin. IV, 28), definitionem divisionemque officii omisisset; Ciceronem vacuum istum locum ex mediis Stoicorum spinis explevisse sic, ut tamen definiendi diligentia desideretur. Equidem assentior. Cicero nimirum, dialecticorum more, extremo procemio definiendi viam præscribit, quin quærat, numquid in re ipsa sit, quod usitatæ definitionis formam repudiet, ut in hac quæstione Stoicis, quos sequitur, nulla officii universi propria definitio constituitur; sed quæ generis est, eadem est partis illi subjectæ, h. e. medii officii, definitio. Vid. c. 3, 8, 29, pr. Fin. III, 17, 58. Ita nostro idem fere accidit, quod Platoni, quem Phædr. c. 29, εἰδέναι δεῖ, περὶ οὗ ἂν ᾖ ἡ βουλή, ex-

Panætio[33] prætermissum esse miror. Omnis enim, quæ a ratione[34] suscipitur de aliqua re, institutio, debet a definitione proficisci; ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur.

III. Omnis de officio[1] duplex est quæstio. Unum genus est[2], quod pertinet ad finem bonorum[3]; alterum, quod positum est in præceptis[4], quibus in omnes partes usus vitæ conformari[5] possit. Superioris generis[6] hujusmodi exempla sunt: Omniane officia perfecta[7] sint; num quod officium[8] aliud alio majus sit;

tremo hoc capite expressit. Plato enim, postquam sic præcepit, tantum abest ut ἔρωτα definiat, ut statim addat περὶ ἔρωτος... ὁμολογίᾳ θέμενοι ὅρον, εἰς τοῦτο ἀποβλέποντες... τὴν σκέψιν ποιώμεθα. Gern.

33. *Panætio*. Rhodio, philosopho stoico, de quo dicetur ad lib. III, 2, 8, et h. l. 26, 5.

34. *Quæ a ratione suscipitur*. Est: quam ratio suscipit, institutio. Vid. Ep. XIII, 10, pr. qui locus ex Heusingeri exemplis h. l. commemoratis unus huc pertinet. Adde Sall. Jug. c. 31: « ut vobis animus ab ignavia et socordia corruptus sit », et de toto hoc prosopopœiæ genere ad cap. 4, § 14. Ita non est, ut præpositionem *a* excludamus, quamquam ablativus *ratione* sine præpos. est usitatior, ut Fin. II, 1 extr. Gern.—Beierus delevit *a*, non admittens hanc rationis prosopopœiam. — Schot. intp. Omnis tractatus, qui rationaliter ad tractandum sumitur.

III. 1. *Omnis de officio*. Quoniam officium multis modis dicitur, et inter ambigua refertur, idcirco visum est Ciceroni illud definire per divisionem: qui modus est idoneus et usitatus. Vide Rudimenta Logicæ nostræ, Syntagma III, cap. 5. Facc.

2. *Unum genus est*. Prima quæstio quodammodo theoretica est: quæritur enim, quinam sit finis ultimus expetendorum, quod summum bonum dicitur. Facc.

3. *Ad finem bonorum*. Id est, ad constitutionem, ut ait Seneca, summi boni, ad veram ac perfectam summi boni cognitionem et intelligentiam. Muret.

4. *In præceptis*. Altera quæstio de officio ad praxin refertur, quomodo vitæ rationes, moresque institui debeant. Facc.

5. *Conformari*. Sic Facc. Recte recepit cum Manutio ex duobus libris Lambin. Græv. Ernest. e cod. Duisb. et Heus. pro vulg. *confirmari*, quod, defendente Pearcio, Olivet. retinuit. J. F. Heusingerus de suis libris tacet. Vid. Fin. IV, 2, 5; V, 6, 15. Gern. — *Conformari* est institui, componi, dirigi ad certam normam.

6. *Superioris generis*, sc. quo quæstiones theoreticæ continentur.

7. *Omniane officia perfecta*. Id est, omnibus numeris absoluta, ac proinde paria, quod sentiebant Stoici. Facc.

8. *Num q. officium*. Heusingeri, quos Schütz. sequitur, dant *numquid officium*. Atque pronomen *quod*, quum sequitur *aliud alio*, pro « num quod offi-

et quæ sunt generis ejusdem[9]. Quorum autem officiorum præcepta traduntur, ea[10], quamquam pertinent ad finem bonorum[11], tamen id minus apparet[12], quia magis ad institutionem vitæ communis spectare videntur : de quibus est nobis his libris explicandum.
8 Atque etiam alia divisio[13] est officii. Nam et medium quoddam officium dicitur, et perfectum. Perfectum officium, rectum[14], opinor, vocemus, quod Græci κατόρθωμα, hoc autem commune[15] καθῆκον[16] vocant.

cium sit, quod, aliud alio », id est, ceteris officiis *majus sit*, non magis offendere debebat Heusingerum, quam Parad. III, 1 : « In quo peccatur, id potest aliud alio majus esse, aut minus ». Fin. IV, 19, 54, « si in ceteris rebus esset quidquam, quod aliud alio melius esset aut pejus ». *Quid* et *quod* in codd. confusum vid. cap. 45, 160. Gern.— Beierus reduxit cum Schütz. *numquid*, quia, inquit, aliter hæc quæstio potius pertineret ad consilii capiendi deliberationem ; de qua his ipsis libris explicabitur.

9. *Aliud alio majus... generis ejusdem*. Quod sentiebant philosophi alii, ut Peripatetici, qui gradus in officio admittebant. Facc.

10. *Quorum autem..... ea*. Int. ea autem officia quæ posita sunt in præceptis, quamquam, etc.

11. *Ad finem bonorum*. Etiam præcepta referuntur ad finem bonorum, quem sibi quisque in omni vita proponere debet, tamquam curriculi metam ; tamen proxime ad actionem spectant, et ad institutionem vitæ communis. Vid. de Fin. lib. V, cap. 6. Facc. — In seqq. Beier. transp. *minus id*.

12. *Tamen id minus app*. Schütz. scribit « tamen id minus app. » quod habent plerique MSS et scholiastes vet. probante Heusingero.

13. *Alia divisio*. Dividitur etiam officium ex doctrina Stoica, ut sit vel *perfectum rectumque*, vel *medium*, quod commune dici potest. Primum illud Græci vocant κατόρθωμα, alterum καθῆκον. *Media* officia in III, 4, dicuntur « quasi secunda quædam honesta, non sapientum modo propria, sed cum omni hominum genere communia ». Ceterum idcirco a Stoicis dicuntur *media*, quod nec in bonis ponantur, nec in contrariis. Vid. Fin. III, 17. Facc. —Vid. Simpl. procem. in Epict.

14. *Rectum*. *Rectum* vocant, id est, nullo modo inclinatum, nullaque ex parte deficiens, quod uno modo se habet, nec cadit nisi in hominem ex Stoica disciplina sapientem. Hoc genus officii tam rarum est, quam rara sapientia Stoica. Facc.

15. *Commune*. Ita *medium* officium vocari potest, quia cadit in plures, id est, in eos, qui errare aliquando pro humana infirmitate solent ; sed tamen, quod faciunt, adhibito delectu, et probabili ratione faciunt. Hi sunt, quos communiter dicimus viros bonos et honestos. Facc.

16. Καθῆκον *vocant*. Alii, ut Ven. 4, Lamb. Ald. legunt *quod ii καθ. voc.* alii alia in hoc membro movent. Ego totum (*Perfectum offic... vocant*) existimo aliunde adscitum ; immo et

Atque ea sic definiunt, ut, rectum quod sit, id perfectum officium esse definiant; medium autem officium id esse dicant[17], quod, cur factum sit, ratio probabilis[18] reddi possit.

superius. Cur enim opus erat, ut Cicero diceret, se opinari *perfectum* officium vocari *rectum*, si statim docet, ita prorsus a Stoicis definiri, ne vocula quidem addita, aut mutata? Attamen nihil movere ausim; quod D. Ambrosius locum hunc imitatus videatur in lib. III de Offic. cap. 2: «Hoc catorthoma, quod perfectum et absolutum officium est, etc. cui secundum est commune officium». Nisi forte ex hoc ipso Ambrosii loco facta est additio Ciceroni. FACC. — Hæc suspicio, inquit Gern. qui post *commune* addit *officium*, probabilis videtur viro D. in Bibl. crit. l. l. itemque quod Facciolatus initio proximæ periodi *Eaque* substituit pro *Atque*. At non bis dicit Cicero, rectum vocari perfectum officium et ab ipso et a Stoicis; sed priore loco latinum nomen quærit, quod græcum κατόρθωμα e verbo exprimat. Κατόρθωμα autem quum a vi et natura perfecti officii ducatur, non mirum Stoicis latine sic definiri, ut *quod rectum sit*, h. e. non, quod rectum sit officium, ut interpretatur vir D. in Bibl. crit. II, 8, pag. 68, sed quod recte factum sit, id *perfectum officium* appellent. Vid. Fin. III, 18, 59; ibid. IV, 6, 15. Ita profecto nulla erit vocabuli *rectum* non eodem modo repetiti offensio. Prorsus autem hujus loci sensum pervertit J. F. Heusingerus, qui «perfectum, inquit, officium, puto, vocare mihi licebit illud, quod a Stoicis rectum, græce κατόρθωμα dicitur: illud vero medii officii nomen communi officio ponunt». Immo perfectum et medium officium nomina sunt a Stoicis inventa, quæ Cicero interpretatur *perfectum* per rectum, *medium* per commune. Deinde, mutata prioris enuntiationis forma, *hoc autem commune* non scripsit pro *illud autem commune*, quod Heusingeri volunt; sed *hoc* dicitur propter frequentiam officiorum mediorum, quæ sunt omnino omnium communia, nulla ratione habita ejus loci, quo illud *medium* legitur. — Hervag. et alii nonnulli: «hoc autem commune officium καθῆκον μέσον vocant», quod Schütz. placebat, quia, ut J. F. Heusinger. monuit, Stoici officium non in κατόρθωμα et καθῆκον dividebant, sed ipsum καθῆκον duplex, alterum κατόρθωμα, alterum καθῆκον μέσον, seu simpliciter μέσον vocabant. — Beier. cum Gern. *officium* addidit, idemque v. μέσον damnat.

17. *Esse dicant.* Gern. sequente Schützio, scribit *esse dicunt.* — Miscet Gern. vir Clar. comparans § 5: «qui summum bonum sic instituit, ut nihil habeat cum virtute conjunctum, idque suis commodis... metitur»: recte ibi monente Ernest. *idque* conjungendum cum superiori *qui*, etc. non cum proxime præcedente *ut.* In hoc loco *que* valet *potiusque.* Potest tamen nostro loco post κατόρθωμα etiam colo interpungi, ut sit ellipsis, per se satis usitata. Sic Fin. III, 16, 55, «efficientia, quæ Græci ποιητικά». BEIER.

18. *Ratio probabilis*, etc. «Quod ratione actum est, inquit in lib. III de Fin. cap. 17, id officium appellamus». Itaque operis hujus argumentum et materia est officium illud, quod

9 Triplex igitur est[19], ut Panætio videtur, consilii capiundi[20] deliberatio. Nam, honestumne factu[21] sit, an turpe, dubitant, id, quod in deliberationem cadit. In quo considerando sæpe animi in contrarias sententias distrahuntur. Tum autem aut[22] anquirunt, aut consultant, ad vitæ commoditatem jucunditatemque[23], ad facultates rerum[24] atque copias, ad opes, ad potentiam, quibus et se possint juvare, et suos, conducat id, necne, de quo deliberant. Quæ deliberatio omnis in rationem utilitatis cadit. Tertium dubitandi genus est, quum pugnare videtur cum honesto id, quod videtur esse[25] utile. Quum enim utilitas ad se rapere[26], honestas contra revocare ad se videtur,

Stoici *medium*, alii commune vocant. Facc. — Diog. Laert. VII, pag. 274 (ed. Stephan.) definit καθήκοντα, ὅσα λόγος αἱρεῖ ποιεῖν, et, quos laudavit Wyttenbachius l. l. Gern.

19. *Triplex igitur est.* Beier. transp. « triplex est igitur ». Panætius, quem sequitur in his libris Cicero, trifariam de officio quærebat: primo quidem, Honestumne factu sit, an turpe, quod in deliberationem cadit: deinde, Utilene, an inutile: postremo, Honestumne præferendum sit utili, an utile honesto. Vid. lib. III, cap. 1. Facc.

20. *Consilii capiundi.* Id est, alterutram partem eligendi in omni vitæ usu, de quo dubitetur. Facc.

21. *Factu sit.* Gu. pr. quint. et in pr. Magont. *factum sit*, Gu. quart. *sit factum*, ut Sallust. Catilin. 32, 1; Horat. Serm. I, 4, 24. Sed nihil mutandum. M. Heusing.

22. *Tum autem aut anquirunt.* Aldus et Facc. cum multis libb. *inquirunt.* Sed Gern. qui ceterum v. *autem* delevit, notat: Plerique codd. hoc et aliis locis *inquirere*, *anquirere*, *acquirere* confundunt, ut cap. 4, 11. Ernest. ad II, 13, n. 44, male contendit *anquirere* idem esse, quod *inquirere*, nec differre nisi pronuntiatione. Different autem etiam sensu. *Anquirere*, quod Fest. et Voss. de Anal. IV, 24, p. 268, interpretantur circum-ambi-ἀμφι-quærere, est quærere, quo utaris, quod tibi adjungas; vide Græv. ad Læl. cap. 23, 87: *inquirimus*, quæ scire cupimus. Itaque probandum est *aut anquirunt*, *aut c.*

23. *Jucunditatemque.* Hinc apparet jucunda quoque huc revocari, quatenus habent condimenti aliquid, ut dicitur in fine lib. III. Facc.

24. *Ad facultates rerum.* Ad rem quærendam, ad necessaria vivendi et agendi præsidia. His majores sunt copiæ, quæ detractis necessariis sumptibus superant. M. Heusing.

25. *Esse utile. Esse* a quinque libb. abesse dicit J. F. Heusinger. sed consuetudine Cic. defendi.

26. *Utilitas ad se rapere.* Utile pugnat aliquando cum honesto. Vide lib. III, cap. 7. Porro utilitas dicitur *rapere*, honestas *revocare*, quia honestas conjuncta naturæ est. Adde,

fit, ut distrahatur deliberando animus, afferatque ancipitem curam cogitandi[27]. Hac divisione (quum 10
præterire aliquid maximum vitium in dividendo sit), duo prætermissa[28] sunt. Nec enim solum utrum honestum, an turpe sit, deliberari solet, sed etiam, duobus propositis honestis, utrum honestius; itemque, duobus propositis utilibus, utrum utilius. Ita, quam ille triplicem putavit esse rationem[29], in quinque partes distribui debere reperitur. Primum igitur est[30] de honesto, sed dupliciter; tum pari[31] ratione de utili; post de comparatione eorum disserendum.

IV. Principio[1] generi animantium omni est a natura 11
tributum, ut se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur, quæque[2] ad viven-

utilitatem, quæ pugnat cum honestate, videri non esse. Facc.

27. *Afferatque anc. cur. cogitandi.* Quia durum videbatur « animum afferre anc. curam cogitandi », Gronov. conj. *cogitatio*, Pearc. *cogitanti*, vel *afferantque:* sed nihil opus: non enim sibi ipsi animus affert curam, sed secum afferet ad rem deliberandam. M. Heusing.

28. *Duo prætermissa sunt.* Arguitur Panætius, quod duas partes prætermiserit. Quinque igitur partes hujus divisionis esse debent. Prima: honestumne sit, an turpe. Secunda: utilene, an inutile. Tertia: utrum ex duobus honestis sit honestius. Quarta: utrum utilius ex duobus utilibus. Quinta: honestumne utili, an utile honesto sit præferendum. Facc. — Sed defendit Panætium M. Heusing. quod Stoici non concedebant aliud alio esse honestius aut utilius.

29. *Rationem.* Consilii capiendi deliberationem.

30. *Primum igitur est.* Schütz. scribit « primum est ig. » ex Guelf. 4 et edd. vett. quod probat Beier. qui tamen mallet *est* deleri. — Dividit opus de Officiis in libros tres. In primo agit de honesto, quod primam et tertiam quæstionem continet: in secundo de utili, quod complectitur secundam et quartam: in tertio de pugna honestatis cum utilitate, quod pertinet ad ultimam. Facc.

31. *Pari ratione.* I. e. dupliciter.

IV. 1. *Principio*, etc. Capitis hujus doctrina fere tota, ac totidem verbis expressa est in lib. II de Fin. cap. 14, quem locum consule. Ut inquirat honesti semina et principia in natura, primum illud animadvertit, omne animal secundum naturam vivere, et quidquid agit sive ad conservationem sui, sive ad speciei propagationem, ex appetitu agere a natura dato. Adde huc quæ sunt in lib. V de Finib. cap. 9. Facc. — Cf. Diog. Laert. VII, 85. — *Principio.* Scil. primum ante omnia; quod primum constat. M. Heusing.

2. *Quæque ad vivendum sint ne-*

dum sint necessaria, anquirat[3], et paret, ut pastum, ut latibula, ut alia ejusdem generis[4]. Commune[5] item animantium omnium est conjunctionis appetitus, procreandi causa, et cura quædam eorum, quæ procreata sunt. Sed inter hominem[6] et belluam hoc maxime interest, quod hæc tantum[7], quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest, quodque præsens

cessaria. Gernhard. scribit, sequente Schützio, « omniaque quæ ad vivend. sunt necessaria ». Gern. notat : Est in Vin. et nonnullis impr. Græv. in fine editionis 1691 corrigit « omnia quæ sint ». « Omniaque quæ » optimi libri Langii, duo Gulielm. omnes Gu. Gothofr. tres Ox. Excerpta Bedæ et Eydi, Ald. Lugdun. 1527, Gryph. aliique tuentur, ut II, 17, 60. Iidem codices tantum non omnes *sint* post *quæque* ponunt, ut Ern. Oliv. dedere : Facciolatus cum paucis lib. post *vivendum. Quæ sunt ad* Gu. 1, libri Langii, et duo Gulielm. idque recepi. Quamquam non continuo probabitur, quod λ, μ, ψ tenent, *videntur* pro *videantur.* Non enim eadem nocitura videntur omnibus.

3. *Anquirat.* Ex Gu. 2 et e libris Lang. et Fabr. cum Heusing. dedimus. Facciolato placuit *acquirat*, quod est in Goth. et Gu. 3. Rell. pessime *inquirat.* Vide ad § 9. Gern.

4. *Ejusdem generis.* Sic Grut. Gron. Ern. Oliv. et impr. vett. contra Gern. Schütz. post Græv. et Heusing. *generis ejusdem*, quod et in Gu. omnibus, uno excepto.

5. *Commune autem.* Facciol. *item*, qui notat : Alii leg. *autem.* Non recte : siquidem illud ipsum, quod antea posuit, commune est omni animantium generi ; et idcirco utrumque a natura. *Commune* porro dicit, pro *communis*, græco more. Ad primum hoc officii genus pertinet amor et defensio sui, cibi tectique inquisitio, et propagationis cura. — Contra Gern. qui post Heusing. *autem* dedit, observat : *item* dederunt etiam post Aldum 1561, et H. Wolf. Pearc. Oliv. Ern. Erfurdt. in notis MSS ; sed dissentientibus omnibus libris scriptis, qui defendunt *autem*, si excipias quosdam Balduini, nescio an non scriptos codices, qui habent *item. Autem* adhibetur in rebus quodam ordine enumerandis ; atque ut h. l. post *principio*, id est, primum, sic cap. 5, 17, 15, 44 ; Acad. I, 4, 17 ; Fin. III, 20. — *Commune autem.* Hanc lect. in nota retinere videtur Schütz. In textu autem ipse edidit *item*, quod commendat Davis. ad lib. II de Divin. cap. 1. Sed eodem modo Græci loquuntur Κοινὸν δ' ἐστὶ, etc. præcedente in priori enuntiatione μέν : quo significatur, « eadem ratione commune esse ». Beier.

6. *Sed inter hominem*, etc. Bellua tantummodo sentit, homo sentit et intelligit ; in illa est anima, in homine animus quoque, id est, mens et ratio, secundum quam operatur. Et quia ratio quoque ipsa est a natura, officia inde ducta congruere naturæ debent. Facc.

7. *Tantum*, *quantum*, etc. Int. sensus moventis impressiones in præsens tantum momentum accipit, acceptasque semel obliviscitur, futurasque non providet.

est, se accommodat, paullulum[8] admodum sentiens præteritum, aut futurum. Homo autem, quod rationis est particeps[9], per quam consequentia cernit, causas rerum videt, earumque progressus, et quasi antecessiones[10] non ignorat, similitudines comparat[11], et rebus[12] præsentibus adjungit atque annectit futuras: facile totius vitæ cursum videt[13], ad eamque degendam[14] præparat res necessarias. Eademque[15] natura 12
vi rationis hominem conciliat homini et ad orationis,

8. *Paullulum. Paullum* pro quo Gu. 5, λ, μ, imprr. vett. *paulum*, post Heusingerum dedi ex Gu. 2. Cum reliquis Facciolatus *paullulum*, quod Schützio placuit, invito Gœrenzio ad Fin. V, 20, 55.

9. *Quod rationis est particeps.* Ita J. F. Heusing. et Gu. 1, 2, 5. Idem Balduinus reperit in vetustis exemplaribus, et Grævius in suis libb. Facciolatus cum Vinar. et Pearcio *quoniam*. Rell. *qui*. Gern. — Beier. ob varietatem lect. conj. vv. *quod* et *est* spuria esse.

10. *Progressus, et quasi antecessiones.* Quomodo res progrediantur, seque ipsæ inter se antecedant, et alia aliam pariat. Alii leg. *prægressus*, id est, causas prægressas; sed incidunt in ταυτολογίαν, quum *causas* jam nominarit, atque adeo *principia et causas*, ut quidam legunt. Facc. — De *causis antecedentibus*, quas h. l. *antecessiones* dicit, quæ quædam afferunt per se adjuvantia, etsi non necessaria, atque a Stoicis *perfectis* opponuntur, vide de Fato, cap. 15-19. — Vide Turneb. Advers. lib. XXVI, cap. 22. Schütz. conj. *eventorumque progressus.*

11. *Similitudines comparat.* Similia transfert ad similia et comparat. Conf. de Fin. lib. II, cap. 14. Gern.

12. *Et rebus.* Sic Gern. In seqq. Facciolatus cum vulg. dedit *et rebus*, pro quo Heusingeri e plerisque suis *rebusque*, quod etiam Ascensio, Balduin. Gern. et Schütz. placebat.

13. *Facile... videt.* Hæc cohærent cum præcedentibus *homo autem*. Quæ interposita sunt « quod rationis est particeps », usque ad « futuras » rationem reddunt, quam nonnulli parenthesi includunt.

14. *Ad eamque degendam præparat res necessarias.* Facciol. scripsit: « ad eamque regendum », ad voc. *cursum* accommodatius, non item ad *res necessarias;* in Gu. 2, 4, ψ et aliquot Ox. legitur *regendam*.

15. *Eademque natura.* Primum consideravit hominem, ut animal est; deinde ut rationale; nunc ut sociale considerat: in primisque ad partem hanc virtutum officia revocat, et omnem honesti rationem inde ortam. Ibid. « Eademque ratio fecit hominem hominum appetentem, cumque his natura et sermone et usu congruentem, ut profectus a caritate domesticorum ac suorum serpat longius, et se implicet primum civium, deinde omnium mortalium societate ». Hinc apparent prima honesti semina, quæ ad justitiam pertinent. Facc. — Grævius in fine editionis 1691 præfert lectionem Schol. Gu. 1. Pearcii et Heumanni *Eadem natura.*

et ad vitæ societatem[16]; ingeneratque in primis præcipuum quemdam amorem in eos[17], qui procreati sunt; impellitque, ut hominum cœtus, et celebrationes, et esse, et a se obiri velit[18]; ob easque causas studeat parare ea, quæ suppeditent[19] et ad cultum, et ad victum; nec sibi soli, sed conjugi, liberis, ceterisque, quos caros habeat, tuerique debeat. Quæ cura[20] exsuscitat etiam animos, et majores ad rem

16. *Et ad vr... societatem.* Ut alter alterius colloquium et convictum appetat. M. Heusing.

17. *Ingeneratque in primis præcipuum quemdam amorem in eos, qui procreati sunt.* Membrum hoc respicit verba modo allata ex loco de Fin. « profectus a caritate domesticorum ». Valde dubitavi, num ex iis formatum fuerit ab aliquo Aristarcho, et huc insertum. Nam profecto sine illo rectius cohæret oratio. Facc. — « Verba *impellitque..... velit* (hoc Erfurdtius meus monet in notis MSS) Sluiterus ante *ingenerat* ponit, legitque *studet.* Vide (Schæferi) Thesaur. crit. novus, pag. 217. Probavit hanc conjecturam Wolfius in prælectt. encyclopæd. quarum penes me est MS ». Quam ingeniosam conjecturam quominus nos comprobemus, prohibent loci huic simillimi, in quibus prima naturæ eodem ordine constituuntur; primum sermonis usus; deinde caritas domesticorum; tum societas civium; denique omnium hominum. Vid. præter Fin. II, 14, l. l. ibid. III, 19, 62; ibid. V, 23, 65. Gern.— *Præcipuum quemdam.* Hæc addita sunt, ut hominis, qui rationis est particeps, « amor in eos qui procreati sunt », distinguatur a *communi* bestiarum quoque « cura quadam eorum, quæ procreata sunt ».

18. *Et celebrationes, et esse, et a se obiri velit.* Facc. *celebrationes* mutat in *celebritates*, quia alterum minus est usitatum, notatque : Sensus est, homines natura ferri ad vitam consociandam; ideoque et cœtus fieri et celebritates frequentari. Ego totum membrum ita legere malim : « impellitque, ut hominum cœtus et concilia esse, ac celebrari velit ». Hoc enim loco civitates Cicero significat, quæ dicuntur in Somnio Scipionis, cap. 4, concilia cœtusque hominum jure sociati. —Hac mutatione non opus esse docuit Heusing. patruus ex orat. pro Sulla, cap. 26 : « Quæ domus? quæ celebratio quotidiana? » Nostram autem lectionem Turneb. Advers. xxvi, 32, Balduin. et Gulielm. in vetustis libris scriptis invenerunt, et Lang. e suis et Heusing. e Gu. 2 et 1, in quo sunt ejus lect. vestigia, receperunt pro vulg. « et celebrari inter se et sibi obedire velit ». Gern. — Olivet. scripsit : « ut hominum cœtus celebrare inter se et a se obiri velit ». — *A se obiri.* I. e. et obire.

19. *Suppeditant*, pro quo Facc. dedit *suppetant*, in omnibus libris scriptis et in plerisque impressis ab Heusingeris inventum et defensum est. Adde Tuscul. V, 37, 108; Donat. ad Terent. Eunuch. V, 9, 46; Ruhnken. ad Rutil. Lup. de fig. sentent. II, 9, pag. 117. Marsus et Wolf. dederunt *suppeditent.*

20. *Quæ cura.* Cura hæc, homini a

gerendam[21] facit. Inprimisque hominis est[22] propria 13
veri inquisitio, atque investigatio. Itaque quum sumus necessariis negotiis curisque vacui, tum avemus aliquid videre, audire, addiscere[23]; cognitionemque rerum aut occultarum aut admirabilium ad beate vivendum[24] necessariam ducimus. Ex quo intelligitur, quod verum, simplex, sincerumque sit, id esse naturæ hominis aptissimum. Huic veri videndi cupiditati adjuncta est appetitio quædam principatus[25], ut nemini parere animus bene a natura informatus[26] velit, nisi præcipienti, aut docenti[27], aut utilitatis causa, juste

natura infixa, animum exacuit, promptioremque facit ad agendum, quod agere debet. FACC.

21. *Ad rem gerendam.* Jo. Frid. Gronovius, Grævio non improbante, mallet « ad rem quærendam », quod *rem gerere* ad fortitudinem pertineat, de qua hic non sit sermo. Sed *rem gerere* latius patet; ad omnem, non bellicam tantum, sed et domesticam industriam accommodatur. M. HEUSING.

22. *In primisque hominis est*, etc. Sequitur prudentia, ad quam refertur cognitio omnis. Ait igitur maxime propriam hominis curam esse, ut verum inquirat, quod probat ex curiositate videndi, audiendi, discendi. Hanc quoque honestatis partem ad hominem ut sociabilem pertinere docet in lib. III de Fin. cap. 20. GERN.— *Veri inquisitio.* Est omnino studium, quid in quaque re verum sit, perspiciendi, *veri investigatio* autem indicat difficilem et operosam veri perscrutationem, dum vestigia veritatis passim latentia legimus ac persequimur. BEIER.

23. *Videre, audire, addiscere.* Ita Gu. 1, 3, 4, impr. Mag. incert. ed. Ascens. Balduin. Lamb. Græv. Facc. Ern. Schütz. In Gu. 2, aliquot Oxx. et libris impress. ed. Wolf. Anemœc. Heuss. *ac discere.* Alii *discere.* In tribus vocab. conjungendis non opus est copula; quæ necessaria est in duobus, ut « in quærendo ac discendo ». Neque, si quid desideraretur, *ac*, sed *aut* ferri posset. GERN.

24. *Ad beate vivendum.* Vulgo olim « ab bene beateque viv. » quod Heus. suorum lib. auctoritate rejecerunt. Et tamen illud reduxit Beier. fretus Ox. ψ aliisque plurimis codd. allatisque Parad. I ext. Cat. maj. cap. 2, init. aliisque locis.

25. *Adjuncta est appetitio quædam principatus.* De Fin. lib. II, cap. 14: « Eadem ratio habet in se quiddam amplum atque magnificum, ad imperandum magis, quam parendum accommodatum ».

26. *Bene... informatus.* Ingenio non servili. FACC. — Idem est *animus bene constitutus*, de Am. 13, 47. GERN. — Benigna natura ingeneratus, nobilis: homo cui, ut Juvenalis ait: « De meliore luto finxit præcordia Titan ». F. HEUSING.

27. *Docenti.* Aperienti scilicet veritatem. FACC.

et legitime imperanti[28] : ex quo animi[29] magnitudo
14 exsistit, humanarumque rerum contemptio[30]. Nec vero illa parva vis naturæ est rationisque, quod unum hoc animal[31] sentit, quid sit ordo[32]; quid sit, quod deceat[33]; in factis dictisque qui modus[34]. Itaque eorum ipsorum, quæ adspectu sentiuntur[35], nullum aliud animal pulchritudinem, venustatem, convenientiam partium sentit. Quam similitudinem natura[36] ratioque ab oculis ad animum tranferens[37], multo etiam magis pulchritudinem, constantiam, ordinem in consiliis factisque conservandum[38] putat : cavetque, ne quid

28. *Legitime imperanti.* Legitimo principi. Facc.

29. *Animi magnit.* Cum Heusing. e Gu. 1, 2, 3, 5, *magnitudo animi* maluit Gern. sequente Schützio.

30. *Rerum contemptio.* Frequentissime apud Ciceronem celsitas animi cum rerum humanarum despicientia conjungitur. Magnus enim animus externa omnia infra se posita ducit. Et hæc quidem prima est et potissima fortitudinis nota. Facc.

31. *Unum hoc animal.* Hoc quoque proprium hominis est, eique soli a natura datum, ut sentiat, quid deceat in factis dictisque, modumque atque ordinem servet; quod pertinet ad temperantiam. Quartum hoc honesti genus aptum est et conflatum ex tribus superioribus, ut monet Cicero in eodem loco de Finibus. Facc.

32. *Quid sit ordo.* Εὐταξία, de qua in cap. 40. Facc.

33. *Quid sit, quod deceat.* Facc. Pal. sec. et Ven. quart. *quid deceat*, contra ceteros omnes libb.

34. *Qui modus.* Alii libri, « quis sit modus », alii, « qui sit modus », ut Facc. Alii non interpungunt post *deceat*, sed post *dictisque*.

35. *Quæ adspectu sentiuntur.* Omnia animantia vident, sed solus homo pulchritudinem et convenientiam videndo percipit. Facc.

36. *Natura ratioque.* Vir Doct. in Ephem. olim Jenens. 1801, n. 122, conjicit *natura et ratione.* Usitatum sane Ciceroni levius hoc genus prosopopœiæ. Vid. § 7 et 12; Fin. II, 12, 37; ibid. cap. 14, 45. Quid ? quod Offic. I, cap. 37, 132 et 134, ad sermonem transferuntur, quæ in ipsum hominem cadunt, qui loquitur ? Gern. —Est endiadys pro : « natura ratione prædita ». Born.

37. *Transferens.* Convenientiam, quam homo sentit in rebus externis, transfert ad animum, qui multo magis id, quod decet, sentire, et servare debet. Hinc oritur recta ratio cogitandi, loquendi et agendi, pro modo rerum, temporum et locorum. Facc.

38. *Conservandum.* Gern. scribit *conservanda*, notatque : Græv. Facc. Oliv. Ern. J. F. Heusing. scripserunt *conservandum*, accommodate ad proximum *ordinem*. Gu. 1, 4, 5, Goth. tres Ox. plures Gruteri, μ, Lips. 1513, et Ascens. *conservandam*, quod parum aberat, quin præferrem propter feminini generis in h. l. principatum, ut Epist. X, 25. Sed tamen præpla-

indecore, effeminateve[39] faciat; tum in omnibus et opinionibus, et factis, ne quid libidinose aut faciat, aut cogitet.

Quibus ex rebus[40] conflatur et efficitur id, quod quærimus, honestum: quod etiam si nobilitatum[41] non sit, tamen honestum sit[42]; quodque vere dicimus,

cuit *conservanda*, quod est in Gu. 2, Vin. duobus Ox. ed. Magont. incert. Rom. Ven. 1, Arg. probaturque Gulielm. Anemœc. J. F. Heusing. Sunt enim illa substantiva vi paria. Vide cap. 35 pr.

39. *Effeminateve faciat.* Adde, *aut cogitet:* quod est in fine periodi. Nam reliqua hæc, « tum in omnibus et opinionibus et factis ne quid libidinose aut faciat », inserta puto, ex interpretatione margini adscripta; proindeque alia typorum forma sunt expressa. Facc. — J. M. Heusingerus (probante Beier.) excludi vult unum *faciat* post *effem.* J. F. Heusinger. «faciat tum in omnibus et opinionibus et factis », quem Schütz. sequutus est. Verum, ut e consiliis facta proficiscuntur, sic ex opinionibus, quæ sunt in mente et cogitatione positæ, nascuntur non *facta*, sed *dicta*. Utroque illo fonte omisso, Cicero scripsit paullo ante: « in factis dictisque qui modus ». Cap. 5, § 14: « omnium quæ fiunt, quæque dicuntur ». Cap. 28, 98, « moderatione dictorum omnium et factorum ». Comp. cap. 35 pr. Fin. II, 14, l. l. Itaque nullus dubito quin verum sit id, quod in libello 1804 Lipsiæ edito, Descriptio artis criticæ in interpretatione vett. scriptt. tuendæ, pag. 32, conjeci, « tum in omnibus et opinionibus et dictis, ne quid libidinose aut dicat, aut cogitet ». Gern. — Certe, admissa Gernhardi conjectura, desiderabimus concinnitatem, quum desit verbum, quod referatur ad *consilia*, ut *cogitet* refertur ad *opiniones*. Itaque facimus cum Hermanno, qui monet, quæ inde a vv. *cavetque* sequuntur, proximis explicationis causa addita esse, ita ut « indecore effeminateve » opponatur *pulchritudini* et *constantiæ*, *ordini* autem *libidinose*, i. e. sic, ut nec certum ordinem quis conservet nec perpetuam legem sequatur, faciatque quidquid venit in appetitum, i. e. licenter. Huic igitur ultimo membro is subest sensus: « cavet, ne violet homo ordinem, qui est conservandus ». Pro eo autem, quod ante dictum, « in consiliis factisque », observat Hermannus repeti jam « in omnibus opinionibus et factis », quibus respondeat « aut faciat aut cogitet ». Beier.

40. *Quibus ex rebus conflatur et efficitur id, quod*, etc. Ex justa societatis cura, ex recta investigatione veri, ex rationabili appetitione præstandi, ex ordine et modo in factis dictisque omnibus, id est, ex justitia, prudentia, fortitudine, temperantia efficitur honestum; et ex honesto oritur officium. Facc.

41. *Etiam si nobilitatum non sit.* Id referendum est ad Epicurum, qui honestum judicabat, quod esset « populari fama gloriosum, et a multitudine laudaretur »; ut est in Fin. lib. II, cap. 15: ubi Cicero hanc opinionem oppugnat. Facc.

42. *Tamen honestum est.* Ex Gu. 2. J. F. Heusingero haud dissentiente, recepit Gern. quem Beier. sequitur.

etiam, si a nullo laudetur, natura esse[43] laudabile.

V. Formam quidem ipsam, Marce fili, et tamquam faciem honesti vides: quæ si oculis cerneretur, mirabiles amores, ut ait Plato, excitaret sui[1]. Sed omne, quod honestum est[2], id quatuor partium oritur ex aliqua[3]. Aut enim in perspicientia veri solertiaque[4] versatur; aut in hominum societate tuenda, tribuendoque suum cuique[5], et rerum contractarum fide;

43. *Natura esse laudabile*. Gu. tert. quart. impressi vett. «laudabile esse natura». — Quia res illæ quatuor, ex quibus efficitur honestum, manant a natura ipsa hominis; idcirco honestum est suapte natura laudabile, nec laude indiget aliunde quæsita. Facc. — Cf. Fin. II, 15, 48, 49; Plat. de Rep. II, 358.

V. 1. *Ut ait Plato, excitaret sui.* Sic Faernus conjecit, et Ernestius edidit. — *Ut ait Plato de sapientia, excitaret sui.* Antea quidem legebatur *excitaret sapientiæ*. Faernus loco *sapientiæ* reposuit *sui*. Ego vocem *sapientia* non exclusi, sed in sede sua posui. Locus Platonis est in Phædro, quem Cicero imitatus est in Fin. lib. II, cap. 16. Facc. — Cum Facc. facit Brem. ad Fin. II, 16; et prope Pearcius, qui volebat, «ut ait Plato sapientiæ, excitaret sui»: et male dicunt M. Heusing. et Gernhard. eum a Facc. non dissensisse. Ipse Gern. omnino delevit et *sapientiæ* et *sui*, notavitque: *Sapientiæ* placuit Heusingeris et Reizio in margine. Quid autem; num honesti *facies* excitat amorem, non totius suæ formæ, sed partis? Sic enim Plato Phædr. cap. 65 (φρόνησις) δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴτι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰὸν, quem locum accuratius vertit Fin. l. l. Hujus formæ et amoris similitudinem transtulit Cicero ad ipsam honestatem h. l. et Fin. V, 24, 69. Nostro loco interposuit, «ut ait Plato», propter δεινοὺς ἔρωτας, e verbo expressos: quibus ut non additum est ἑαυτῆς, sic equidem vehementer suspicor Ciceronem, utroque isto genitivo excluso, scripsisse, «quæ si oculis cerneretur, mirabiles amores, ut ait Plato, excitaret». — Beierus cum Grævio vulgatam *excitaret sapientiæ* tuetur. Sic interp. Beier. Si forma honesti, ait, oculis videretur, excitatura esset amorem sapientiæ, quæ vel mater est virtutis, vel virtus ipsa.

2. *Quod honestum est.* «Quod est honestum», post J. F. Heusinger. receperunt ex Gu. 1, 2, 4, 5, Gern. et Schütz.

3. *Quatuor part. oritur ex aliqua.* Ex aliqua quatuor partium, quas præcedenti cap. explicavit quæ sunt honesti origines.

4. *Solertiaque.* Male Hottinger. *solertia* cum genitivo *veri* junxit: et pro *indagatione* accepit. At vero *perspicientia* et *solertia* non mentis agitationem significant, sed potius affectionem et facultatem, quam quis exercitatione consequutus est. Beier.

5. *Tribuendoque suum cuique, et rerum,* etc. Gu. quart. impr. Ven. 1498, uterque Lips. ac Lugdun. 1527, «tribuendo quod suum est cuique». M. Heusing.

aut in animi excelsi atque invicti magnitudine ac robore; aut in omnium, quæ fiunt, quæque dicuntur, ordine et modo, in quo inest modestia et temperantia.
15 Quæ quatuor quamquam inter se colligata atque implicata[6] sunt, tamen ex singulis certa officiorum genera nascuntur: velut ex ea parte[7], quæ prima descripta est, in qua sapientiam et prudentiam ponimus, inest indagatio atque inventio veri: ejusque virtutis hoc munus est proprium.
16 Ut enim quisque maxime perspicit, quid in re quaque verissimum sit, quique acutissime et celerrime potest et videre, et explicare rationem, is prudentissimus et sapientissimus rite haberi solet. Quocirca huic, quasi materia, quam tractet, et in qua versetur, subjecta est veritas[8].
17 Reliquis au-

6. *Implicata.* Codd. Goth. aliquot Oxx. et Gu. 1, 2, 3, 5, Ven. quart. uterque Lips. Gryph. Et placuit præter alios, Pearcio, Facc. Oliv. Ernest. Heusing. Gern. Schütz. Vulgo olim *implicita.* — Hoc philosophi omnes communiter docent, virtutes inter se colligatas esse. Quidam etiam unam dumtaxat virtutem esse aiunt, variis nominibus præditam, ut refert Plutarchus de Virtute morali. Facc. — Cf. Tusc. IV, 11, 24; Nat. Deor. II, 61, 153; Fin. V, 23, 65, 67; Diog. Laert. VII, 125, 126.

7. *Ex ea parte... inest.* Facciol. corrigendum esse dicit *exsistit.* Sed Heusingerus monet advers. Grævium hac locutione hic offensum, « ex ea parte » significare, « quod attinet ad eam partem ». Mihi, inquit Gern. probabilius videtur Ciceronem ex altera structura inchoata « velut ex ea parte » (in mente habebat « nascitur indagatio ») incidisse in alteram « inest indagatio », quasi prægressum esset, « velut in ea parte »: quod erat hoc facilius, quum duæ enuntiationes essent interpositæ. Vide cap. 7, 22. Hæc est illa duarum locutionum confusio, apud Nostrum non rara: de qua, in Græcis frequentiore, nuper G. Hermannus disputavit in Museo antiquit. stud. I, 1, pag. 122. Eamdem rationem J. M. Heusing. deprehendit in seq. § init. « Ut enim quisque... quique... is prudent. » quum sequi deberet, « et ut quisque... ita ». Atque ad *quique*, neglectis illis superioribus, aptum est *is prudent.* et libris omnibus sic jubentibus et comprobante Reizio in marg. post Græv. Facciol. aliosque. Pro quo pronomine Gottleb. l. l. mavult *ita*, ut pro *quique* Ernest. *utque.*

8. *Subjecta est veritas.* Prudentia posita est in cognitione, justitia, fortitudo, temperantia in actione. Nam prudentia spectat veritatis notitiam, justitia societatis conservationem. Fortitudo animi in agendo celsitatem, temperantia ordinem, constantiam, moderationem in rebus omnibus, quæ tractantur in vita. Facc.

tem tribus virtutibus[9] necessitates propositæ sunt ad eas res parandas tuendasque, quibus actio vitæ continetur: ut et societas hominum conjunctioque servetur, et animi excellentia magnitudoque quum in augendis opibus utilitatibusque et sibi et suis comparandis, tum multo magis in his ipsis[10] despiciendis eluceat. Ordo autem[11], et constantia, et moderatio, et ea quæ sunt his similia, versantur in eo genere, ad quod adhibenda est actio quædam, non solum mentis[12] agitatio.

18 His enim rebus, quæ tractantur in vita, modum quemdam et ordinem adhibentes[13], honestatem et decus conservabimus.

9. *Reliquis autem tribus virtutibus:* Tribus reliquis necessaria omnia proposita sunt, quæ parantur in vita ad juste, fortiter, moderate agendum. Hæc notat Facc. qui delevit *virtutibus*, eique assentitur J. M. Heusing. quum *virtutibus* non legatur in Vinar. et uno Ox. Idem J. F. Heusing. in plerisque impress. deesse vidit, in omnibus autem Gu. servari. Quod paullo ante *huic*, sine substantivo, ad superiorem genitivum *virtutis* refertur; idcirco non suum nostro loco substantivum eripiendum est, in cujus descriptione totus quidem vertitur. Gern.— Ex «insito menti cognitionis amore» quum «etiam rationis explicandæ disserendique cupiditas consequatur» (Fin. IV, 7, 18), reliquis autem tribus virtutibus proposita sit «actio rerum», quæ «cognitionem prudentiamque» sequitur, totam philosophiam veteres illi «tres in partes diviserunt; quam partitionem Zeno retinuit». Fin. IV, 2, 4, extr. Sed quum duarum partium physicæ et dialecticæ sint θεωρήματα, partitio illa proprie duplex esse reperitur: unde exsistit philosophia et θεωρητικὴ et πρακτική: quem ad modum motus animorum duplices sunt, et Partition. Orator. cap. 22 pr. «vis virtutis duplex. Aut enim scientia cernitur virtus aut actione». Beier.

10. *In his ipsis.* Alii codd. omittunt *his*, alii *ipsis*, unde alterutrum M. Heusing. adventitium putabat.

11. *Ordo autem.* Facc. scribit *ordo enim*, ex ingenio. — Pearc. conjicit *ordo item*, quod Erfurdtio in sched. placet. Nihil mutare ausim, quum omnes libri constanter *autem* tueantur, quod, ut cap. 4, 11, orationem continuat, ubi res non tam comparandæ sunt, quam ordine quodam enumerandæ. De duabus autem virtutibus jam monitum est; superest, ut de tertia dicatur, de *ordine*. Gern.— Per ordinem, id est, εὐταξίαν, constantiam et moderationem significatur temperantia, quæ non caret quidem mentis agitatione; attamen, quia pergit ad actionem, et in hac præsertim dominatur, idcirco ad actionem ipsa quoque pertinere dicitur. Facc.

12. *Mentis agitatio.* Consilium, cogitatio.

13. *Modum quemdam et ordinem adhibentes.* Facc. «mod. qu. adhibentes et ordinem». Reliqui servant, quod nos dedimus. Gern. — *Honestatem*

VI. Ex quatuor autem locis, in quos honesti naturam vimque divisimus, primus ille [1], qui in veri cognitione consistit, maxime naturam attingit [2] humanam. Omnes enim trahimur et ducimur [3] ad cognitionis et scientiæ cupiditatem : in qua excellere pulchrum putamus; labi autem, errare, nescire, decipi, et malum, et turpe ducimus. In hoc genere et naturali, et honesto, duo vitia vitanda sunt : unum, ne incognita pro cognitis habeamus, hisque temere assentiamus [4]. Quod vitium effugere qui volet (omnes autem velle debent), adhibebit ad considerandas res, et tempus,
et diligentiam. Alterum est vitium, quod quidam 19
nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias. Quibus vitiis declinatis, quod in rebus honestis, et cognitione dignis, operæ, curæque ponetur, id jure laudabitur : ut in astrologia [5] C. Sulpi-

et decus. Gu. tert. « dignitatem et decus ». Goth. et uterque impr. Lips. « et honestatem et decus ». J. F. Heusing.

VI. 1. *Primus ille*. Locus primus late patet, ut non rerum modo expetendarum, et fugiendarum scientiam complectatur, quæ proprie prudentia dicitur, sed omnem prorsus veri cognitionem. Itaque Zeno prudentiæ vocem pro scientia sumebat, ut scribit Plutarchus de Virt. Mor. Facc.

2. *Maxime naturam attingit humanam*. Naturæ maxime est conjunctus, aptus, consentaneus. M. Heus.

3. *Trahimur et ducimur*. In cod. Goth. Vinar. omittuntur verba *et ducimur*, recte, si credimus Facciol. et M. Heusingero, vulgatam tamen, si vera sit, sic explicat J. F. Heusinger. ut Cicero dicat cognitionis et scientiæ cupiditatem naturaliter ita nobis insitam esse, ut non modo necessaria, sed jucunda etiam nobis sit ista ad cognoscendum propensio. Sch. — Gœrenz. interpretat, ad Fin. I, 16, 50, « *trahimur* naturali impetu, *ducimur* rationis jussu ». Sequitur enim : « In hoc genere et naturali et honesto, etc. » Beier.

4. *Assentiamus*. Gern. *assentiamur*. Passivam, inquit, formam hoc loco et III, 2, 9, 23, 91, aliisque locis tuentur plurimi et optimi libri Heuss. Eamdem restituit Mart. Laguna, Epist. I, 1 extr. et Gœrenz. ad Leg. II, 13, 33. Ac nescio, an ubique apud nostrum hæc forma sit reponenda, quum alteram me nullo loco memini deprehendere sine multorum codicum dissensione. *Assentiamur* h. l. dederunt etiam Facc. Pearcius et Olivet. comprobantibus λ et μ.

5. *Astrologia*, quam Seneca, Ep.

cium [6] audivimus [7]; in geometria Sex. Pompeium [8] ipsi cognovimus; multos in dialecticis [9], plures in jure civili. Quæ omnes artes in veri investigatione [10] versantur: cujus studio a rebus gerundis [11] abduci, contra officium est [12]. Virtutis enim laus omnis in actione consistit; a qua tamen [13] sæpe fit intermissio, multique

15, ut monet Heusingerus, astronomiam appellare cœpit, Ciceronis ætate cum illo Chaldæorum prædicendi genere, quod plerique astrologi rejiciebant, unum nomen habuit. Vide Divin. II, 42. Gern.

6. *C. Sulpicium.* Eclipsim prædixit, et rationem defectus solis, et lunæ primus romani generis in vulgus extulit. Fuit consul cum Marcello. Plin. lib. II, cap. 12. Oliv.

7. *Audivimus.* Gern. scribit *audimus*, sequente Schütz. Hoc, inquit, pro vulg. *audivimus*, quod Grævius, Facciol. Ernest. Olivet. retinuerunt, J. F. Heusinger. scripsit e Gu. 1, 2, duobus Oxx. et libris Gulielm. quibuscum consentiunt λ et ψ. Idem reddidit Schütz. Orat. II, 23, «de Theramene audimus» e Gu. 1. Vide Gœr. ad Leg. II, 26, 64. — De studio ac de doctrina hujus astronomi, qui rationem defectus solis et lunæ primus romani generis in vulgus extulit, vid. Wetzel. et Gern. ad Cat. Maj. XIV, § (11) 49 extr. Livius, XLIV, 37; Harduinus ad Plin. Hist. Nat. lib. II, cap. 12, sect. 9. Iste igitur quia Ciceronem ætate antecedit, propterea scriptor dicit: «ut in astrologia (e præcedd. intellig. «operam curamque posuisse») C. Sulpicium audimus», cui opponitur «ipsi cognovimus», quod pessime Hottinger. accepit pro «omnibus notum est». At «S. Pompeium», S. F. Magni patruum, qui, ut est in Bruto, cap. 47, «præstantissimum ingenium contulerat ad summam juris civilis et ad perfectam geometriæ et rerum Stoicarum scientiam, ipse» cognorat Cicero, tiro in fratris, Cn. Pompeii Strabonis, cos. ann. U. 664, exercitu. Vide Philippic. XII, cap. 11. Beier.

8. *Sex. Pompeium.* Cn. Pompeii Magni patruum, jurisconsultum et geometram præstantem, oratorem vero mediocrem. Vide Brut. cap. 47.

9. *In dialecticis.* Sic restituerunt ex suis libris olim Jac. Gronovius, et postea Heusinger. antea legebatur «in dialectica», quod dederunt Gruter. Græv. Pearc.

10. *Investigatione.* Al. *vestigatione.* Facc. — Quamquam *vestigatione* legitur in Goth. Vin. Gu. 2, impr. Magont. incert. Ven. 1, ed. Ascens. Lang. Lamb. tamen post Grævium, Pearc. Ern. usitatius *investigatione* suo jure receperunt Heusingeri. Gern.

11. *Gerundis.* Gern. scribit *gerendis*, notatque: Hoc pro quo antiquior forma *gerundis* placuit Grævio, Ern. Heuss. omnes utriusque Heusingeri libri tuentur, si impressos excipias J. F. Heusingeri, in quibus, ut in Asc. est *agendis*, et impress. vett. — Int. cujus investigandi studium non impedire nos debet, ne rebus agendis studeamus.

12. *Contra officium est.* Quod ex professo probat in cap. 45 (cap. 43 et seqq.). Facc.

13. *A qua tamen*, etc. Non improbandæ intermissiones aliquæ ab actione, ut ad studia redeamus, tamquam

dantur ad studia reditus : tum agitatio mentis [14], quæ numquam acquiescit [15], potest nos in studiis cogitationis [16], etiam sine opera nostra, continere. Omnis autem cogitatio [17], motusque animi, aut in consiliis capiundis de rebus honestis, et pertinentibus ad bene beateque vivendum, aut in studiis scientiæ cognitionisque versatur [18]. Ac de primo quidem officii fonte diximus.

ad animi levamen. Facc. — *Sæpe fit intermissio.* Gernhard. scribit, « fit intermissio sæpe ». Hunc, inquit, ordinem servarunt Gu. 1, 2, 3, 5, exc. Bedæ, Palatt. aliique Grut. et F. Maturantius; Heusing. laudavit Lael. 10, 33. Adde Offic. II, 14, 49: « tamen etiam accusatio probata persæpe est ». Nostro loco spectandum etiam est oppos. *multique*, ut cap. 3 pr. — Gernhardo assentitur Beierus, qui cf. jubet Gœr. ad Fin. II, 15, 49.

14. *Agit. mentis*. Recte J. F. Heusinger. interpretatur : Ad veri investigationem non semper otium ac secessus requiritur, animus potius, qui « numquam insistens agitatione et motu esse vacuus potest » (lib. II de Divin. cap. 62, 128), quamvis rebus agendis occupati simus, vel inter ipsa negotia (*sine opera nostra*, i. e. aliud agendo, vel, ut eleganter Facciolatus : etiam si opera nostra alio spectet pro suscepto rerum gerendarum instituto), quid honestum ac verum sit, deliberare multaque cogitando consequi potest. Beier. — Hæc interpr. melior videtur quam quæ a Grævio sic datur : Sine labore corporis, etsi musæo non simus affixi, nec legendo, scribendove demus operam.

15. *Acquiescit.* Facc. cum quibusdam *quiescit*, Gu. pr. *requiescit.*

16. *In studiis cogitationis.* « Mentis agitationem » Heusingeri recte interpretantur animi vigorem, laudantque Divin. II, 62, 128. Nonnulli, ut Lamb. Græv. Facc. Oliv. quum ment. agitationem non differre putarent a cogitatione, cum Gu. 3 et 5 a correctoris manu dederunt « studiis cognitionis », quod repudiant *consilia* et *studia*, quæ statim ponuntur genera *cogitationis*. Heinsius horum librorum interpres (teste Gottlebero) verba « in stud. cogitationis » incuria librariorum e sequentibus verb. « in studiis scientiæ cognitionisque » huc irrepsisse suspicatur. Utrumque illud substantivum in codicibus confundi dicit Gœr. de Leg. I, 7, 22. Gern. — Schützio voc. *cogitationis* spurium videtur, in quo a Beiero reprehenditur.

17. *Omnis autem cogitatio*. Duplex est cogitationis ratio : prima versatur in consultando et deliberando de officio, hoc est, in delectu bonorum et malorum; altera refertur ad scientiam et cognitionem. Prima dicitur prudentia, secunda sapientia : utraque tamen pertinet ad unam eamdemque honesti partem, et pro virtute una hoc loco sumitur. Facc.

18. *Versatur.* Gern. scribit *versabitur*, notatque : *versabitur*, quod Heusingeri ex suis libris scriptis et impr. scripserunt pro *versatur*, a Facc. Oliv. Ern. et Schütz. post Grævium recepto, legitur etiam in λ et μ. — Gernhardo Beierus assentitur, interpretat-

20 VII. De[1] tribus autem reliquis latissime patet ea ratio[2], qua societas hominum inter ipsos[3], et vitæ quasi communitas[4] continetur. Cujus partes duæ[5] sunt: justitia, in qua virtutis splendor est maximus[6]: ex qua boni viri[7] nominantur; et huic conjuncta beneficentia[8], quam eamdem vel benignitatem, vel liberalitatem appellari[9] licet. Sed justitiæ primum munus

que, « versabitur, versari debet », multis allatis exemplis, v. c. § 18, *adhibebit*. — *Ac de primo quidem*. Impr. incert. « hæc de primo q. » quod favere videtur conject. Gruteri : « hæc de pr. q. of. fonte », abjecto v. *diximus*. J. F. Heusing.

VII. 1. *De tribus autem*, etc. *De* valet *ex*, *inter*.

2. *Ratio*. Pars, locus, res; quæ omnia significat *ratio*. M. Heusing.

3. *Inter ipsos*. Expunxit hæc Facc. vide vero cap. 16, 5, III, 17, 4; de Leg. II, 7, 16. F. Heusing.

4. *Vitæ quasi communitas*. Est socialis ista vita, quæ hominibus præ ceteris animalibus est propria. Græv.

5. *Partes duæ sunt*. Prima loci hujus pars est ea, quæ proprie justitia vocatur, et princeps virtutum omnium censetur non a Cicerone modo, sed et ab Aristotele, et a philosophis omnibus. Altera pars, justitiæ socia et affinis, nuncupatur liberalitas, de qua erit sermo in cap. 13 (cap. 14). Facc. — Verbum *sunt*, quod Gothofr. ante *partes*, Gu. 3 et 4 ante *duæ*, plerique post *duæ* ponunt, J. F. Heusing. cum Gu. 1 et 2, quibuscum consentit λ, excludit, exemplo II, 9, 32, et al. Sed v. § 23 prox. Gern.

6. *Splendor est maximus*. Gottleberus laudat Aristot. Eth. V, p. 233: κρατίστη τῶν ἀρετῶν εἶναι δοκεῖ ἡ δικαιοσύνη, καὶ οὔθ' ἕσπερος, οὔθ' ἑῷος οὕτω θαυμαστός. Gern.

7. *Boni viri nominantur*. Gern. post J. F. Heusing. scribit « viri boni nominantur » ex Gu. 1, 2, 3, 5, Goth. Exc. Bedæ et Eybi.

8. *Et huic conjuncta beneficentia*, *quam eamdem*, etc. Triplex hujus virtutis nomen more Græcorum, εὐεργεσία, εὐποιΐα, ἐλευθεριότης, promiscue usurpatur et inde ductum videtur, quod in beneficio spectatur, quid facias, qua mente, atque an sponte benefacias. Quum autem justitia a beneficentia distinguitur necessitate quadam, h. e. jure alterius, cui dandum est; utramque virtutem Stoici subjecerunt ei justitiæ, quæ latius patet, quæque omnia in alios officia complectitur. *Beneficentia* cum Ascens. Balduino et Facciol. scripsi ex libris Heuss. omnibus (excepto Gu. 1, in quo est *beneficiaentia*) secundum analogiam voc. *magnificentia* et *munificentia*, non per syncopen, pro *beneficientia* a *beneficiens*, quod C. Langius ad analog. voc. *despicientia* ad h. l. et Voss. Analog. II, 25, p. 800, voluerunt, sed a *beneficus* ductum. Reliquorum librorum lectio *beneficientia* præter Langium placuit Lambino, Grut. Græv. Verburg. Pearc. Ernest. Heuss. Gern. — Gernhardo Beierus assentitur; sed Schützius reduxit *beneficientia*.

9. *Appellari*. Sic Heusingeri e libris plerisque: alii nonnulli *appellare*, probante Ernest.

est, ut ne cui quis noceat, nisi lacessitus[10] injuria;
deinde[11] ut communibus utatur pro[12] communibus,
privatis ut suis. Sunt autem privata[13] nulla natura: 21
sed aut veteri[14] occupatione, ut qui quondam in vacua[15]
venerunt; aut victoria[16], ut qui bello potiti
sunt; aut lege, pactione, conditione[17], sorte. Ex

10. *Lacessitus injuria.* Primum in eo observando posita est, « nisi lacessitus injuria », id est, « nisi, ut, si quid importetur nobis incommodi, propulsemus vim atque injuriam »: ut est apud Herodianum, Hist. III, 6, 4 (9): Ὥσπερ δὲ ἄδικον τὸ ἄρχειν ἔργων πονηρῶν, οὕτως ἄνανδρον τὸ μὴ ἀμύνεσθαι (vel, ut ibid. VI, 4, 4 (8) τοὺς ὀχλοῦντας ἀποσείεσθαι) προαδικούμενον. Non agitur hic et III, 16, de ulciscendo, aut de injuria referenda, quo sensu ipsius verba acceperunt etiam interpretes quidam, nec locus erat patribus Ecclesiæ in nostrum h. l. invehendi. Beier. — D. Ambrosius in Offic. lib. I, cap. 28, ubi ait: « Evangelii auctoritate evacuatur ». Lactant. lib. VI, cap. 18, et Tertullian. lib. de Patientia. — Non videamus hoc in præcepto quis locus sit reprehensioni, si, ut nobis patet, respexit auctor ad jus illud naturale vitam suam tuendi lacessitam, quod sæpissime fieri non potest, nisi lacessentis damno. Vide orationem pro Milone, cap. 4, « quid comitatus nostri, quid gladii volunt, etc. »

11. *Deinde.* Alterum justitiæ munus est, ne quis sibi usurpet, quæ sua non sunt. Quamquam hoc ipsum referri solet ad munus primum, ne cui fiat injuria, aut ullo modo noceatur. Facc.

12. *Ut communibus utatur pro communibus.* Gern. transponit « ut comm. pro comm. utatur ». Ita, inquit, est in omnibus J. F. Heusingeri libris scriptis (excepto Gu. 3), Kyb. et Beda, et impressis, tum in Asc. et H. Wolf. ut cap. 6, « ne incognita pro cognitis habeamus ». Cf. Caton. Maj. 19 med. Modus utendi communibus explicatur in Fin. lib. III, cap. 20. — Intellig. communibus ita utatur, ne ea sibi vindicet soli. M. Heus.

13. *Privata.* Ex seqq. patet *privata* h. l. Ciceronem appellare ea quæ propria sunt singulis non solum hominibus, sed etiam civitatibus ac populis. J. F. Heus.

14. *Veteri.* J. F. Heusing. *vetere* ex suis Gu. omnibus et Gryph. quem Gern. secutus est.

15. *In vacua.* In prædia domino carentia. Facc.

16. *Victoria... aut lege.* Jure belli, aut jure civili. Facc.

17. *Conditione.* Quolibet contractu. Facc. —Vide ad Herennium, II, 13: « Lege jus est id, quod populi jussu sancitum est... Ex pacto jus est, si qui quid inter se pepigerunt, si quid inter quos convenit ». Quæ conventio si fit lege aliqua posita, *conditio* appellatur. Vide Donat. ad Ter. Andr. I, 1, 52. Gern. — Fabricius jam huc advocavit, et cui Brissonius aliique assensi sunt: « conditio, inquit, est pactio certam (id est, peculiarem) legem in se continens ». — Itaque *pactio* erit conventum etiam μονόπλευρον, id est, alterutri tantum parti beneficum, ut donatio; *conditio* autem conventum δίπλευρον, id est, onerosum, quo ultro citroque aliquid conceditur.

quo fit, ut ager Arpinas Arpinatum[18] dicatur; Tusculanus Tusculanorum : similisque est privatarum possessionum descriptio[19]. Ex quo, quia suum cujusque fit eorum[20], quæ natura fuerant communia, quod cuique obtigit, id quisque teneat : eo si qui[21] sibi
22 plus appetet; violabit jus humanæ societatis. Sed quoniam[22] (ut præclare scriptum est a Platone[23]), non nobis solum[24] nati sumus, ortusque nostri partem[25]

Beier. — *Sorte.* Etiam sorte dominium acquiritur, præsertim in dividundo. Facc. — Vid. Div. II, 41.

18. *Arpinatum.* J. F. Heusing. sequente Gern. scribit *Arpinatium* ex Gu. sec. tert. omnibusque aliis vulgatis, et quia sic est ad Attic. lib. IV, epist. 7, conferrique jubet Voss. de Analog. lib. II, cap. 14.

19. *Possessionum descriptio.* Divisio, dimensio, assignatio. Facc.

20. *Eorum, quæ..... quod,* etc. *Eorum* Ernest. et Heusing. semicolo interpungunt, ut is genitivus a sequente *quod* pendeat. Equidem sic puto struendum : « quia eorum (ex iis) quæ nat. f. c. suum cujusque fit ». Mecum sentiunt Ascens. Bald. H. Wolf. (opinor etiam Grævium, qui ante *eorum* et post *communia* commate interpungit) Facciol. Garve et Hotting. in verss. Gern. — Post *communia* Gern. semicolon posuit, quod nec in Oliv. nec in Schütz. videmus, quamquam iidem post *fit* interp. notam ponunt.

21. *Eo si qui.* Sic Facciol. scribit, nisi quod *quis* pro *qui.* Ita, inquit Gern. in meo codice. Vulgo leg. *Ex quo si quis :* quam lectionem retinere juniores critici voluerunt, invito Lambino : quasi vero non satis sit, duas superiores periodos cœpisse per *Ex quo*, nisi addatur tertia. Al. legunt *Et si quis.* Facc. — *Eo* tuentur Gu. 2, 3, 4, Vin. Duisb. quatuor Angl. Impressi fere omnes, Ascens. P. Manut. Victor. Lamb. Pearc. Ernest. Heuss. *ei qui* cum Ernestio Heusing. aliique. Idem recte restituit Heusing. cap. 16, 52, 40, 144, e Gu. 2, ante lit. consonantem. *Plus* in Gu. 1, 2, 3, 4, post *eo* legitur, nescio an minus graviter; in Langii et Lambini libris, ut in Palatt. male omittitur. — Beier. voc. *eo* delevit, suasu Gœrenzii ad Fin. III, 12, 41 extr.

22. *Sed quoniam.* Ad officium pertinet, et ad tertium veluti justitiæ munus, ut communi utilitati serviatur propter naturalem hominis cum homine conjunctionem. Facc.

23. *A Platone.* In Epist. ad Architam Tarentinum, ut est in Fin. lib. II, cap. 14. Facc. — Platonis locus is est: Ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὑτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν τὸ μέν τι ἡ πατρὶς μερίζεται, τὸ δέ τι οἱ γεννήσαντες, τὸ δὲ λοιποὶ φίλοι. Gern.

24. *Non nobis solum.* Ernest. contra omnes libros edidit *solis;* quem jure seqq. critici omnes reprehenderunt. Vid. Cort. ad Cic. Ep. VI, 2; Bremium ad Fin. II, 13.

25. *Partem patria vindicat.* Quidam addunt « partem parentes », quod Heuss. testantur ab iis omnibus, quos noverunt, libris abesse. Illud Gern. quem Schütz. sequutus est, reposuit, hoc notato : Ut hæc verba in ceteris libris desint, Balduinus tamen ea testa-

patria vindicat, partem amici; atque [26], ut placet stoicis, quæ in terris gignantur [27], ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se, aliis alii [28] prodesse possent: in hoc naturam debemus ducem sequi, communes [29] utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiundo, tum artibus [30], tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines societatem.

tur in quibusdam codd. legi. In *suis* sunt parentes et amici: in *amicis* (quod Heusingerus censet), vereor, ut usquam apud Ciceronem intelligantur *parentes*. Accedit, quod Platonis locum e verbis expressit; tum comp. Finib. I, 15, 49.

26. *Atque, ut placet Stoicis.* Facc. delevit *ut*, post Man. Heumann. « utque placet »; Pearc. « constatque, ut placet Stoic. » præeunte Lactant. VII, 4, 2. — Quidquid huic loco medelæ VV. DD. adhibuerint, qui in omnibus libris scriptt. talis exstat, qualem dedimus, excepto uno μ, qui Oliveto favet « atque ita pl. » scribenti; Cicero, crede, duas has locutiones permiscuit: « atque ut placet..... creantur »: alteram, « atque placet... creari ». Hanc negligentiam Græcis exemplis illustravit Heindorf. ad Platon. Phædr. § 128. Vid. ad cap. 5, § 15. Gern. — Gernhardo Beierus assentitur, qui præterea notat: Et præ ceteris quidem Chrysippo. Cf. Fin. III, 20, 67; Nat. Deor. II, 14, 37, 62, 154 sqq. (cl. ibid. I, 2, 4); Leg. I, 8, 25; Tusc. I, 28, 69; Porphyrius de Abstinent. III, 20, p. 259 s. ed. Rhoer. Ἀλλ' ἐκεῖνο νὴ Δία τοῦ Χρυσίππου πιθανὸν ᾖ, ὡς ἡμᾶς αὐτῶν καὶ ἀλλήλων οἱ θεοὶ χάριν ἐποιήσαντο, ἡμῶν δὲ τὰ ζῶα, et quæ præterea ad Cicer. Nat. Deor. II, 64, notarunt Davisius et Perill. Creuzer. p. 477 s. quos locos respicit Lactantius, VII, 4, 2, et de Ira Dei, cap. 13 pr. nostrum hunc locum Ambrosius, I, cap. 28, et Vincent. Bellovac. Specul. historial. VI, cap. 7.

27. *In terris gignantur.* Sic Ernest. alii *gignuntur*. Gern. scripsit *in terra* ex Gu. 1 et ψ. Nihil, inquit, frequentius in primis in Nat. Deor. II, quam « quæ terra gignit... quæ e terra gignuntur... quæ gignuntur in terra ». Ib. cap. 48; Off. II, 3, 11. — Beier. vulg. *in terris* defendit.

28. *Aliis alii.* Facciolatus scripsit *alius alii.* Sic Gu. 3, edit. Godofr. et Oudendorp. ad Sueton. Cæs. 89. Verum vulgata aptior est ad officiorum mutuationem significandam, atque exquisitior, quam *alii aliis*, quod est in Gu. 2, 5, Bed. Eyb. omnibus imprr. Gern. — Hanc tamen ultimam lect. Beier. amplexus est, notans: Est hic ordo fere solemnis, ut præcedat in his subjectum, objectum postponatur, « alii aliis, singuli singulis, unus uni ». Cf. Nat. Deor. I, 4, 9, II, 28, 71; Fin. IV, 24, 68. Ibid. Gœr. ad III, 19, 30, p. 349, et ad Leg. I, 19, 52.

29. *Communes.* Copulam *et*, ante *communes*, quam Facciolat. retinuit, Heusingeri post alios, in suis libris optimis non repertam, excluserunt. Assentitur Grævius in fine ed. 1691. Gern.

30. *Tum artibus, tum opera, tum.* Facc. *tum* ante *opera* et *fac.* delevit

23 Fundamentum[31] est autem justitiæ fides; id est, dictorum conventorumque constantia et veritas. Ex quo, quamquam hoc videbitur fortasse cuipiam durius, tamen audeamus imitari stoicos[32], qui studiose exquirunt, unde verba sint ducta[33], credamusque, quia fit[34], quod dictum est, appellatam fidem. Sed injustitiæ genera duo[35] sunt: unum eorum, qui inferunt; alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, si possint[36], non propulsant injuriam. Nam qui injuste

nulla nec auctoritate, nec causa probabili; vid. cap. 44 extr.

31. *Fundamentum est autem justitiæ fides*. Beier. scribit « fundamentum autem justitiæ est fid. » ex Goth. Vinar. Gu. 2, Beda et Eybo, suadente Gernhardo in Addendis. — Fidem, quæ justitiæ fundamentum est, definit primum ex officio, deinde ex notatione nominis more Stoicorum. Facc.

32. *Stoicos*. De hac Stoicorum consuetudine vide Natur. Deor. III, 24, 63. Gern. — Vid. Menag. ad Diog. Laert. VII, 5, 147, et in Amœn. jur. cap. 39, ubi et aliquas eorum ineptias notavit. M. Heus.

33. *Sint ducta*. Sic plerique. Gern. ex Gu. 2 et 4, et ed. Facciolati scribit *sunt d.* quod J. F. Heusing. minus elegans videbatur. Gern. observat: Indicativus modus sæpissime jungitur interrogativis indefinite positis. Vide Ruhnken. ad Rutil. Lup. de Fig. sent. II, 6, 98. Atque Stoici non quærunt solum, sed aperiunt etiam vocabb. originem. — Beierus *qui sint* edidit, fatetur tamen hac de re anceps esse judicium.

34. *Quia fit. Fit* pro *fiat*, quod Facciolato et Oliv. placuit, suadent et codices Gu. 2, Vin. quat. Angl. Groning. impr. Magont. incert. Rom. Ven. pr. et loci ratio postulat, ut vocabuli forma et similitudo prematur; tum Heusingerus exemplis docuit in oratione indefinita non necessarium esse conjunctivum. Vid. III, 7, 3. Gern. — Non sine causa veretur auctor, ne hoc videatur fortasse *cuipiam durius*. Ipse de hac originatione jocatur ad Fam. XVI, 10. Ex lib. IV de Rep. cujus fragmentum opportune servavit Nonius s. v. *Fides*: « Fides enim nomen ipsum mihi videtur habere, quum fit, quod dicitur ». Salmasius autem de Usuris docuit, latinum *fides* esse ex gr. πίστις, pro quo Æoles dixerint πίττις. Vide de hoc more στ in ττ mutandi ad Gregor. Corinth. pag. 454. Stirps est πίθω. Fortassis a Stoicis habet sua Etymol. Magn. 668, 10, πίθω σημαίνει. . . ἐλπίζω, ἐξ οὗ καὶ πίστις. Beier.

35. *Injustitiæ genera duo*. Disputat de injustitia, quia contraria contrariis illustrantur. Duo igitur sunt injustitiæ genera: quia non solum injuste facit, qui injuriam infert; sed etiam qui, quum possit, non tuetur eos, quibus infertur, pro duplici justitiæ munere, ne cui noceatur et ut societati serviatur. Facc.

36. *Si possint*. Gern. scribit *si possunt*. Ita, inquit, ex omnibus Gu. Goth. Beda atque Eybo, Bald. Lamb. Heuss. Vid. paullo post *si potest*, et cap. 13 pr. Facciolatus cum vulg. *si possint*.

impetum in quempiam facit, aut ira, aut aliqua perturbatione incitatus, is quasi manus afferre videtur socio[37]; qui autem non defendit, nec obsistit, si potest, injuriæ, tam est in vitio[38], quam si parentes, aut patriam, aut socios deserat[39]. Atque illæ quidem 24
injuriæ, quæ nocendi causa de industria inferuntur, sæpe a metu[40] proficiscuntur; quum is, qui nocere

37. *Is quasi manus afferre videtur socio. Quasi* nescio an sit pro insititio habendum. Quidni is, qui injuste impetum facit in alterum, dicatur *manus*, hoc est, vim *afferre*, cur *quasi manus?* Non erat profecto, ut injuria sic mitigaretur, quum etiam *videtur* sequeretur. An *quasi* ad *socium* pertinet? At is *quispiam* homo est, igitur societate humana cum adversario conjunctus; ergo hujus, ut ceterorum, socius. Atque etiam hoc vocab. est a *quasi* remotius. *Quasi* ad similitudinem alterius membri et verborum *quam si* non minus inepte adscriptum fuit, quam *violenter*, quod in exc. Eybi et libris impr. insertum viderunt et excluserunt Heusingeri. Verbum *videtur* autem cum Gu. 1, 2 (qui habet cum Gu. 4, Beda atque Eybo *inferre*) et 5, post *afferre* collocavit J. F. Heusing. quem sequor. In Gu. 3 *videtur* post *socio* scriptum est. Gern.—Beier. cum Mich. Heusing. transp. videtur *afferre*, fretus nonnullorum librorum auctoritate. Idem defendit v. *quasi* a Gernhardo lacessitam.

38. *Tam est in vitio.* Quia agitur de socio: ideoque tam qui lædit, quam qui non defendit, injustus est. Loquitur autem vel de eodem vitii genere, vel de eadem vitii mensura ex disciplina Stoicorum, apud quos peccata sunt æqualia. Facc. — Sed Grævius dicit hic non agi de hac Stoicorum opinione, sed a Cicerone culpæ qualitatem solum non quantitatem notari, eo sensu quo æque furari dicuntur, et qui as, et qui talentum furantur. Utrique in vitio sunt, quamquam non in æquali culpa.

39. *Quam si parentes, aut patriam, aut socios deserat.* Sic Venet. quart. Lamb. Grut. et alii. Gern. cum Oliv. et M. Heusing. scribit, «quam si parentes, aut amicos, aut patriam des.» quem ordinem J. F. Heusing. Cicerone indignum putat. Sed Gern. notat: Hic verborum ordo Cicerone non minus dignus est, quam de Fin. I, 15, «multi parentes, multi amicos, nonnulli patriam, etc.» Vide § 22. Facciolatus transponit «par. aut patr. aut amicos». Verba *aut amicos* sustulit Victor. in ed. Junt. et Gryphius; tum Heusingerus ea uncis inclusit.

40. *Sæpe a metu.* Causas recenset, propter quas homines hominibus injuriam inferunt: quarum prima est metus. Multi enim lædunt, ne lædantur. Facc. — Vide Grotium de Jure Belli et Pacis, lib. II, cap. 1, § 2, ubi copiose hoc explicat, et ostendit simul quando per justum metum nobis liceat occupare injuriam illaturum. Grævius. — *Sæpe a metu.* Ejusmodi exemplum in causa M. Tullii usu venit, pro quo habitæ orationis fragmentum servatum a Quintiliano, V, 13, adscribam: «Quis hoc statuit umquam, aut cui concedi sine summo omnium periculo potest, ut eum jure

alteri cogitat, timet, ne, nisi id fecerit, ipse aliquo afficiatur incommodo. Maximam autem partem[41] ad injuriam faciundam aggrediuntur[42], ut adipiscantur[43] ea, quæ concupiverunt: in quo vitio latissime patet avaritia.

VIII. Expetuntur autem[1] divitiæ quum ad usus vitæ necessarios, tum ad perfruendas voluptates. In quibus autem major est animus, in iis pecuniæ cupiditas spectat ad opes, et ad gratificandi[2] facultatem: ut nuper M. Crassus negabat, ullam satis magnam pecuniam esse ei, qui in republica princeps vellet esse, cujus fructibus exercitum alere[3] non posset.

potuerit occidere, a quo, metuisse se, dicat, ne ipse posterius occideretur?» Timori remedia a crudelitate mutuata commemorantur III, § 46 extr. Beier.

41. *Maximam autem partem. Maximam partem* (subaudi *homines*) nihil aliud est quam plerique. Conf. Cæsar. Bell. Gall. lib. IV, cap. 1; Cornel. Nep. Att. cap. 7. M. Heus. — Gu. « ex maxima autem parte ».

42. *Aggrediuntur.* Alii, « nonnulli aggrediuntur »: quod ferri non potest. Nominativus verbi *aggrediuntur* latet sub illis verbis *maximam partem*, id est, plurimi. Facc. — Vide cap. 9 pr. Vox *nonnulli*, pro eaque in μ. *homines*, quum a ceteris libris plerisque, tum a Balduini vetustis exemplaribus abest. Gern.

43. *Ut adipiscantur.* Secunda causa injuriæ inferendæ est πλεονεξία, i. e. rei familiaris amplificandæ cupiditas; quæ quidem amplificatio ipsa per se vituperanda non est, si fiat sine alterius damno et injuria. Cupiditas autem amplificandi vel usus necessarios spectat, vel voluptates perfruendas, vel opes et benefaciendi facultates, vel magnificos apparatus et vitæ cultum.

VIII. 1. *Expetuntur autem.* Facc. *Exp. enim* scribit, notatque: Reddit rationem, cur avaritia latissime pateat. Si *autem* retineatur, idem erit trium proximorum membrorum initium. — Non rationem reddit, cur avaritia latissime pateat, sed describit avaritiæ genera. In quo aptissima est particula *autem*, quam Heusingerus docet in cap. 32—34, sæpius etiam quam hic iterari. Gern.

2. *Ad opes, et ad gratificandi facultatem.* Pecunia parantur opes et potentia; opibus et potentia gratificandi facultas. Facc.—*Grat. f.* Ut ad benivolentiam aliorum animos allicere et beneficiis devincere possint. M. Heus.

3. *Exercitum alere.* Vide Paradoxum VI. Plinius, H. N. lib. XXXIII, c. 10, legionem dicit, non exercitum. Facc. — Et Schützius Gern. sequutus est. — M. Heusingerus, postquam probavit non adeo divitem fuisse Crassum, ut fructibus suis exercitum alere posset, addit: Mea itaque opinione his verbis ille non tam suas divitias ostentavit, quam tantas eas esse negavit, quantæ populi romani principi sufficerent. — *Fructus* est quod gal-

Delectant etiam magnifici apparatus, vitæque cultus
cum elegantia et copia: quibus rebus effectum est,
ut infinita pecuniæ cupiditas esset. Nec vero rei fa-
miliaris amplificatio, nemini nocens, vituperanda;
sed fugienda semper injuria est. Maxime autem[4] ad- 26
ducuntur plerique, ut eos justitiæ capiat oblivio,
quum in[5] imperiorum, honorum, gloriæ cupiditatem
inciderint[6]. Quod enim est apud Ennium[7],

Nulla sancta societas, nec fides regni est[8]:

id latius patet. Nam, quidquid ejusmodi est, in quo non possint[9] plures excellere, in eo fit plerumque tanta contentio, ut difficillimum sit, sanctam[10] servare societatem. Declaravit id modo temeritas[11] C. Cæsaris,

lice dicimus *les revenus*. *Pecunia*, facultates quascumque designat et fortunas. GERN.

4. *Maxime autem*. Tertia causa injuriæ inferendæ ambitio est, quam Græci dicunt φιλοτιμίαν. Hoc autem magnorum ingeniorum vitium est; ideoque majore animi providentia vitandum, ut ait in fine capitis. FACC.

5. *In imp... gloriæ cup*. *In* quatuor Gu. et principes impr. omittunt. Eam vero Gu. prim. pulchre sic inserit « gloriæ in cupiditatem. J. F. HEUS. — Vin. Ven. tres. Lips. et impr. vett. quidam *gloriæve*.

6. *Inciderint*. Sic Goth. Vin. Ven. omnes, Arg. itemque Verburg. Pearc. et Facciol. Gern. cum Heuss. *inciderunt*. — Schütz. cum Gern. fecit.

7. *Quod enim est apud Ennium*. Dicit Beier. verum ordinem esse: « quod enim apud Ennium est » variis hujus structuræ collectis exemplis.

8. *Nulla sancta societas, nec fides regni est*. Hæc ita disposuit, ut vv. « nulla sancta societas » versum finirent, vv. « nec fides regni est » alium versum inciperent; sic, inquit, Ennii fragmentum egregie disposuit Erfurdt. in sched. Balduini codex hæc senarii iamb. forma effert: « Societas nulla sancta regni est, nec fides ». GERN.

9. *Non possint*. Gu. tert. quart. quint. exc. Bed. atque Eyd. Lugd. 1527, et Pearc. *non possunt*. M. HEUS.

10. *Sanctam servare s*. Gern. transp. « servare sanctam s. » sequente Beier. qui notat: Sic Gernhard. e Gu. 1, 2, excerptis Bedæ atque Eybi. Schütz. retinuit rell. librorum lectionem « sanctam servare s. » At vero Ennius non hoc sibi vult, « nullam societatem nec fidem regni sanctam esse »; sed, quod ipsa verborum structura arguit, « nullam regni esse nec sanctam societatem, nec fidem »: quod discrimen acute expedivit Hermannus, vir magnif. de ipsa lectione ambigens. BEIER.

11. *Temeritas C. Cæsaris*. Qui paucis antea mensibus interierat. Hermannus mallet « tempestas C. Cæsaris », ut Ald. et quidam alii. — *Temeritatem Cæsaris* detestatur Cic. 43 extr. 57 extr. II, § 2 sq. 23, 27 sqq. 84 extr. III, c. 21,

qui omnia jura divina atque humana pervertit, propter eum, quem sibi ipse opinionis errore finxerat, principatum. Est autem in hoc genere[12] molestum, quod in maximis animis, splendidissimisque ingeniis plerumque exsistunt honoris, imperii, potentiæ, gloriæ cupiditates. Quo magis cavendum est, ne quid in eo genere peccetur.

27 Sed in omni injustitia permultum interest, utrum perturbatione aliqua animi, quæ plerumque brevis est, et ad tempus, an consulto et cogitato[13] fiat injuria. Leviora enim sunt[14], quæ repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quæ meditata et præparata inferuntur. Ac de inferenda quidem injuria satis dictum est.

28 IX. Prætermittendæ autem defensionis, deserendique officii, plures solent esse causæ. Nam, aut inimicitias, aut laborem, aut sumptus suscipere nolunt: aut etiam negligentia, pigritia, inertia[1]; aut suis stu-

et hujus tyranni cædem laudat mirifice III, § 19. Mitius loquitur N. D. I, 4, 7, ne videlicet offenderet vivum: qua de re vid. Muret. Oper. t. III, p. 784; ad Tusc. Q. I, 1. Sed de Div. II, 2, 6, negat Tullius, « se, quum esset in unius potestate respublica, ita aut adulatum aut admiratum fortunam esse alterius, ut se suæ pœniteret ». In oratione pro Lig. ad salutem civis obtinendam quod aliquid auribus tributum est a μισοτυράννῳ, iniquum foret, mirari. De inexpiabili arrogantia Cæsaris vid. Sueton. 76, sqq. de ejus ambitione malisque artibus Dan. Heinsii oratio XVIII de C. Cæs. paullo ab init. p. 201 sq. ed. Amstel. 1657, 12. Beier.

12. *Est autem in hoc genere molestum*. Intelligenter Gernhard. in Præf. p. XVII, sq. observat, uberius explicari ea officia, quæ tum videbantur a plerisque negligi, quum unus omnia licere sibi putaret: ejusque generis vitia notari acerbius. Idcirco *de gloria*, cujus studio esset filii animus juvenilis incendendus in lib. II (c. 9 sqq. 24, 85), plura disputari eorumque, qui dominationem affectassent, novarum rerum studiosi, sæpius et severius perstringi turpitudinem. Vid. II, § 21, sq. III, § 36 extr. 79—85. Beier.

13. *Consulto et cogitato*. Gern. post Heuss. et Facc. sequente Schütz. *et cogitata* scribit. Duo Ox. *cogitatio*, Gu. tert. *cogitate*, quod Heumannus probat.

14. *Leviora enim sunt, quæ*. Sic Græv. et Ern. Gern. dat *sunt ea quæ*; Facciolat. alio ordine, *Leviora sunt enim, quæ*.

IX. 1. *Aut etiam negligentia, pigritia, inertia*. Hæc addita, ut opi-

diis quibusdam occupationibusve sic impediuntur, ut eos, quos tutari debeant, desertos esse patiantur. Itaque videndum est[2], ne non satis sit[3] id, quod apud Platonem[4] est in philosophos dictum : quod in veri investigatione versentur[5], quodque ea, quæ plerique vehementer expetunt, de quibus inter se digladiari solent, contemnant, et pro nihilo ducant, propterea justos esse. Nam alterum justitiæ genus assequuntur, inferenda ne cui noceant injuria; in alterum incidunt[6]: discendi enim studio impediti, quos

nor, margini fuerant ad eos significandos, qui laborem suscipere nolunt; unde in contextum irrepsere ad constructionem turbandam. Quis enim dixerit « impediri negligentia, aut inertia » ? Facc. — Cur quis his minus dicatur *impediri* quam *stultitia* pro Rabir. c. 9? Plus etiam illud valet, quod J. M. Heusinger. monuit, verbum *impediuntur* proximæ voci *occupationibus* magis convenire, quam superioribus, ad quæ Gottleberus intelligendum putat *prætermittitur officium*. Gern. — Ut v. *impediuntur* recte ad superiora illa vitia referri docerent intt. in re non dubia testimoniis minime necessariis usi, perinepte compararunt Fin. I, 18, 59, ubi « libidinibus et ægritudinibus vitæ jucunditas impediri » dicitur. Beier.

2. *Itaque videndum*. Facc. scribit : *Atqui vid.* contra omnes libros, atque in hoc jure a seqq. criticis est reprehensus. Concludit enim Cic. inquit M. Heus. e prioribus : quia officium deseritur (ab iis qui deserunt eos, quos tutari debeant), non excusandi sunt, qui philosophiæ studio a republica capessenda abhorrent. *Videndum* est pro *verendum*.

3. *Ne non satis sit*. Int. nimis absolute Plato loquutus est : rem totam non vidit scil. in eo quod laudabat, et quod aliqua parte laude dignum erat, latere tamen aliquid vitii.

4. *Apud Platonem*. Vid. lib. VI, de Republica, et præsertim lib. VII.

5. *Quod in veri investigatione versentur*. Epicuri dogma fuit sapientem οὐ πολιτεύεσθαι, non accedere ad rempublicam. Quam sententiam exagitat Cic. orat. pro Sextio, cap. 10. Græv.

6. *Nam alterum.... in alterum incidunt*. Gern. sequutus Facc. post *incidunt* addit *injustitiæ*, notatque : *injustitiæ* ex uno Langii et Duisburg. libro cum Facciol. recepimus, quod præter Gottleberum et Erfurdt. in sched. Viro D. in Bibliotheca crit. II, 8, 71, non minus placet, quam Pearcii et patrui Heusingeri ratio, « justitiæ genus » ejicientis. Ceterum probatur J. M. Heusingeri interpretatio verbi *incidunt*, quod eamdem vim habet, quam *incurrunt* seq. § Vid. c. 8, 26. Gern. —Si quis vocem *injustitiæ* non probet, oportet totum membrum ita legat : « Dum alterum injustitiæ genus effugiunt, inferenda ne cui noceant injuria, in alterum incidunt ». Facc. — Schütz. dedit : « Nam alterum assequuntur, inferenda ne cui noceant injuria : in alterum incidunt justitiæ genus »; *incidunt que* explicat per *offen-*

tueri debent[7], deserunt. Itaque eos ad rempublicam ne accessuros quidem putant[8], nisi coactos. Æquius autem erat[9] id voluntate fieri[10]. Nam hoc ipsum ita justum est, quod recte fit, si est voluntarium[11].
29 Sunt etiam, qui aut studio rei familiaris tuendæ, aut odio quodam hominum, suum se negotium agere dicant,

dunt, violant; et sic h. v. explicabat Ern. qui vulgatam, quam edidimus, servavit. Gern.

7. *Quos tueri debent.* Gern. scribit *debeant.* Hoc, inquit, pro vulg. *debent* restitui ex Gu. 2, ad Ciceronis consuetudinem, ubi non definiti temporis officium intelligitur. Ita § 2, *debeant* (quod male sollicitarunt Gesnerus et J. M. Hensing.) III, 1, 9, optimis codd. suffragantt. « quo debeat is ». Conjunctivum hunc etiam Schütz. servavit Orat. II, 26, et Beck. pro Rosc. Amer. c. 1 extr. qui laud. Scheler. Observatt. p. 42. Assentientem habeo Grævium in fine editionis 1691. Gern.

8. *Itaque eos ad rempublicam ne accessuros quidem putant.* Facc. scribit: « non accessuros quidam », notatque: Vulgo alii leg. « ne accessuros quidem »: quod certe fieri nequit, si quid latine scimus. Loquitur autem de philosophis Epicureis, qui aiebant, ut est in oratione pro Sextio, cap. 10, « remp. capessere hominem bene sanum non oportere ». Gern. qui scribit: « Itaque eos ne ad remp. quidem accessuros putat », de hac Facc. conjectura, offensionem, inquit, quæ Virum D. in hancce conjecturam compulerit, suspicor hanc esse, quod *ne ... quidem* a plerisque editt. ad *accessuros* relatum est. Platonici enim illi ut suos deserunt, sic ne rempublicam quidem gerere volunt, quam si vellent curare, quid aliud facere possent, quam munus aliquod publicum petere vel suscipere (*ad remp. accedere*), quæ una via relicta est. Scribendum igitur est cum Gu. 1 et 2 (*nec* corrupte pro *ne*) « nec ad remp. quidem acc. » *Putat,* quod teste Wyttenbachio, Biblioth. crit. l. l. in Groning. legitur, ipsique cum Heusingeris et Gottleb. probatur, præter imprr. Heuss. omnes et Ascens. Ald. Camer. est etiam in optimo cod. script. P. Balduini, qui liber totum hunc locum servavit integerrimum, « ne ad rempubl. quidem acc. putat ». Rell. *putant.* Gottleber. ad h. l. conferre jubet Plat. Repubi. VI, p. 681. — Gernhardum Beierus sequitur, qui præterea notat: Ceterum hic præluxisse Tullio videtur Chrysippus, qui otiosum esse philosophum noluit. Vid. Plutarch. de Stoicorum repugn. p. 1033; Diog. Laert. VII, 121; Cic. Fin. III, 20, 68. Beier.

9. *Æquius autem erat.* « Indicativus rem sine ulla dubitatione propositam, conjunctivus rem cogitatam tantum, et quæ fieri possit, significat ». Matthiæ ad or. pro leg. Manil. 17, 50 pr. Beier.

10. *Id voluntate fieri.* Sc. ut accederent ad remp.

11. *Nam hoc ipsum ita.....quod recte fit, si est voluntarium.* Nam is etiam qui rempublicam bene gerit, si invitus bene gerit, se justum dicere non debebit: nulla enim laus est coacti. Rachelius comparat Aristotelis Eth. ad Nicom. II, 4, § 7, et lib. VIII, c. 13. Beier.

ne facere cuiquam videantur injuriam [12] : qui altero injustitiæ genere [13] vacant; in alterum incurrunt. Deserunt enim vitæ societatem, quia nihil conferunt in eam studii, nihil operæ, nihil facultatum.

Quoniam [14] igitur duobus generibus injustitiæ propositis, adjunximus causas utriusque generis, easque res ante constituimus, quibus justitia continetur [15]: facile, quod cujusque temporis officium sit, poterimus, nisi nosmetipsos [16] valde amabimus, judicare.
Est enim difficilis cura [17] rerum alienarum. Quam- 30
quam Terentianus ille Chremes [18] « humani nihil a se alienum putat »: sed tamen, quia magis ea percipimus atque sentimus, quæ nobis ipsis aut prospera, aut adversa eveniunt, quam illa, quæ ceteris; quæ, quasi

12. *Ne facere cuiquam videantur injuriam.* Hæc a Garvio, Hottingero et Degenio pro obliqua illorum hominum oratione accipiuntur, qui πολυπραγμοσύνης suspicionem a se remotam vellent. At vero tum debebat dici *viderentur.* Ipsa verborum structura hunc sensum, recte a Franco-Gallo interprete *Du Bois* expressum, efflagitat: « ne, quum communi utilitati non serviant, vitæ societatem deserendo in alterum injustitiæ genus incurrere videantur », excusationis causa dicunt, « non tantum esse ab re sua otii sibi, aliena ut curent eaque, nihil quæ ad se attineant », ut Terentius loquitur Heautont. I, 1, 24. Beier.

13. *Qui altero inj. genere v.* Gern. transp. *genere inj.* Gernhardo Beierus obsequitur.

14. *Quoniam.* Facciolatus cum Gu. 3, 5, Pith. impr. inc. *Quando.*

15. *Continetur.* Gern. *contineretur.*

16. *Nisi nosmetipsos,* etc. Nisi omnia prorsus ad nos referemus nostramque utilitatem, quietem et voluptatem aliorum saluti longe anteponemus. M. Heus. — Ad hanc suspicionem, in cujus significatione est quædam admonitio, accommodata sunt seqq. *Est enim*, etc. Itaque non opus est Pearcii correctione *Est quidem* et Ernestii *Est tamen* vel *autem.* Neque Gottleberi ratio probabitur, qui judicat Ciceronem ad superiora redire post interjectam periodum, ut *enim* sit *profecto.*

17. *Difficilis cura.* Ægre aliena curamus: quia, ut modo dixit, nosmetipsos valde amamus, et omnia fere ad nos referimus. Facc.

18. *Chremes.* In Heautont. I, 1, 25. Ex quo loco apparet, omnium rerum curam aliquo modo ad quemlibet hominem pertinere, pro naturali inter homines societate. Ita hoc Terentii carmen explicat Cicero etiam in lib. I de Legibus, c. 12. Facc. — Juvenal. XV, 142: « nulla aliena sibi credit mala ». Eodem Terentiano versu utitur Cic. Leg. I, 12, 33, et Seneca, Ep. 95. Vid. idem de Vita beata, 24: « Ubicumque homo est, ibi beneficio

longo intervallo interjecto[19], videmus: aliter[20] de illis, ac de nobis, judicamus. Quocirca[21] bene præcipiunt,

locus est »; cf. infra III, § 27 pr. Beier.

19. *Quo quasi longo int. int. vid.* Gu. tert. *quæ quasi quodam longo i. v. i.* quod Ciceronianum F. Heus. videbatur. Gu. pr. *quæ quasi longo int. vid. interj.* Atque ita Beier. edidit etiam, addito *quodam* post *quasi*, commendante Gernhardo in Addendis.

20. *Aliter de illis.* Eadem illa mala, quæ alii merito pati videntur, nobis immerito accidere judicamus; et contra, si sint bona: quia aliter movent proxima, aliter remota. Facc. —Hic Cicero prope abfuit, quin erueret principium Ethices formale, cujus inventor haberi voluit Cantius, hac proposita formula: in omnibus rebus, quibus de jure, et quid fas sit, quæritur, rem eo redire, ut expendamus utrum, quam quasi quamdam normam singulari facto sequi decernimus, hanc eamdem velimus communem et universam legem constitui. Sed jam, ut notavit Hermannus, simile erat aliquid Sophoclis in Electra, quæ (579 sqq.), Agamemnonem propterea, quod filiam immolasset, jure ab uxore necatum, negat, interrogans: Ποίῳ νόμῳ; ὅρα, τιθεῖσα τόνδε τὸν νόμον βροτοῖς, μὴ πῆμα σαυτῇ καὶ μετάγνοιαν τιθῇς. Cf. supra ad § 24 pr. Lycurg. in Leocr. p. 156, 16 sq. 157, 10 sq. Quid vero? ipse Christus apud Matth. VII, 12, eam legem efficacissime insinuavit, quæ agendi studium nostrum quasi e pigritiæ ac socordiæ sopore suscitet et semper alacre retineat, nos admonens officiorum, quæ societati, huic quasi cuidam cordi materno generis humani, debeamus: ut ne appetenter vitæ commoda, aliorum laboribus parta, desideremus iisque otiosi perfruamur, sed ipsi quam plurimum in communes utilitates conferamus. Eademque lege admonemur conditionis nostræ veræque rationis, quæ nos inter aliosque intercedit, ut agnoscamus ἰσονομίαν, qua ceteri consortes in æquo et pari nobiscum jure sunt constituti: quemadmodum coram Deo æquales et pares sumus omnes inter omnes. Sed, eheu! quam multi, multi? immo vero plerique omnes, ignari sortis ac conditionis suæ, evertunt communitatis fundamentum, sibi ea ut præstentur, poscentes, quæ ipsi ut aliis præstent, æquius est; aut abutuntur immoderate facultate sua agendi cum licentia, ut pro lubitu dominentur. Sed inter hanc impotentiam non ferendam et inter illam negligentiam medium tenet amor, qui « humani nihil a se alienum putat ». Igitur ne φιλαυτία judicium nostrum corrumpat, ut inique cum aliis agamus, bene præcipitur: « Quod dubitas, ne feceris »: quæ Plinii sunt verba, Ep. I, 18. Susurramini conscientiæ, quo recti admonemur et a peccatis revocamur, semper auscultandum. Quæ enim cupiditati abnuit, est fere ipsius honestatis vox. Beier.

21. *Quocirca.* Ex dictis sequitur, nihil esse agendum, nisi plane constet, æquum esse; ne forte nimio erga nos amore decipiamur. Facc. — *Quod dubites.* Vide de hoc loco et dubiis casibus pulchre disputantem Hug. Grotium de Jure belli et pacis, II, cap. 23, § 1, 2, et seq. et ejusdem libri cap. 24, § 4. Græv. — Restringit hoc præceptum Garve Annot. t. I, p. 103, 111. Cf. Exc. Krugii Aretologia, § 32, p. 169, 172 sq. Beier.

qui vetant quidquam agere, quod dubites[22], æquum sit, an iniquum. Æquitas enim lucet ipsa per se: dubitatio cogitationem[23] significat injuriæ.

X. Sed incidunt sæpe tempora, quum ea, quæ maxime videntur digna esse justo homine, eoque, quem virum bonum dicimus, commutantur, fiuntque contraria: ut reddere depositum[1], promissum[2] facere; quæque pertinent ad veritatem, et ad fidem, ea migrare[3] interdum, et non servare, sit justum[4]. Referri enim decet[5] ad ea, quæ proposui in principio[6], fun- 31

22. *Quod dubites.* Miror Heusingerum, qui pronomen *ipsa* post *lucet* cum Beda vult excludi. Vid. II, 12, 42. Epist. III, 9, 5, « tua dignitas... mihi est ipsa cara per se ». Gern. cui Schütz. se assentire declarat.

23. *Dubitatio cogitationem*, etc. Qui dubitat et deliberat, num aliquid sibi liceat, cupit licere; qui cupit, facile inducitur ut credat. Itaque ipsa quoque dubitatio et deliberatio in re gravi criminis loco est. Dubitanti Vespasiano, num se imperatorem appellari pateretur adversus Vitellium, ita Mucianus apud Tacitum, lib. II, 77: « Qui deliberant, desciverunt ». Vide plura hac de re in lib. III, c. 8. Facc.

X. 1. *Depositum.* Vulgo additur, « etiamne furioso? » Sed critici omnes fatentur, hoc quoque ex illis esse, quæ margini adscripta fuere ab explanatoribus et grammaticis. Facc.—Tertio libro Cicero hæc explicatius tractat e Platonis Rep. I, p. 574. Fr. — Goth. et Vin. Gu. duo postremi cum antiquis impr. « ut non reddere depositum ». Lamb. « ut non reddere depos. etiam promissum non facere ».

2. *Promissum facere.* Vide Hug. Grot. de Jure belli et pacis, II, cap. 11, ubi disserit de promissis. Græv.

3. *Ea migrare.* Id est, transilire: qua ratione verbum *migro* adhibetur, etiam in lib. III de Leg. cap. 4, et alibi. Sunt qui legant *ea negare:* sed perperam. Facc. — Post *contraria* plene interpunxit Heusing. Erfurdt. in sched. Mutata interpunctione sic scripserim: « contraria, est, reddere... fidem. Ea, etc. » Verum sic hæc omnia *Ea ...justum* sunt otiosa. *Ea migrare* proxime accomodatum est ad *quæque* (et quæcumque), etc. sed sensu complectitur etiam illa: « reddere dep. prom. fac. » Ita superiora « Sed incidunt... contraria » universe valent; eademque sententia altero loco transfertur ad exempla. Vid. § seq. c. 11, 4. *Ut majores*, etc. c. 13, 2. *Ut primo*, etc. Gern.

4. *Sit justum.* Gern. dedit *fit justum*, quod nobis melius videtur, quia sic magis inter se conveniunt in construendo sententiæ membra. Gern.

5. *Referri enim decet.* Pro *decet* fortasse legendum *debent.* Scilicet promissa omnia revocari debent ad illa duo justitiæ fundamenta, et ex iis dijudicari. Facc.

6. *Quæ proposui in principio.* Gern. scribit *posui*, et verba *in princ.* uncis includit. Præpositionem *in*, inquit, quam Facciolatus cum plerisque libris retinuit, J. F. Heusinger. excludit.

damenta justitiæ: primum, ut ne cui noceatur; deinde, ut communi utilitati serviatur. Ea quum [7] tempore commutantur, commutatur officium, et non semper
32 est idem. Potest enim accidere [8] promissum aliquod et conventum, ut id effici sit inutile vel ei, cui promissum sit, vel ei, qui promiserit. Nam si, ut in fabulis est, Neptunus, quod Theseo promiserat, non fecisset, Theseus filio Hippolyto non esset orbatus. Ex [9] tribus

Utrumque malim abesse: paullo ante enim *posuit*, id est, principio disputationis descripsit hæc fundamenta justitiæ, c. 7. Eidem glossatori debetur vulgatum *proposui*. Beier. vv. *in principio* delevit. — Schützius in eo Gern. sequitur, quod *posui* scribit.

7. *Ea quum tempore.* Sic dedere M. Heus. ex nonnullis libb. J. F. Heus. ex suis omnibus et impress. vett. Facc. et Græv. olim simpliciter scribunt « quum tempora comm. » omisso *ea*. —Alii *ea quum tempora*. Recte monuit J. F. Heusinger *ea* pertinere ad proxima *ut ne cui*, etc. Tempore nimirum mutatur utilitas. Vide prima huj. cap. et § seq. III, l. l. Gern.

8. *Potest enim accidere*, etc. Libenter transferrem particulam *ut*, atque ita legerem: « Potest enim accidere, ut promissum aliquod et conventum effici, etc. » Ita puto scriptum a Cicerone fuisse. Quis enim ita loquatur: Accidit lex aliqua, ut eam servari sit inutile? Facc.—Eamdem ob causam Erfurdt. in sched. legit: « Potest enim accidere, promissum aliquod et conventum ut effici etc, » omisso pronomine *id*, quod delet unus Gu. 1. Ceterum ad istam offensionem levandam in Gu. 3 et 5, post *conventum* scripserunt *esse tale;* in Goth. *ita*. Gern.—Sed, ait M. Heus. Cic. c. 45, scribit: « non potest accidere tempus, ut interit reipublicæ quidquam illorum facere sapientem ». Vid. lib. III Epist. 7, 25. His locis *accidere* est ita cadere, hunc casum habere. Gern. — Excusanda hæc constructio per negligentiam quamdam familiaris sermonis. Beier.

9. *Ex tribus.* Tria optaverat a Neptuno Theseus, ut Minotaurum occideret; ut ad inferos sibi aditus aperiretur; ut filius Hippolytus periret. Porro tertium hoc imprudens optaverat, quod novercæ criminationibus temere credidisset: ideoque obtinere non debebat. Facc.—Quæ præter Hippolyti interitum optata fuerint, Valckenarius ad Eurip. Hippol. 887, suspicatur, neque Euripidem, neque Senecam novisse, enarravit autem Schol. ad v. 887 et 1349. Atque me quidem et verba: « hoc erat tertium », et omnia hæc « ex tribus... incidit », sic offendunt, ut eam suspicionem, quam Valcken. ad h. l. de altera hujus fabulæ enarratione, III, 25, 94, movit, quod eadem res hoc loco narrata sit, ab illo potius transferendam putem ad nostrum. Quid enim opus fuerit narrare, in luctus incidisse Theseum, quem audivimus filio esse orbatum? Secus statuendum est de altero loco, in quo si verba, *cui cum... luctibus*, cum Valcken. deleveris, promissum quod fuerit, nescis. Accedit, quod in lib.

enim optatis, ut scribitur[10], hoc erat tertium, quod de Hippolyti interitu iratus optavit: quo impetrato, in maximos luctus incidit. Nec promissa igitur servanda sunt ea, quæ sint iis[11], quibus promiseris, inutilia; nec, si plus tibi noceant, quam illi prosint, cui promiseris, contra officium est[12], majus anteponi mi-

III, uberiori exemplorum enarrationi longe aptior locus est, quam hic, ubi præcepta justitiæ tradenda sunt. Gern. —Beierus defendit hunc locum contra Gernhardi suspicionem. Mutilato, inquit, hoc loco, exsistit jejuna battologia. Quippe horum, « Potest enim accidere... vel ei, qui promiserit », continua repetitio, variatis modo verbis, « nec promissa igitur... quam illi, cui promiseris », hic non haberet excusationem, nullo interjecto « promissorum, quæ sunt iis, quibus promiseris, inutilia » exemplo, quod eo magis desideratur, quum deinceps ex altero genere adjiciatur exemplum «promissorum, quæ ei noceant, qui promiserit ». Beier.

10. *Ut scribitur.* Ex conjectura Facc. *ut dicitur*, scripsisse videtur. Quamquam h. l. utrumque me male habet, quum præsertim prægressum sit, « ut in fabulis est ». Gern.

11. *Quæ sint iis.* Gern. scribit *sunt.* Ita, inquit, scripsi ex Gu. 4, μ, Beda et Eybo ad similitudinem III, 25, 1. ubi omnium librr. consensu legitur: «quæ non sunt iis ipsis utilia, quibus illa prom. — Beier. qui *sunt* edidit, notat: Hæc certe immerito ut nimis laxa reprehendit Binkes, p. 57, n. 66, ubi in partes vocat Puffendorfium de Jure N. et G. III, 5, 9, et ex ejusd. l. V, c. 12, § 22, affert argumentum, quod non semper sit promissoris, judicare resne utilis sit futura ei, cui promissa est. At jam J. Fr. Gronov. not. 2 ad Grotii l. II, de jure belli et pacis c. 16, § 27 monuit, *inutilem* rem dici nocituram, quæ perniciosa sit ex judicio hominum omnium sanæ mentis, neque vero rem, quæ ex errore tantum promittentis nulli sit usui. Ipse Puffendorf. lib. IV, c. 2, § 14, concedit, promissione adeoque jurejurando non excludi tacitas conditiones et exceptiones, quæ ex ipsa rei natura rite fluant. Ergo si iniqua aut absurda promiseris, minime tenebere. Talis enim promissio per se irrita est, quippe turpis. Beier. — Imprr. veter. omnes « servanda sunt iis (al. *hiis*, plerique *his*) quibus promiseris inutilia si sint ». J. F. Heus.

12. *Nec... contra off. est, majus anteponi minori*, sic post Pearc. et Facc. dedere M. Heus. ex uno Ox. et Ven. quart. J. F. Heus. ex suis omnibus. Plerique Ox. Vinar. Rom. tres Ven. et Arg. « majus damnum anteponi minori ». Unus Ox. et duo Lang. « majus anteponere minori ». Ante Pearcium legebant vulgo « majus non anteponi minori »; quia non videbant construendum esse sic: « nec contra officium est, etc. » —Ammon, vir magnif. diss. l. de veritate, etc. p. 8, honestatem a temporum utilitatumque vicissitudine pendere, negat et pernegat, omnemque dictorum conventorumque fidem et constantiam Ciceronis sententia tolli et everti, arguit. Laxius controversiam dijudicat etiam Garve, p. 112, sqq. Beier.

nori: ut, si constitueris te cuipiam [13] advocatum in rem præsentem [14] esse venturum, atque interim graviter ægrotare filius cœperit, non sit contra officium, non facere, quod dixeris; magisque ille, cui promissum sit, ab officio discedat, si se destitutum queratur. Jam illis [15] promissis standum non esse, quis non videt, quæ coactus quis metu, quæ deceptus [16] dolo promi-
33 serit? quæ quidem pleraque jure prætorio [17] liberantur, nonnulla legibus [18].

Exsistunt [19] etiam sæpe injuriæ calumnia [20] quadam, et nimis callida, sed malitiosa [21] juris interpretatione.

13. *Te cuipiam.* Gern. ex MSS omnibus Gu. cum J. F. Heus. scribit: « cuipiam te ». Beier. qui Gernhardum sequitur, virgulam posuit post *cuipiam*. « Constituere alicui », inquit, valet cum aliquo pacisci, ei promittere, pro Quint. § 18; Attic. XVI, 2, pr. Juvenal. III, 12. Beier.

14. *Advocatum in rem præsentem.* Operam te præsentia tua alicui daturum in judiciali controversia. Facc. De hac re vide Orat. I, 58, 250, ibique Schützium. Gern. — *In rem præsentem.* Proprie dicitur quum judex seu arbiter in locum, de quo controversia est, venit. Cic. pro Cæcin. « Placuit Cæcinæ de amicorum sententia constituere, quo die in rem præsentem venirent ». De re ipsa vide Senecam, de Benef. IV, cap. 35. Græv.

15. *Jam illis promissis standum non.* De toto hoc genere fusius agit sub finem lib. III, c. 16 (c. 24). Gern. — Quidam libb. *jam in illis*, quod J. F. Heusing. placebat.

16. *Quæ deceptus.* Facc. cum vulg. *aut deceptus.* Præstat quod C. Langius, Grævius, Ern. et Heusingeri dederunt, consentientibus plerisque MSS, Gu.

17. § 33. *Jure prætorio.* Edicto prætoris, quod interponebatur ad contractus dissolvendos, qui metu, vel dolo facti fuissent. Facc. — Jus erat prætorium, quo prætores juris civilis nimiam severitatem mitigabant: plerumque reo dabant exceptiones, quibus actor repellebatur, qui stricto jure causa cadere non debuisset. — Ceterum de promissis, quibus dolo deceptus se obstrinxit, vide Grot. de jure belli et pacis, cap. 12, § 7, et cap. 17, § 17. Græv.

18. *Legibus.* Dolus malus legibus puniebatur, ut idem Cicero scribit lib. III, c. 15. Sed quia leges casibus omnibus providere non potuerant, accessit subsidium prætorium. Facc.

19. *Exsistunt.* Ex ipsis legibus quidam occasionem injuriæ capiunt. Facc.

20. *Calumnia*, quæ malitiosa juris interpretatio, legislatoris menti contraria, ut ipse Cic. intp. M. Heus.

21. *Sed malitiosa.* Gern. scrib. *et malit.* Hoc, inquit, ex Gu. 1 restitui. Idem Manutio, Lamb. Pearc. atque Erfurd. in Sched. probatur. Exc. Pith. impr. Magont. Facciolatus *seu malitiosa.* Heusingerus frustra defendit reliquorum librorum lectionem *sed malit.* quod respuunt opposita « et nimis callida ». — *Et malitiosa* probat Gœ-

Ex quo illud: « summum jus[22], summa injuria », factum est jam tritum sermone proverbium. Quo in genere etiam in republica multa peccantur: ut ille, qui, quum triginta[23] dierum essent cum hoste pactæ induciæ[24], noctu populabatur agros, quod dierum essent pactæ, non noctium induciæ. Ne noster[25] quidem probandus, si verum est, Q. Fabium[26] Labeonem, seu quem alium (nihil enim præter auditum habeo),

rem. ad Fin. IV, 16, 43, p. 476, a. qui *et*...*et* accipit pro *non solum*... *sed etiam*, sic ut posterior, cum intentione posita, *et adeo* valeat. Nos quidem Hermanni, viri magnifici, judicio confisi, prætulimus *sed*. Quam lect. F. Heusinger, laudato Gesnero ad Columellam, XII, 44, 7, idoneis defendit exemplis, docens, *sed*, ut apud Græcos ἀλλά, augere sententiam et vicem particularum *immo vero*, *quin etiam*, *et quidem* sustinere. Quod facile est exemplis confirmare, ut sæpe. Prior autem *et* post *calumnia q.* valet *id est*. Beier.—Beierum Schützius secutus est.

22. *Summum jus*. Terentius in Heautontimorumeno, IV, 5, 48: « jus summum sæpe summa est injuria ». Facc. — Gottleberus laudat Menandri locum apud Stobæum, t. XLII, p. 275, ὁ δ' ὁρῶν τοὺς νόμους λίαν ἀκριβῶς, συκοφάντης φαίνεται. Gern. — *Summum jus summa injuria*. H. e. « Tum maxime disceditur ab æquitate, quum maxime superstitiose hæretur literis, quum de verbis juris contenditur neque spectatur, quid senserit is, qui scripsit », interprete Erasmo, Adag. p. 328. Beier. — Multa colligit præterea in hunc locum Beierus, quæ videre operæ pretium est.—Poeta gallicus dixit: « Une extrême justice est une extrême injure ».

23. *Triginta*. Al. *centum et triginta*. Facc. — Vin. Mag. Venn. Ascens. « cum centum triginta », omissa copula. Ex quo recte judicat J. M. Heusinger. *centum* natum esse ex *cum*. Gern.

24. *Pactæ induciæ*. Al. *factæ induciæ*. Facc. — *Pactæ* translatum est ex altero loco, ubi induciæ dicuntur *pactæ*, quod ex pacto ad dies pertinuerunt, non ad noctes. Ceterum animadvertendum est, Cleomenem Laced. quem intelligunt, apud Plutarch. Apophthegm. Lacon. p. 223, cum Argivis septem, non triginta, dierum inducias pactum, tertia nocte fidem fefellisse. Gern. — Schützius cum Gern. fecit.

25. *Ne noster*. Nam ille qui induciarum fidem violavit, Græcus fuit, sive Cleomenes, sive alius. Facc.—*Ne noster* pro vulg. *Nec n.* placuit Heusingero e Gu. duobus et Grævio in fine editionis minoris 1691, cum aliis.

26. *Q. Fabium*. Rem narrat Valerius Max. in lib. VII, c. 3, num. 4. Facc. — A *verum est* pendere voluit Cicero ea, quæ exspectaveris nominativo efferri, « Q. F. Labeo, etc. » de quo struendi genere vide Hotting. in nota ad III, 4, p. 238. Gern. — Hic est Q. Fabius Q. F. Q. N. Labeo post duas repulsas cos. factus cum M. Claudio Marcello anno Urb. cond. 570. M. Heus.

arbitrum Nolanis et Neapolitanis de finibus a senatu datum, quum ad locum venisset, cum utrisque separatim loquutum, ut ne cupide quid agerent, ne appetenter[27], atque[28] ut regredi, quam progredi mallent. Id quum utrique fecissent, aliquantum agri in medio relictum est. Itaque illorum fines, sicut ipsi dixerant, terminavit; in medio relictum quod erat, populo romano adjudicavit. Decipere hoc quidem est, non judicare[29]. Quocirca in omni re fugienda est talis solertia.

XI. Sunt autem[1] quædam officia etiam adversus eos servanda, a quibus injuriam acceperis. Est enim ulciscendi et puniendi modus. Atque haud scio, an satis sit, eum, qui lacessierit, injuriæ suæ pœnitere[2]: ut et ipse ne quid tale posthac[3], et ceteri sint ad injuriam
34 tardiores. Atque in republica maxime conservanda sunt[4] jura belli. Nam quum sint duo genera decer-

27. *Ne appetenter.* Facc. scribit *nec appeterent*, notatque : Verbum *appeto* satis rem explicat, ut diximus in adnotat. ad cap. 6 (c. 7, 21). Quidam legere malunt, *nec appetenter:* satis ingeniose, si Cicero, qui toties de humanis cupiditatibus loquitur, adverbium hoc alias usurpasset. Sed non est, opinor, antiquius ætate Apuleii. Facc.—Gern. edidit *ne app.*

28. *Atque*, est *quin etiam.*

29. *Decipere hoc quidem est, non judicare.* Omnes imprr. vett. « decipere hoc quidem, non judicare est ». J. F. Heus.

XI. 1. *Sunt autem*, etc. Hactenus de justitiæ officiis egit, quæ alter alteri jure præstare debet; nunc de illis, quæ extra societatem servanda sunt, vel cum privato inimico, vel cum hoste reipub. vel cum servo, vel cum eo, qui per fraudem lædit. Facc.

2. *Haud scio an satis sit... pœnitere.* M. Heusing. observat *haud scio an* esse quamdam modestioris affirmationis formam, et v. *pœnitere* idem esse atque: Sentire injuriam esse non impunitam, ea pœna esse affectum, cujus memoria ipsum qui peccavit a peccando revocet, et ab imitando alios deterreat. Non facile diceres, quomodo ceteri ad injuriam tardiores fierent, nam absurda est sententia Facciol. qui notat: Non putat Cicero, satis esse eum, qui læserit, pœnitere; sed puniri vult, ut et ipse posthac abstineat, et alii ab injuria deterreantur. Gern.

3. *Posthac.* Beier. *in republica.* I. e. adversus alienos populos et civitates. Cf. c. 10, extr. p. 76.

4. *Conservanda sunt*, etc. Quia in bello maxime præteriri modus solet; quum tamen justitia poscat, ut nihil in eo fiat, nisi ad fruendam pacem sine injuria. Facc.

tandi, unum per disceptationem[5], alterum per vim; quumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum: confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore[6]. Quare suscipienda quidem bella sunt ob eam causam, ut sine injuria in pace vivatur; parta autem victoria, conservandi ii[7], qui non crudeles in bello, non immanes fuerunt: ut majores[8] nostri Tusculanos, Æquos, Volscos, Sabinos, Hernicos in civitatem etiam acceperunt; at Carthaginem[9] et Numantiam[10] fun-

5. *Per disceptationem*. Goth. addit *quod verbis fit*, e glossemate. — *Per disceptationem*. I. e. per expostulationem et satisfactionem, per contentionem de eo, justumne aliquid sit, an injustum, quæ fit adductis rationibus, quæ plus ponderis habeant. Vid. Gesner. Thes. s. v. *discepto*. Apud Liv. VIII, 23, Romanorum legato, Samnites, priusquam bellum fieret, « ad disceptandum vocanti ad communes socios atque amicos » respondetur: « Nostra certamina, Romani, non verba legatorum nec hominum quisquam disceptator, sed... communis Mars belli decernet ». Ib. XXVIII, 21: « quidam, quas disceptando controversias finire nequierant, aut noluerant, ferro decreverunt ». Ib. « Quum verbis disceptare Scipio vellet ac sedare iras ...ambo dicere... Martem se judicem habituros esse ». Cf. Schütz. Lex. Cic. s. v. *disceptatio*. Beier.

6. *Confugiendum est... superiore*. Cf. § 80 pr. Crœsus ap. Herodot. α', 87, lin. 18, οὐδεὶς γὰρ οὕτως ἀνόητός ἐστι, ὅς τις πόλεμον πρὸ εἰρήνης αἱρέεται. Menelaus ap. Liban. Sophist. p. 196: Πρῶτον μὲν γὰρ τὰ δίκαια τῷ λόγῳ πειρᾶσθαι λαμβάνειν, ἀλλὰ μὴ τοῖς ὅπλοις ἐπιπηδᾷν, ἀνθρωπινώτερον δήπουθεν. Dionys. in Eclog. legat. II, p. 295: Μὴ πρότερον ἄρξαι τῶν ἔργων, πρὶν ἢ πειρασθῆναι τῶν λόγων. Hinc ridicule miles gloriosus, sed subtimidus, in Terent. Eun. IV, 7, 19: « Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet ». Contra recte etiam C. Pontius Samnis apud Liv. IX, 1: « Justum est bellum, quibus necessarium: et pia arma, quibus nulla nisi in armis relinquitur spes ». Cf. Exc. Krug. Dicæolog. § 95, et p. 417. Beier.

7. *Conservandi ii*. Facciolatus scripsit « conservandi sunt ii » cum vulg. Gern.

8. *Ut majores nostri Tusculanos, Æquos, Volscos*, etc. Vid. de hac majorum laude II, c. 8 pr. pro Balbo, c. 13; Flor. I, 1; Liv. I, 13 et 33; Dionys. Halic. II, c. 46; Plutarch. in Romulo, c. 19 extr. Liv. VI, 25, sq. 33, VIII, 14, pr. Plutarch. in Camillo, c. 38; Val. Max. VII, 3, 9; Vellei. Paterc. I, 14, 6; Dionys. Halic. IV, c. 49. Beier.

9. *At Carthaginem*. Quia Pœni fœdifragi, et Hannibal crudelis. Facc.

10. *Numantiam*, Celtiberorum in Hispania munitissimum oppidum. Vid. Vell. II, 4, 2, sq. 5; Flor. II, 17, 18; Epitom. Liv. lib. LIX; Orosius, V, 7; Entrop. IV, 8, 5. Romanorum sævitiam in Numantiam jure abominatur Garve ad hunc locum, pag. 116 sq. Beier.

ditus sustulerunt. Nollem Corinthum[11]: sed credo aliquid sequutos[12], opportunitatem loci[13] maxime, ne posset aliquando ad bellum faciundum locus ipse adhortari. Mea quidem sententia, paci, quæ nihil habitura sit insidiarum[14], semper est consulendum. In quo si mihi esset obtemperatum[15]; si non optimam, at aliquam[16] rempublicam, quæ nunc nulla est[17], haberemus. Et quum iis[18], quos vi deviceris, consulendum est; tum ii, qui, armis positis, ad imperatorum

11. *Corinthum*. Græciæ decus, commune Europæ Asiæque emporium, L. Mummius delevit anno U. C. 607, ut præter alios narrat Florus lib. II, c. 16. Facc.

12. *Aliquid sequutos*. Non sine causa fecisse. In disturbatione Corinthi utilitatis specie peccatum esse ait lib. III, c. 7 (c. 11, 1). Facc. — Assentior viro D. *aliquid* interpretanti. J. F. Heusingerus intelligit *aliud quid* (quam quidnam?) C. Langius *aliquid* adverbii loco accipit, ut græc. τὶ interpositum. Gern.—Nobis optima videtur J. F. Heusing. interpretatio, qua *aliquid* pro *aliud quid* positum dicitur, ut sæpissime fit apud nostrum, et quum Gern. interrogat quæ sit alia hæc ratio quam non sequuti fuerint, immemor est tacite nostrum dixisse Carthaginem et Numantiam ideo deletas fuisse quod se crudeles et immanes gessissent. Si eadem scelera Corintho exprobrari non potuerunt, alia tamen, inquit Cicero, ratio fuit quam majores nostri in ea delenda sequuti sunt, nempe, *ne posset aliquando*, etc.

13. *Opportunitatem loci*. Inter duo maria positi, Ionium et Ægæum. Facc. — In primis vide orat. contra Rullum, II, 32. Florus II, 16, causam (proximam opinor) dicit Critolaum, qui Rom. legatos violaverit. Gern. — De situ Corinthi et loci ratione vid. Car. Frid. Groschnii de urbe Corintho libellus (Jenæ 1812, 8), p. 9 sq. Urbs, a Julio Cæsare restituta, hodie vico non absimilis, antiquum nomen servat, Corito. Non pœnitebit adhibuisse Brockusii *Real-Encyclopædie* II, p. 809 sq. ed. V. Beier.

14. *Paci quæ nihil habitura sit insidiarum*, etc. i. q. Nisi in pacis conditionibus ferendis sit simulatio aperta, paretur autem bellum. Beier.

15. *Mihi esset obtemperatum*. Cicero autem pacis auctor fuerat inter Cæsarem et Pompeium: sed contempta est ejus opinio tamquam hominis plus nimio metuentis. Facc.

16. *At aliquam*. Particulam *at* J. F. Heusing. expellit auctoritate Gu. 2, et Ven. 1498. « Si non optimam » corrigi jubet Grævius in fine editionis 1691, quum edidisset *et si non opt.* quod est in impressis vett. meritoque Facciolato et J. F. Heusingero post Ernestium displicuit. Gern.

17. *Quæ nunc nulla est, haberemus*. Dum Cæsaris tyrannidem, Cæsare interfecto, Antonius instauret. M. Heus.

18. *Et quum iis, quos vi*, etc. Victis pro humanitate consulendum est; dedentes se pro fide recipiendi sunt. Facc.

fidem confugient[19], quamvis murum aries percusserit[20], recipiendi sunt[21]. In quo tantopere apud nostros justitia culta est, ut ii, qui civitates, aut nationes devictas bello in fidem recepissent, earum[22] patroni essent more majorum.

Ac belli quidem æquitas sanctissime fetiali populi 36
romani jure[23] perscripta est. Ex quo intelligi potest, nullum bellum esse justum, nisi quod aut[24] rebus repetitis geratur, aut denuntiatum ante sit, et indictum. Pompilius[25] imperator tenebat provinciam : in

19. *Confugient.* Al. *confugiunt.* Al. *confugerint.*

20. *Quamvis murum aries percusserit.* Dicit Cicero ex militari lege, qua, ubi mœnia quati ariete cœperunt, oppidani in deditionem fidemque non recipiebantur. Id et e Cicerone et e Commentariis Cæsaris cognoscimus, in quorum libro II Bell. Gall. sic scribitur : « Cæsar Aduaticis denuntiat se eorum civitatem conservaturum, si, priusquam aries murum attigisset, se dedidissent ». Et dicit hanc legem minime justam esse. Turnebus, Advers. XXVI, 32. Vide Grot. III de jure belli et pacis, cap. 11, § 14.

21. *Recipiendi sunt. Sunt* post Facc. Gern. excludit sequutus Gu. 1, 2, 3, 5, et Bedam. Assentiuntur Schützius, Beierus et Gœrenz. ad Leg. III, 15, 33, post Grævium in fine editionis minoris 1691. Gern.

22. *Earum patroni.* Sic dedititiorum populorum patroni Marcelli Siculorum (vid. Ascon. ad Cic. divin. in Q. Cæc. c. 1), Allobrogum, a Q. Fabio, Æmiliani F. victorum (Liv. epit. 61), Fabii (vid. Sallust. Cat. 41), Macedonum Æmilius Paullus (teste Plutarcho in ejus vita ad fin.), Cypriorum, quorum insulam in provinciæ formam redegerat (Liv. 104), M. Cato (vide ad Famil. XV, epist. 4, § 41); et Fabricius Samnites universos post redditam iis pacem in clientela habebat. Val. Maxim. IV, 3, 6 ; Gell. I, 14. Quædam ex his debentur Mich. Heusingero. Beier.

23. *Fetiali... jure.* Quod ab Equicolis, antiqua gente, descripsit Ancus Martius. Vide Livium, lib. I, c. 32 ; IV, cap. 30. Facc.

24. *Aut rebus.* Legendum puto : « et rebus repetitis geratur, et denuntiatum ante sit atque indictum ». Nam prius legati ad res repetendas mittebantur ; et nisi redderentur, bellum per Feciales denuntiabatur. Ordinem totum rei hujus, et formulas adhiberi solitas habes apud Livium loco citato. Porro *rerum repetundarum* nomine quælibet injuria significabatur. Facc. — *Denunciatum* refert Gottleber post Wolfium ad ea bella, quæ aliis de causis, non ob res ereptas, orta sunt, veluti Samniticum, Cimbricum et alia. Gern.

25. *Pompilius.* Sic Oliv. Gern. post Facc. sequente Schütz. scribit *Popilius*, notatque : C. Popilius Lænas, qui consul fuit anno U. C. 582 secundum Varronem. Huic nominis scripturæ favet Gu. 2 et P. Balduini cod. script. cum lapidibus aliq. Græv. in

cujus exercitu Catonis filius[26] tiro militabat. Quum autem Pompilio videretur, unam dimittere legionem; Catonis quoque filium, qui in eadem legione militabat, dimisit. Sed quum amore pugnandi in exercitu remansisset, Cato[27] ad Pompilium scripsit, ut, si eum pateretur in exercitu remanere, secundo eum obligaret[29] militiæ sacramento[29]: quia, priore[30] amisso,
37 jure cum hostibus pugnare[31] non poterat. Adeo summa erat observatio in bello movendo[32]. M. quidem Catonis

fine edit. 1691. Al. ut Heus. *Popilius* Al. *Pompilius*. Intelligendum autem esse non Caium, sed Marcum, docuit C. Langius ad h. l. vide Livium, XLII, 7 et 8. Atque ab ultima litera in *autem M.* facile potuit absorberi. Gronovius suspicatur *A. Hostilius*, de quo Liv. XLIV, 1, A. Manut. non male conjicit *P. Æmilio*, quo duce militasse Catonem fil. docet Plutarch. Cat. Maj. p. 348, D. Idem imperator, Perseo victo, apud Livium, XLV, 2, senatus consulto jubetur dimittere partem exercitus. Sed quisquis is sit, in utraque Catonis epistola nostro loco eumdem esse intelligendum imperatorem et consulem infra docebitur. Gern.

26. *Catonis filius*. Catonem Censorium significat, cujus filius meruit toto quadriennio belli hujus ab Æmilio Paullo confecti, ut est in ejusdem Æmilii vita apud Plutarchum (p. 266, C). De ejus virtute vide Justinum, lib. XXXIII, c. 2; A. Frontinum, Stratag. lib. IV, c. 5. Facc.

27. *Cato*. Pater filii dimissi.

28. *Si eum pateretur...obligaret.* Heusing. dissentientibus plerisque editoribus et Erfurdt. in notis MSS scripsit *obliget*. Optimorum libb. lectio si non prorsus rejicienda est, *obliget* nimirum pro *obligaret* mutata locutione dici videbitur, quasi epistolam Cat. in manu tenens dederit *scribit*, ut paullo post, aut *scriptum est* (a Catone). *Scripsit* autem conveniebat prægressæ orationi, eidem accommodabatur etiam *pateretur*. Vide c. 5, 15, et 7, 22. J. F. Heusingerus satis habet citare Sallustium, Cat. 34, 1: « Si quid a senatu petere vellent, ab armis discedant ». Non male autem in μ. pronomen *eum* ante *obliget* expellitur. J. Sarisb. semel ponit *eum* post *remanere*, minus idoneo loco.—Beier. delet *eum*, scribitque *obliget*.

29. *Militiæ sacr*. J. Sarisb. omittit *militiæ*, non repugnante Heusingero. Nolim tamen excludi *militiæ*, de cujus jure hic agitur diligenter observando. Gern.

30. *Priore amisso*. Nempe Cato filius solutus fuerat priore sacramento, quum tota cum legione dimissus esset. Desierat enim miles esse, qui missus fuerat.

31. *Jure... pugnare*. Solutus priore sacramento per suæ legionis dimissionem, remanere ipse in exercitu non poterat, et jure cum hoste pugnare, nisi novo se sacramento obstrinxisset. Facc.

32. *Adeo.... movendo*. Hæc, quæ Facciol. delevit, contra defendente M. Heus. Gern. uncis inclusit. Hunc, inquit, locum Joann. Sarisb. omittit: Bongarsius ad Justin. XXXIII, 1, 7,

senis epistola est[33] ad M. filium, in qua scripsit, se audisse, eum missum factum esse a consule, quum in Macedonia Persico bello[34] miles esset. Monet igitur,

glossatori tribuit. *Movere bellum* paucis persuaserit J. F. Heusingerus esse *bellum gerere*. Facilius hoc epiphonema posset ferri, si, non sejuncta altera ab altera Catonis epistola, extremo capite legeretur. Quamquam omnino commodius excluditur, ut ab aliquo priscæ fidei admiratore in margine scriptum. Ceterum, si cui illud placeat, satius tamen videbitur cum Lambino vocem *movendo* expellere, ut latius pateat sententia: de reliquis conf. Liv. præfat.—Schützius hæc delevit; sed hæc Beierus tuetur, qui tales exclamationes Ciceroni dicit familiares, plurimis allatis exemplis.

33. *Epistola est...in qua scripsit.* Gern. scribit «est epistola... in qua scribit».

34. *Quum in Macedonia Persico bello miles esset.* Hæc uncis Gern. includit, notatque: Totum hunc locum «Marci quidem... cum hoste pugnare» insititium judicant Chapman. et Pearcius, quod bello Persico non dimissæ fuerint legiones, sed novæ scriptæ quotannis. Sunt autem dimissæ, Perseo victo: quod supra monui. Equidem hoc sum admiratus, quod, si hic alter consul non est idem ille, sive Popilius, sive Æmilius, neque consulis nomen, neque illud indicatur, Catonis filium, quum iterum dimissus esset, iterum voluisse in castris remanere: si minus voluit; inepta est patris admonitio, ne prælium ineat. Annon autem probabilius est, quum primum missus factus esset, rogandusque videretur imperator, ut secundo eum sacramento obligaret, patrem simul filium monuisse ea, quæ hac altera epistola continentur, semel autem hæc monuisse fuisse satis? Quod si hæc ad filium epistola eodem fere tempore scripta est, quo illa ad imperatorem; sequitur, superflua esse hæc: «quum in Macedonia bello Persico miles esset», et inepto loco post «quum audisset, eum missum factum esse a consule», posita. Expunge istud invisum interpretamentum, atque omnia sunt Cicerone digna. In utraque epistola idem consul, idem bellum et tirocinium, eadem dimissio, ejusdem sacramenti militaris observatio. Accedit Plutarchi autoritas, qui hanc Catonis ad filium epistolam eamdem ob causam commemorat in Quæst. Rom. p. 273, E, et consulis, et terræ, et belli nomine omisso, ut videatur nostrum locum expressisse glossemate isto nondum corruptum. Atque eumdem locum *quum...esset* ejiciendum censuit G. H. Martini G. Ratisb. Rect. in Commentat. crit. quam commemorat J. G. Lindner. hunc locum frustra defendens in Commentat. crit. Arnstadtii 1771. Gern. — Schützius auctore Gern. hæc delevit, Beier. uncis includit ea omnia quæ Pearcio suspecta fuerunt. — *In Macedonia Persico bello*, etc. Bello Macedonico secundo, quod cum Perseo Philippi filio, ultimo Macedonum rege, gestum est. Quamvis autem bellum hoc videatur magis proprie dici debere *Perseum*, quæ vox Propertii est; attamen critici animadverterunt ubique fere *Persicum* dici. Facc. — Heusingeri ex suis libris, fastis Capitol. et Joann. Sarisb. transponunt *bello Persico*. Gern.

ut caveat, ne prælium ineat. Negat enim jus esse, qui miles non sit, pugnare cum hoste[35].

XII. Equidem illud etiam animadverto[1], quod, qui proprio nomine perduellis[2] esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi tristitiam rei mitigatam. Hostis enim apud majores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant duodecim Tabulæ[3]: AUT STATUS DIES CUM HOSTE[4]. Itemque[5], ADVERSUS HOSTEM ÆTERNA AUCTORITAS[6]. Quid ad hanc mansuetudinem

35. *Pugnare cum hoste*. Gern. post J. F. Heusing. transp. « cum hoste pugnare ». Et sic fecit Schütz. — *Negat cum hoste*. Hoc Plutarchus pluribus explicat in Problematibus, e quo intelligimus nefas fuisse hostem feriri ab alio, quam qui sacramento militari dixisset: qui secus fecisset, eum cædis reum visum fuisse. Vide Grot. lib. II, c. 25, § 9, 10. GRÆV.

XII. 1. *Animadverto, quod...tristitiam rei mitigatam*. Sic dedere Heusingeri, Ern. post Gronov. et Græv. et dicit M. Heusingerus construendum esse: « Animadverto tristitiam rei lenitate verbi mitigatam, quod, etc. » ita ut quod h. l. causale sit, nec quidquam cum *animadverto* conj. habeat. Quod non admisit. Gern. qui dedit « lenitate verbi rei tristitiam mitigante », notavitque: Referendum est *quod* ad *illud*, ut II, 20, 70. *Animadverto* autem est aoristus, *animadvertere soleo;* tum minus offensionis habet sequens imperfectum *vocaretur*. In transponendis vv. *rei tristitiam* optimos libb. Heuss. sequutus sum.—Quod scripsit *mitigante* Gernardhus, reprehenditur a Beiero, qui dicit: « Animadverto quod ... is hostis vocaretur », pro « eum hostem vocatum », ab omni latinitate abhorrere. Nobis autem æque latina videtur alterutra locutio, nec pejus *mitigante*, quam *mitigatam*. — Gern. Schützius sequutus est.

2. *Perduellis*. Idem observat Varro lib. IV. de L. L. Origo vocis est *duellum*, postea *bellum*. FACC. Hottingerus in nota ad h. l. p. 127, monet, Ciceronem argutius, quam verius judicasse, et suum humanitatis sensum majoribus tribuisse, quos, ut rudes fuerint, probabilius sit nullo discrimine vocabulorum *peregrinum* et *perduellem* uno *hostis* nomine dixisse, ut Iliad. V, 214, et Odyss. XVI, 102, ἀλλότριος φώς de hoste. Cultiores Rom. voluisse *hostem* latius patere, *perduellem* significare hostem armatum. GERN.

3. *Tabulæ*. Quod in uno Goth. excluditur, non debebat Heusingerus omittere. Vereor ut uspiam *duodecim* simpliciter scribi liceat, nisi addita sit præpositio, ut Leg. II, 23, 58, 24, 61, *in duodecim*. Contra ibid. I, 21, 55, et Offic. III, 15, 2, *tabulis* et *tabulæ* retinendum. GERN.

4. *Aut status dies cum hoste*. Dies judicii causa constitutus cum peregrino. FACC.—Ex cod. Goth. cum Heusingeris Gern. scripsit *ut status*. GERN. — Plurimi codd. *statutus* exhibent, quod critici improbaverunt. Beier. *ut status*.

5. Facciolatus dedit *item*. GERN.

6. *Æterna auctoritas*. Jus dominii

addi potest? eum quicum bellum geras[7], tam molli nomine appellari? Quamquam id nomen durius jam effecit vetustas. A peregrino enim recessit[8], et proprie in eo, qui arma contra ferret[9], remansit.

Quum vero de imperio decertatur, belloque quæ- 38
ritur gloria, causas omnino subesse tamen oportet easdem, quas dixi paullo ante justas causas esse bellorum. Sed ea bella, quibus imperii gloria proposita est[10], minus acerbe gerenda sunt. Ut enim quum civiliter[11] contendimus, aliter, si est inimicus, aliter, si

integrum ac perpetuum populo romano ad vindicanda bona sua adversus peregrinos. Peregrinus enim usucapere non poterat. Facc.—Similia sunt verba legis Atiniæ ap. Gellium, XVII, 7: «Quod surreptum erit, ejus rei æterna auctoritas esto», i. e. qui rem furtivam possident ex ea causa, quam usucapio sequi solet, non eam usu suam faciunt. Vid. Digestt. XLI, t. III, l. 33, cl. l. 24, «Bona fides possidenti nihil prodest». Sed ut *auctoritas* inter cives exstinguitur usu, i. e. usucapione, sic ab usucapiente acquiritur *auctoritas*, justa causa possessionis præcedente daturque bonæ fidei possessori contra actorem exceptio præscriptionis acquisitivæ. Hinc Haruspic. c. 7 extr. «Multæ sunt domus in hac urbe...jure auctoritatis», ut Top. c. 4: «Usus auctoritas fundi biennium est...Ceterarum rerum annuus est usus». (Cf. Cæc. 18, 54.) H. e. si quis soli res per biennium, nemine prohibente, possederit bona fide, nulla earum postea datur evictio: ceterarum rerum per annum ubique unum. Beier.

7. *Quicum bellum geras.* Idem Facc. scripsit *bella geras*, sequentibus Heuss. In proxime seqq. Beier. scribit *appellare*, auctore Gœrenz. ad Acad. II, 18, 58. Gern.

8. *Recessit.* Gern. dedit *jam* ante *recessit*, quod Facciolatus cum plerisque admisit, probantibus Heuss.

9. *Qui arma contra ferret.* Facciol. transponit «qui ferret arma contra». — «Quas dixi paullo ante justas esse causas bellorum». Nempe § 35, «ut sine injuria in pace vivatur», et, «si non licet uti genere decertandi per disceptationem». Ergo videndum, ne non probet auctor gloriæ cupiditatem bellum ultro inferentium, ut imperio suo exteros subjiciant: sed principatus appetitionem eorum, qui pro imperio obtinendo bella suscipere malint, quam inviti parere alieno imperio.

10. *Quibus imperii gloria proposita est.* Gern. transp. «quib. imp. proposita est. Hunc, inquit, exquisitiorem verborum ordinem servarunt Gu. 1 et 3. In Gu. 2 similiter «prop. est gloria». Reliqui libri et editt. «imperii gloria prop. est», ut *gloria* delitescat. Gern.

11. *Ut enim quum civiliter cont.* Gern. scribit *civi aliter*. Egregia, inquit, hæc Anemœcii correctio, uno libro Manutii confirmata, pro vulg. *civiliter* placuit Facciolato, Fabric. Lamb. Oliv. et Heusingeris. Quamquam Anemœc. mavult *cive aliter* (quod Schütz. dedit.) Gern.

competitor; cum altero certamen honoris, et dignitatis est; cum altero capitis, et famæ : sic cum[12] Celtiberis, cum Cimbris bellum, ut cum inimicis gerebatur, uter esset[13], non uter imperaret; cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Pœnis, Pyrrho de imperio dimicabatur. Pœni fœdifragi, crudelis Hannibal, reliqui justiores. Pyrrhi quidem de captivis reddendis, illa præclara[14]:

Nec mi[15] aurum posco, nec mi pretium dederitis[16];
Nec cauponantes[17] bellum, sed belligerantes,
Ferro, non auro vitam cernamus[18] utrique[19].
Vosne velit, an me regnare, hera[20] quidve ferat fors,

12. *Cum Celtiberis*. Intelliguntur maxime Numantini. Cf. supra § 35, p. 81. Vid. Flor. II, 17, 9, et 13, c. 18, 2; Vell. II, 90, 3. — *Cum Cimbris*, a quibus victi pluribus præliis fuerant Romanorum exercitus. Ipsam Romam petentes internecione delevit C. Marius quintum consul. Vid. Plutarch. in ejus vita, c. 11, 15. extr. 23—27; Flor. III, 3; Liv. epist. 63, 65, seqq. Beier.

13. *Uter esset*. Subaudi : ut decerneretur, uter esset, i. e. viveret.

14. *Illa præclara*. Nonnulli codd. addunt *sententia est*, quod jure criticis glossema visum est.

15. *Nec mi*, etc. Ex quinto Ennii annali. Ita Pyrrhus Epirotarum rex respondit Fabricio a Romanis misso cum magna auri vi ad redimendos captivos. Facc.

16. *Dederitis*. Penultima syllaba in hujus temporis verbis a priscis poetis producitur. M. Heus.

17. *Cauponantes*. Cauponantur bellum, qui lucri causa illud gerunt. Facc. — Verum ipsi Fabricio, ut sibi pacem cauponaretur, aurum, deinde, ut patriam desereret, quartam regni partem promisit; sed frustra. Vid. Parad. VI, 2, § 4 (al. 48); Flor. II, 7, 4; Liv. epit. XIII; Eutrop. II, 7, 14; Aur. Vict. l. l. 35; Dionys. Excerpt. legatt. p. 744; Plut. Pyrrh. 20. Sed a poeta non veritatem exigimus, ut a teste. Beier. — Cl. Rich. Bentleius corrigebat *cauponanti... belligeranti*, quo non opus est, quia hæc referuntur ad seq. *utrique*.

18. *Vitam cernamus*. « Vitam cernere » locutione quadam prisca dictum crediderim, minimeque obvia. In Medea eodem genere orationis usus fuerat, « Nam ter sub armis malim vitam cernere, Quam semel parere ». Quod Euripides in Medea dixit : ὡς τρὶς ἂν παρ' ἀσπίδα στῆναι θέλοιμ' ἂν μᾶλλον, ἢ τεκεῖν ἅπαξ. Hic cernere vitam, est dimicare, pugnare. Id enim *cernere* Latinis est, quod Græcis κρίνεσθαι. Cernit autem vitam, qui eam constituit in dimicatione et in discrimen adducit. Turn. Adv. XXVI, 32.

19. *Utrique*. Al. *uterque*. Facc. — *Uterque* habent quidam MSS in Græv. V. L. Græv.

20. *Hera*. Sors domina rerum. *Hera* porro frequenter fortuna dicitur, quamvis et aliis diis nomen hoc interdum tribuatur. Vid. Catull. ad Manlium, v. 74 et 77. Facc.

Virtute experiamur. Et hoc simul acpite[21] dictum :
Quorum[22] virtuti belli fortuna pepercit,
Eorumdem me libertati parcere certum est;
Dono, ducite[23], doque, volentibu'[24] cum magnis dis.

Regalis sane, et digna Æacidarum genere[25] sententia.

XIII. Atque etiam si quid singuli[1], temporibus adducti, hosti promiserint[2], est in eo ipso fides conservanda[3]. Ut primo Punico bello, Regulus[4] captus a 39

21. *Acpite.* Pearcius post Jortinum sic pronunciandum putabat, sed scribendum *accipite.* Quod fecere Heus. Ern. *Acpite* e Goth. recepit. Gern. quem Schütz. sequitur, notat : Retinui cum Facciol. *accipe*, quod propter seq. *ducite* mutatum videtur in *accipite.* Heusingerus laudat Liv. V, 16, 9, ubi e pluribus legatis unus compellatur. Gern.—Beier. *accipe.*

22. *Quorum v. f. pepercit.* Euphemismus de captivis, quos non peremit communis Mars belli, sic ut mortem assequerentur virtute sua; qui fortiter pugnando non occubuerunt; qui incolumes in victorum potestatem venerunt. Cf. Famil. XIII, ep. 4, § 3 extr. Æmil. Prob. VIII, 1, 5, « quibus in bello parcit fortuna ». Beier.

23. *Dono, ducite.* Captivos gratis Pyrrhus reddidit, ut est apud Aurelium Victor. de Vir. Illustr. cap. 35. Facc. — Cum Passeratio recte interpunxerunt post verbum *dono* Ern. et Heus. Gern. — Nam sequens *doque* obstare ne *dono* pro *muneri* positum esse putemus, quod quidam voluerunt, vv. *dono ducite* conjungentes.

24. *Volentibu'.* Cum diis volentibus, modus dicendi latinis scriptoribus familiaris. Fortasse significat bellorum Deos, quorum providentia captivi servati ab interitu fuerant. Facc.—Heusingerus et Gu. 1 et 2 scripsit *dis* pro vulg. *diis*, quod dant Gern. et Oliv.

25. *Æacidarum genere.* Genus nobilissimum ab Æaco Jovis filio. Hinc Pyrrhus, quem propterea Æacidam vocavit Apollo ipse de bello consultus, ut est apud eumdem Aurelium Victorem ibidem. *Gente* est in libris Aldi, Ven. 4, Oliv. et Facc. *Genere* Heus. ex suis libris, quibuscum consentiunt λ, μ, ψ, et Ascens. Nolim autem cum J. F. Heusingero unum Pyrrhum intelligere. Sed ut Perses apud Virg. VI, 840, « genus omnipotentis Achilli » dicatur, non continuo Pyrrhus appellabitur *Æacidarum genus.* Grævius, qui ediderat *genere*, in fine editionis minoris 1691, mente mutata, corrigi vult *gente.* Gern.

XIII. 1. *Si quid singuli.* Supra de officiis gentium inter se bella gerentium dicebat : nunc de singulorum hominum in bello officiis.

2. *Promiserint.* Gern. *promiserunt.* Ita, inquit, Gu. omnes, μ, Gron. ed. Magont. incert. Heus. Vulgo *promiserint.* Hujusmodi enim promissiones fieri solent. Secus judicandum erit III, 23 et 24, ubi exempla finguntur minus verisimilia.

3. *Est in eo ipso fides conservanda.* Al. dant *servanda.* Vulgaris hic error est : vide Gœr. ad Legg. II, 15, 38. Gern.

4. *Regulus captus.* De Reguli fide vide plura infra in lib. III, cap. 26 et seqq. Facc.

Pœnis, quum de captivis commutandis Romam missus esset, jurassetque se rediturum: primum, ut venit, captivos reddendos[5] in senatu non censuit[6]; deinde, quum retineretur a propinquis, et ab amicis, ad supplicium redire maluit, quam fidem hosti datam fallere.

40 [Secundo autem[7] Punico bello, post Cannensem pugnam, quos decem Hannibal Romam adstrictos misit jurejurando se redituros esse, nisi de redimendis iis, qui capti erant, impetrassent: eos omnes[8] censores, quoad quisque eorum vixit, qui pejerassent, in ærariis reliquerunt; nec minus illum, qui jurisju-

5. *Captivos reddendos*, etc. In Palat. 1 legitur, « captiv. reddendos non esse in sen. censuit », quod Grutero placet. In reliquis codd. et editt. « captivos redd. in senatu non censuit ». Itaque Cicero dicit, quid non suaserit? An *non censuit* est dissuasit? Certe Regulus quidem non tacuit, sed « reddi captivos negavit esse utile ». Conf. III, 27, 100, 30, 110, 31 pr. « captivos non reddendos censuit », est in Gu. 3, et nescio an restituendum. — *In senatu*. Gulielmi MSS, *in senatum*, quod Gruterus collocat post *ut venit*. Similiter III, 27 pr. « in senatu venit ». Sed tamen nihil mutandum. Intelligendum enim est « ut venit Romam ». Vid. ibid. 26 extr. Gern.

6. *Censuit*. Non quasi senator, quem amissa libertate se non esse putavit.

7. *Secundo autem... quum scelere approbavit*. Totus is locus excluditur in utrinsque Heusingeri libris scriptis et impress. omnibus. Nostrum hoc est judicium. Quod et captivorum, qui Hannibale missi sunt, et perfugæ a Pyrrho venientis exempla iterum narrantur III, 22 et 32, hoc non tam offendit (bis enim etiam dixit de Regulo, de Theseo, de Corinthi excidio) quam quod eadem bis non eodem modo narravit, hic quidem minus probabiliter. Quæ autem de scriptorum discrepantia tradit, III, 32, par erat priore loco hoc disputari. Quod si fecisset, non eamdem rem primum nullo auctore commemorato; deinde ex Polybio, « bono auctore in primis », tradidisset. Nullam dubitationem relinquet singulorum locorum recensio. Gern. — Cui Schütz. se assentiri dicit. — *Quos decem*. Nempe ipsorum captivorum: quod ad intelligentiam addendum fuisset. Beier.

8. *Eos omnes*, etc. Minus perspicue, minusque eleganter scriptum est *eos... eorum*. Non ante narratum est, decem illos remansisse, remque a senatu non impetrasse, in ærariosque relatos esse, qui dicuntur in his *relicti*. Composita est hæc narratio ad Acilii historiam, quæ commemoratur III, 32, 115. Comparandus est Liv. XXII, 62; XXIV, 18. Gern.—Nonne autem e tota narratione, quamvis brevissima, satis intelligitur, decem illos, re a senatu pop. rom. impetrata (qua de re conf. III, 114), Romæ remansisse? Minus etiam Gernhardum offendere debebat, quod antea non narratum sit, « in ærarios relatos » esse, qui dicantur « in ærariis relicti ».

randi fraude culpam invenerat[9]. Quum enim Hannibalis permissu[10] exisset de castris, rediit paullo post, quod se oblitum nescio quid diceret. Deinde egressus e castris, jurejurando se solutum putabat: et erat verbis, re non erat. Semper autem in fide, quid senseris[11], non quid dixeris, cogitandum. Maximum autem exemplum[12] est justitiæ in hostem a majoribus nostris constitutum. Quum a Pyrrho perfuga senatui est pollicitus, se venenum regi daturum[13], et eum necaturum;

Hæc enim videlicet jejuna foret battologia, ne interpolatore quidem digna, quippe antiquorum rituum et verborum solemnium imperitiam prodens, nullo modo excusandam. Ceterum Val. Maxim. II, 9, § 6-8, « in numerum ærariorum », nihil esse aliud, quam redigere in numerum capite censorum, ut pro capite statutam pecuniam penderent, nec militiæ adscribi possent, quod ignominiosum fuisse constat. Beier.

9. *Invenerat.* Quis autem non opinetur, « illum, qui..... invenerat », fuisse undecimum, quum præcedat « eos omnes... reliquerunt », qui quidem decem fuerunt? Gern. — Non videmus cur necesse sit credere hunc, de quo agitur, undecimum fuisse; dicit Cicero nec minus inter eos qui pejerassent numeratum fuisse a censoribus eum, qui non aperte, sed per fraudem jurisjurandi fidem dissolverat. — « Culpam invenire », pro « culpæ se obnoxium reddere » a genuina latinitate minime abhorret. Vide Herennium, IV, § 48, « vituperationem ... invenistis ». Beier.

10. *Hannibalis permissu.* Quidni jussu Hannibalis, qui paullo ante dicebatur eos *misisse?* Gern. — Miserum hoc est jurgium: nam in præced. Hannibal eos Romam misit, sed jurejurando adstrictos, ut perspicuum sit non hoc esse jussum, sed veniam Hannibalis eorum fidei sese committentis.

11. *Quid senseris*, quid ex animi sententia promiseris, quid mens tua conceperit, alterique concipiendum dederit, non quid lingua tua pronuntiaverit. J. F. Heus.

12. *Maximum autem exemplum*, etc. Quid hoc loco majorum justitia, quum exspectantur exempla singulorum, qui fidem hosti datam servaverint, aut violaverint? Egregie hoc me monuit Erfurdt. in notis MSS. Idoneo loco hoc exemplum adhibetur III, 22. Gern.

13. *Se venenum regi daturum, et eum necaturum.* Quasi venenum regi detur vel non necando! Hoc Ciceronem scripsisse, quis credat? Sic variat interpolatorum oratio. Audi ipsum l. l. « se, ut clam venisset, sic clam in Pyrrhi castra rediturum, et eum veneno necaturum ». Quid autem, hoc perfuga pollicitus est non Fabricio, sed senatui? Credo in ipsum senatum venisse perfugam. Fabricio, qui in castris imperium habebat, perfugam esse pollicitum, et rei natura docet, et tradunt Cicero l. l. et Liv. Epit. XIV, et Gellius, III, 8, et Val. Max. VI, 5. Gern. —Videtur hoc additamentum « et eum veneno necatu-

senatus, et C. Fabricius perfugam Pyrrho dedit[14]. Ita ne hostis quidem, et potentis, et bellum ultro inferentis, interitum cum scelere approbavit.]

41 Ac de bellicis quidem officiis satis dictum est.

Meminerimus autem, etiam adversus infimos justitiam esse servandam. Est autem infima conditio et fortuna servorum[15]: quibus[16], non male præcipiunt, qui ita jubent uti, ut mercenariis; operam exigendam[17], justa præbenda.

rum » habere excusationem, sic acceptum : *atque* hoc modo *eum necaturum*. Nonne ipse Cicero passim ταυτολογίας admisit? Cf. p. 110 seq. § 59 extr. Leg. I, 22, 59, « quum se ipse perspexerit totumque tentarit, intelliget ». Catil. I, 6, 16 pr. « sica... excidit casu aliquo et elapsa est ». Ibid. lib. II, cap. 1, 2, extr. « lætari mihi videtur, quod tantam pestem evomuerit forasque projecerit », et millena alia. Beier.

14. *Senatus et Fabricius perfugam Pyrrho dedit.* Pearcius et Heusingerus sine codicibus scripserunt *dedidit*. Relinquenda erat Pseudo-Ciceroni sua latinitas. Fabricio laus illa detrahitur quam Cicero tribuit l. l. « Hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum : idque factum ejus laudatum a senatu est ». Ut alii aliter eam rem narraverint, Ciceronem in eodem libro tantam discrepantiam admisisse nemo credet, nisi qui illum facilius concesserit esse fatuum, quam depravatum culpa interpolatorum. Garn. — Pravane videtur latinitas, si *dedit* accipiatur pro præsenti? Quamquam horum verborum permutatione nihil pervagatius esse, comprobat ipse Gern. ad Cat. Maj. 13, § 43. Beier.

15. *Fortuna servorum.* Hæc quoque pertinet ad justitiam, et sua quædam officia poscit. Ceterum recte Cicero de mancipiis hoc loco agit, in quæ Veteres tantum sibi juris sumebant, ut vix humanitatis memores interdum viderentur. Facc. — Vid. Arist. Polit. I, cap. 4. — *Ut mercenariis.* Seneca, de Benef. III, 22, pr. « Servus, ut placet Chrysippo, perpetuus mercenarius est ». Ibid. 21 : « Est aliquid, quod dominus præstare servo debeat, ut cibaria, vestiarium ». Conf. eumdem de Tranq. anim. cap. 8 extr. de Clem. I, 18. *Justa* sunt igitur omnino « ad victum necessaria, alimenta ». Beier.

16. *Quibus. Quibus* cum *uti* construendum est, ideoque resolvendum in *et illis*, ut sæpe v. g. « *et* qui jubent ita uti *iis* (servis), ut mercenariis, non male præcipiunt ».

17. *Operam exigendam.* Alii, ut multæ edd. olim vulgg. « ad operam exig. » quod jure M. Heusing. improbavit; Facc. « opera exigenda ». Nolui relinquere plerorumque codicum et editt. lectionem « operam exigendam ». Opera enim ut exigatur, illi præcipiunt. Garn. — Ed. Rom. « operam exigendo », et « justa præbendo », quod M. Heusing. placebat. Exigenda est a servis opera, sed vicissim vestiarium, cibaria, et alia, quæ præbendorum nomine veniunt, illis tribuenda sunt. Facc.

Quum autem duobus modis, id est, aut vi, aut fraude fiat injuria: fraus, quasi vulpeculæ[18]; vis, leonis videtur. Utrumque homine alienissimum[19]; sed fraus odio[20] digna majore. Totius autem injustitiæ nulla capitalior est[21], quam eorum, qui quum maxime[22] fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur. De justitia satis dictum est.

XIV. Deinceps, ut erat propositum, de beneficentia 42
ac liberalitate[1] dicatur: qua quidem nihil est naturæ hominis[2] accommodatius[3]. Sed habet multas cautiones. Videndum est enim primum[4], ne obsit[5] benignitas,

18. *Vulpeculæ.* Beier. scribit *volpeculæ.* Hæc forma, inquit, pro vulg. *vulp.* restituenda fuit propter etymon *volupis.*

19. *Homine alienissimum*, homine maxime indignum. Quo sensu præpositio omittitur Epist. IX, 14, « alienum dignitate ». Divin. I, 38 : « Nec hoc alienum ducunt majestate sua ». Epist. IV, 7, « aliena a dignitate » scribendum erat propter vitandam ambiguitatem. Gern.

20. *Sed fraus odio*, etc. Gravioris animadversionis pœnam merentur, qui per fraudem lædunt; gravissime autem, si fraudem ipsam virtutis et amicitiæ simulatione tegant. Gern.

21. *Nulla capitalior est.* Si minus apponendum, certe intelligendum est *injuria*, cujus genera modo descripsit. Vid. cap. 8, 27. Gern. — Beier. delet *est.*

22. *Qui quum maxime* antea legebatur. « Qui tum, quum max. » ut Vin. Ox. quatuor, Rom. Grævius expunxit *tum*, quod abest a Gu. sec. et tert.

XIV. 1. *Ac liberalitate.* Heusingerus scripsit *ac de lib.* ut II, 15, pr. (quod Schütz. edere voluit, ut nota ejus declarare videtur, quamquam vulgatam in contextu retinuerit). Sed non recedendum puto a reliquorum librorum lectione. Sunt enim hæc ejusdem virtutis nomina, quæ satis est necti copula. Gern.

2. *Naturæ hominis.* Posteriorem vocem in Gu. 1 et 5 a prima manu omissam Heusingerus glossatori tribuit, quod universæ naturæ ratio intelligenda sit. Verum « hominis naturam » intelligi jubent loci simillimi, cap. 4, 13, et cap. 6 pr. Gern.

3. *Accommodatius.* Propter naturalem hominis cum homine conjunctionem, quæ dando et accipiendo maxime tenetur et conservatur. Virtus hæc in cap. 6 (cap. 7) copulata est cum justitia, tamquam pars altera ejusdem officii. Facc.

4. *Videndum est enim primum.* Has beneficentiæ cautiones egregie illustravit Garv. ad h. l. pag. 120-127. Conf. Exc. Krug. Aretolog. § 49, n. 2, qui in multis cum Cicerone convenit, sed præcepta quædam magni momenti addit. Beier.

5. *Ne obsit.* Ut quum aliquis amicum, vel clientem, quem vanum hominem esse putat, titulis ac dignitatibus onerat, quibus ejus patrimonium

et iis ipsis, quibus benigne videbitur fieri, et ceteris; deinde, ne major benignitas sit, quam facultates[6]; tum, ut pro dignitate[7] cuique tribuatur. Id enim[8] est justitiæ fundamentum, ad quam hæc referenda sunt omnia.

Nam et qui gratificantur cuipiam[9], quod obsit illi, cui prodesse velle[10] videantur, non benefici, neque liberales, sed perniciosi assentatores[11] judicandi sunt; et qui aliis nocent, ut in alios liberales sint, in eadem sunt injustitia, ut si in suam rem alienam[12] convertant.
43 Sunt autem multi[13], et quidem cupidi splendoris et gloriæ, qui eripiunt aliis, quod aliis largiantur: hique arbitrantur se beneficos in suos amicos visum iri, si locupletent eos quacumque ratione. Id autem tantum

absumatur. Hæc est autem prima cautio: secunda, ut detur pro viribus dantis: tertia, ut detur pro dignitate accipientis. Facc.

6. *Facultates. Facultas* Vin. Rom. Ven. tres, Ald. Grut. et Vincent. Bellon. Sed pluralem præferunt Gothof. Venet. quart. Græv. Facciol. Pearc. M. Heus.

7. *Pro dignitate.* Prout quisque dignus est, idque meretur; nam justitia suum quidque tribuit, non id, quod aliis debetur dignioribus.

8. *Id enim est.* Schütz. dedit *id est enim*, cum Exc. Bedæ atque Eybi. Paullo ante Beier. transp. «Id enim justitiæ est», et in proxime sqq. delet *hæc*, fretus Exc. Bedæ et quatuor codd. Gœrenzii.

9. *Cuipiam.* Fortasse legendum *quippiam*; vel *cui*, quod proxime sequitur, vertendum est in *eum*. Ita mihi poscere videtur latini sermonis ratio. Facc. — Fallitur vir D. Pronomen *illi*, quod sequitur, non referendum est ad *cuipiam*, sed opponitur *aliis*, quibus nonnulli nocent, ut in alios liberales sint. Gern.

10. *Prodesse velle. Velle* J. F. Heusingerus abjecit; restituit autem Wyttenbachius in Biblioth. critic. II, 8, p. 72. Spectatur enim h. l. non utilitatis, sed benignitatis species. *Velle* cum infinitiv. vid. cap. 31, 113; II, 23, 82; III, 12, 51. Gern.

11. *Assentatores.* Al. *atque assentatores.* Itaque assentator est non solum qui verbo, sed etiam qui re blanditur, et fovet alterius levitatem; eaque illi tribuit, quibus vel mores, vel res familiaris corrumpatur. Facc.

12. *In suam rem alienam convert.* Gern. post Heuss. et Facc. dedit *aliena*. Convertunt, inquit, in suam rem non totam alienam, sed ejus partem, ut II, 15, 54, «alienis bonis manus afferre cogantur».

13. *Sunt autem multi.* Hæc periodus pertinet ad eos maxime, qui in magistratu erant, et pro sua erga amicos et clientes gratificandi voluntate largiri solebant. Facc.

abest officio [14], ut nihil magis officio possit esse contrarium. Videndum est igitur, ut ea liberalitate utamur, quæ prosit amicis, noceat nemini. Quare L. Sullæ [15], et Cæsaris [16] pecuniarum translatio a justis dominis ad alienos non debet liberalis videri. Nihil est enim liberale, quod non idem justum [17].

Alter erat locus [18] cautionis, ne benignitas major 44
esset, quam facultates [19]: quod, qui benigniores volunt esse [20], quam res patitur [21], primum in eo peccant [22], quod injuriosi sunt in proximos. Quas enim

14. *Abest officio*. Multæ edd. *ab officio*. Si omittitur præpositio, *officio* pro dativo habuerim; posterius autem *officio*, quod Verburg. ait in multis non legi, non magis deleverim, quam cap. 3, 8. Ita *abest officio* est vacat officio, aut *officio contrarium est*. *Abesse* cum dat. non raro est: non conjunctum esse, ut Brut. cap. 80, 276; Leg. I, 2. Gern. — Gernhard. *officio* pro dativo habet, cui *abesse* jungatur sic, ut idem sit quod « non conjunctum esse ». Dicitur sic potius pro *non adesse*. *Adest alicui* id, quo quis caret. « Absit invidia verbo » i. e. q. vacet invidia verbum. Ergo eadem constructio si hic valeat, non elici poterit hic sensus: « Vacat officio, officio contrarium est ». Ut enim *abesse* valeat *procul*, vel *remotum esse*, non potest non cum ablativo strui. Beier.

15. *L. Sullæ*. Significat proscriptiones Sullanas. Facc.—Vid. inf. lib. II, cap. 8; Plutarch. in Sulla, cap. 31 et 33. Gern.

16. *C. Cæsaris*. Qui remp. occupavit, et amicos suos ex inimicorum bonis locupletavit. Vide ad Fam. lib. IV, epist. 13. Facc. — Adde Sueton. Cæs. cap. 50 et 54. Gern. — Conf. Catonis vocem apud Sallust. Catil. cap. 52: « Jampridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus, quia bona aliena largiri liberalitas vocatur ». Beier.

17. *Quod non idem justum*. Quædam edd. vett. *sit justum*, quod Facc. dedit; liberalitas enim conjuncta est justitiæ, ut dixit cap. 7.

18. *Alter erat locus*. Variant codices, « alter locus erat, alter locus est, alter locus erit ». Int. alterum, quod cavendum dixi, erat.

19. *Facultates*. Duo Gu. *facultas*.

20. *Quod, qui benigniores volunt esse*. *Quod* ante relativam sententiam valet, « quod attinet ad hæc ». Itaque hic i. e. q. « nam, etenim, nimirum, quippe, etc. » Cf. ad II, § 29 extr. Beier. — Facc. *nam*, nulla auctoritate allata.

21. *Quam res*, sc. familiaris.

22. *Primum in eo peccant*. Huic particulæ *primum* respondet membrum alterum in illis verbis « Videre etiam licet, etc. » veluti si dicat: primum injuriosi sunt in propinquos, deinde vani. Hæc Facc. Sed nobis melior videtur M. Heus. ratio, qui voc. *primum* respondere dicit *inest autem*, etc. Nam dare ostentationis causa non tam est peccare quam venire in cupiditatem rapiendi. Cum Heusingero sentit Beier. qui multa colligit exempla similium anacoluthorum, ostendit-

copias his et suppeditari æquius est, et relinqui[23], eas transferunt ad alienos. Inest autem in tali liberalitate cupiditas plerumque rapiendi[24], et auferendi per injuriam, ut ad largiendum suppetant copiæ. Videre etiam licet plerosque, non tam natura liberales, quam quadam gloria ductos, ut benefici videantur, facere multa, quæ proficisci ab ostentatione magis, quam a voluntate videantur[25]. Talis autem simulatio, vanitati est conjunctior, quam aut liberalitati, aut honestati.

45 Tertium est propositum, ut in beneficentia delectus esset[26] dignitatis : in quo et mores ejus erunt spectandi, in quem beneficium conferetur[27], et animus erga nos, et communitas[28], ac societas vitæ[29], et ad nostras utilitates officia ante collata[30] : quæ ut[31] con-

que similia frequenter apud Græcos occurrere.

23. *Et suppeditari... et relinqui.* Impr. vett. omnes abjecta copula *suppeditare*, et deinde *et relinquere* dederunt. Int. a viventibus suppeditari, a morituris relinqui. Heuss.

24. *Cupiditas rapiendi.* Nemo enim ita largitur, ut egere ipse velit; et qui largiendo assuevit, per fas nefasque habere vult, quod largiatur. Facc.

25. *A voluntate videantur.* Sic libri optimi Grævii et Heusingeri. Gu. 5, Vin. Rom. et plures edd. vett. «quæ videntur magis profic.» Facciolatus v. *proficisci* in fine posuit. Gern. — *Quam a voluntate.* Nempe *benigna*, i. e. ab animo benefaciendi cupido, ut recte interpretatur M. Heusinger. Offendit jam VV. DD. battologia : «Videre licet, plerosque... ut... videantur, facere... quæ videantur». Præterea tota hæc epexegesis nil nisi tautologiam superiori sententiæ addit. Verum tamen non dissimulandum, passim sententiam, satis jam, ut videtur, expressam, deinceps, vel ut explicatius declaretur, vel ut efficacius insinuetur, per epexegesin quamdam iterari. Vid. Heindorf. ad Natur. Deor. III, 36, 87 extr. et ad loc. corruptela affectum, I, 10, 24. Beier.

26. *Delectus esset.* Imperfectum hoc spectat ad præteritum *propositum*, non ad præsens *est*. Sic cap. 18, 61, *manaret*. Hoc contra Pearcii conject. «Tertium erat prop.» monet Erfurdt.

27. *Conferetur.* Al. *confertur*.

28. *Communitas.* Gradus communitatis cognosce ex cap. 16.

29. *Societas vitæ.* Conjunctio cum eo, cui benefacere volumus. Facc.

30. *Collata.* Al. *collocata*, al. *collecta*. Facc. — De quatuor his, quæ spectanda sunt, primum, secundum et quartum exponitur cap. 15, tertium cap. 16 et 17. Gern.

31. *Ut concurrant.* Al. cum plerisque impr. vett. male, *si concurrant*. Optandum est, ut concurrant probati mores, benivolentia erga nos, conjunctio vitæ, et beneficia nobis colla-

currant omnia, optabile est; sin minus[32], plures causæ, majoresque[33], ponderis plus habebunt.

XV. Quoniam autem[1] vivitur non cum perfectis hominibus, planeque[2] sapientibus, sed cum iis, in quibus[3] præclare agitur, si sunt[4] simulacra virtutis: etiam hoc intelligendum puto, neminem omnino esse negligendum[5], in quo aliqua significatio virtutis appareat; colendum autem esse ita quemque maxime, ut quisque maxime his virtutibus lenioribus[6] erit ornatus, modestia, temperantia, hac ipsa[7], de qua jam multa dicta sunt, justitia. Nam fortis animus[8] et ma- 46

ta. Sin minus omnia, saltem aliqua, et pro eorum numero et gravitate regenda liberalitas. FACC.

32. *Sin minus*. Sic Facciolatus cum Grævio et Ernestio. Heusinger e libris suis omnibus *si minus*. Idem tuentur λ, μ, Ascens. et multæ edd. vett. quas Gern. sequutus est.

33. *Plures causæ majoresque*. Nempe *benefaciendi*, vel cur in hunc potius, quam in alium quem beneficium conferamus. BEIER.

XV. 1. *Quoniam autem*, etc. Prima et potissima judicandæ dignitatis ratio in collocandis beneficiis petitur a moribus. FACC.

2. *Planeque sap.* Sic recte scripserunt Anemœcius, Grævius ex suis, Heusinger ex Gu. 1, tum Facciolatus et Ernest. pro vulg. *pleneque sapientibus*. GERN.

3. *In quibus præclare agitur*. Nonnulli libri pessime ante *præclare*, alii post *præclare* interponunt *non*. Vide III, 3, 13 extr. et 4, 3-7. GERN.—*In quibus præclare agitur*. Ordo et sententia verborum perspicua est, nempe hæc: vivitur cum iis hominibus, in quibus si insunt simulacra virtutis, præclare agitur. Cui simile est illud ad Plancium, Epist. ad Fam. lib. IV, 14: «Agiturque præclare, si nosmet ipsos regere possimus». Quibus in locis, *præclare agitur*, absolute dicitur: quod qui non attenderunt, ii contra libros antiquos legendum putant, *cum quibus præclare agitur*: in qua sententia video esse Erasmum, Balduinum, Nannium, et alios. FABRIC. — Quem sequutus Beier. «præclare agitur» duas inter virgulas posuit.

4. *Si sunt*. Al. *si insunt*, al. *si sint*. FACC.

5. *Esse negligendum*. Benefaciendum est omnibus, in quibus apparet aliqua virtutis significatio: nam virtus ipsa vix invenitur. FACC.

6. *Ut quisque maxime his virt. len.* Ernest. mallet abesse *quisque*, immerito, et contra omnes libros; conf. in Verr. I, 27. Gern. post J. F. Heus. e MSS Gu. quatuor transponit: *virtutibus his len.* quædam edd. vett. peccant *levioribus*.

7. *Hac ipsa*. Multæ edd. vett. *ac ipsa*, quod jure critici aliorum libb. auctoritate rejecerunt.

8. *Fortis animus*. Fortitudo, nisi in homine perfecto et sapiente, ferventiorem eum facit; ideoque minus idoneum ad vitæ societatem. Itaque ii complectendi sunt potius, qui lenio-

gnus in homine non perfecto, nec sapiente[9], ferventior[10] plerumque est : illæ virtutes[11] virum bonum
47 videntur potius[12] attingere. Atque hæc in moribus[13]. De benivolentia[14] autem, quam quisque habeat erga nos, primum illud est in officio, ut ei plurimum tribuamus, a quo plurimum diligimur; sed benivolentiam non adolescentulorum more, ardore[15] quodam amoris, sed stabilitate potius et constantia judicemus: sin erunt merita[16], ut non ineunda, sed referenda sit gratia; major quædam cura adhibenda est : nullum enim officium[17] referenda gratia magis necessarium

res virtutes colunt, et ex iis boni viri dicuntur. Facc.

9. *Nec sapiente.* Mihi quoque, sicuti Langio, duo hæc verba temere adjuncta videntur. Facc. — Idem judicat Heumannus, atque MS Paris. hæc duo verba proscribit. Nescio an non occurrat apud Nostrum *homo perfectus* nude, ut *sapiens*, quem se ait absolutum et perfectum putare Fin. IV, 14, 37, neque excludi illa velim; sed fortasse scribendum « non perfecto, non sapiente », ut cap. 11, 35, « qui non crudeles in bello, non immanes fuerunt », ubi nonnulli libri male habent *nec immanes*. Gern. — *Non perfecto, nec sapiente.* Gernhard. conjicit : « non perfecto, non sap. » Valent hic, quæ ipse in nota prox. scripsit : « Mallem vir D. hanc correctionem omisisset ». Nam alienus ab h. l. est anaphoræ affectus. *Nec* in consecutione valet *et proinde non.* Beier.

10. *Ferventior.* Vehementior, iracundior, impotentior. M. Heus.

11. *Illæ virtutes.* Fortasse legendum *aliæ virtutes.* Facc. — Mallem V. D. hanc correctionem omisisset. Gern. — Plurimæ edd. vett. *illæ vero virtutes.*

12. *Potius.* Hoc Facciol. vix ferendum dicit, legitque *propius. Propius* est Gulielmi conjectura a Grutero et Græv. notata, eaque Erfurdt. placet. Mihi secus videtur. *Attingere* non est accedere, sed prope esse, pertinere; quo sensu malim nullum addi adverbium. Quum autem fortitudo non aliena a viro bono est; ad primam verbi *attingere* significationem putem aptius esse *potius*, vel *magis*, quam *propius*, ut non dicitur prope, proxime tangere, sed leviter, vehementer tangere. Gern.

13. *In moribus.* Hæc in moribus eorum, quibus benefacere volumus, spectanda sunt. Quidam addidere, *considerentur*, pro more grammatistarum. Facc. — Impressi libri vett. hoc interpretamentum receperunt e Gu. 5, a reliquis quatuor Gu. et Balduini vett. exempll. excitatum. Gern.

14. *De benivolentia*, etc. Quæ secunda est judicandæ dignitatis ratio. Facc.

15. *Ardore.* Qui temere excitatur, et cito exstinguitur. Facc.

16. *Sin erunt merita*, ab aliquo in nos collata. Si dandum erit non ex liberalitate, sed ex grato animo : quæ tertia est judicandæ dignitatis ratio.

17. *Nullum... officium referenda*

est. Quod si ea, quæ utenda acceperis[18], majore mensura, si modo possis, jubet reddere Hesiodus[19]: quidnam beneficio provocati facere debemus? an non imitari[20] agros fertiles, qui multo plus[21] efferunt, quam acceperunt? Etenim si in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre: quales in eos esse debemus, qui jam profuerunt? Nam quum duo genera liberalitatis sint, unum dandi beneficii, alterum reddendi; demus, necne, in nostra potestate est: non reddere, viro bono non licet, modo[22] id facere possit sine injuria[23]. 48

gratia magis necessarium. Nimirum, ne deterreatur liberalitas. Vid. II, 63. Præterea turpe est concedere brutis animalibus, ut iis animus sit beneficiorum memor, nobis immemor. Fin. V, 22, 61. Beier.

18. *Quæ utenda acceperis*. Facciol. cum Gu. 5, et impr. vett. « quæ acceperis utenda ».

19. *Hesiodus*. Ἔργ. κ. ἡμ. 349 sqq. ex præstantissima Spohnii mei, viri cel. recensione. Vid. 351 sqq. Εὖ μὲν μετρεῖσθαι παρὰ γείτονος, εὖ δ' ἀποδοῦναι, Αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώϊον, αἴ κε δύνηαι. Cf. Aristotelis l. mox c. ad § 49 pr. Cic. ad Attic. XIII, ep. 12, § 3. Idem Bruto, c. 4, testificatus, se eum librum scripsisse ad Brutum « remunerandum, si non pari, at grato tamen munere », addit: « quamquam illud Hesiodium laudatur a doctis, quod eadem mensura reddere jubet, qua acceperis, aut etiam cumulatiore, si possis. Ego autem voluntatem tibi profecto remetiar »: ubi melius legi videtur, *quæ acceperis*, nempe *utenda*, i. e. *mutua*. Beier.

20. *An non imitari*. Vulgata, quæ omittit *non*, aliter excusari non posset, nisi per ellipsin, ut post præcedentem interrogationem: « quidnam, b. p. facere debemus? » subintelligeretur: *nonne idem?* et ad *an* in altera interrogatione *potius*. Tum erit αὔξησις. Sed satius videtur cum multis libb. inserere *non*, cujus compendium n̄ facillime omitti potuit, præsertim præcedente *an*. Beier.

21. *Efferunt* post Grævium et Ernest. tuentur Heusingeri cum Gu. 1, cui suffragantur λ et μ. Gern. — Reliqui omnes impr. vett. *afferunt*, quod Facc. retinuit.

22. *Modo*. Edd. vett. olim *si modo*, quod critici melioribus libb. freti rejecerunt.

23. *Sine injuria*. Ita reddat, ut non videatur nolle debere, et quasi vendenti solvere. Facc. — Prorsus non hic sensus est, nisi omnino fallimur: nam oporteret esse scriptum « modo id faciat »: et tum tamen v. *injuria* a naturali sensu detorqueretur: sed dicere voluit auctor, beneficii reddendi causa, non licere injuriam alicui afferre, vel nocere. Idem præcipit in reddendis beneficiis, quod in conferendis cap. 14, § 43, præcepit. Et vidimus hoc intellexisse Beierum, qui notat: nempe et proximorum, ut facultas sit, qua in suos sit liberalis (cf. § 52 extr. 58), et ceterorum, ne his

49 Acceptorum autem beneficiorum sunt delectus habendi[24]. Nec dubium, quin maximo cuique plurimum debeatur. In quo tamen in primis, quo quisque animi studio[25], benivolentia fecerit, ponderandum est. Multi enim faciunt multa temeritate quadam, sine judicio vel modo[26]; in omnes repentino quodam, quasi vento,

eripiat, quod aliis largiatur. Beier.

24. *Acceptorum autem beneficiorum sunt delectus habendi*, in iisdem beneficiis referendis.

25. *Animi studio.* Videtur e correctore : nam hoc in nullo suorum reperernnt Heuss. qui retinuere vulgatum *animo*, *studio*, sequentibus Oliv. Gern. Schütz. et ceteris.

26. *Vel modo; in omnes repentino quodam, quasi vento, impetu incitati.* « Scripti aliquot quibus Gruterus, Gronov. et Græv. primas deferunt *vel morbo*, *in omnes*, *vel rep.* cum pluribus vero nostri *vel modo.* Hoc mihi doctissimorum virorum Victor. Pearc. Facc. Heumanni jussu, meoque judicio præferre liceat ». Hæc M. Heusingerus, qui cum libris fere omnibus retinuit *vel* ante *repentino*, quam part. Pearc. unius Cant. auctoritate rejecit, sequentibus Heumanno et Ernest. Nobis *vel* retineri potuisse videtur, ita ut nihilominus vv. *in omnes* pendeant a participio *incitati*, perinde ac si scriptum esset « vel in omnes » : sic virgulam post *omnes* delere sufficeret. *Vel modo*, idem est ac *vel immodice*, præter facultates suas, non ut Facc. interpr. promiscue in omnes, quod continetur in *sine judicio*. Gern. dedit *vel morbo*, notatque : Morbus a Stoicis ad animum translatus hoc loco dicitur de misericordia, quæ abesse debet a liberalitate. Conf. Tusc. Quæst. IV, 10. Ita morbo egregie opponitur impetus repentinus. Wyttenbach. in Biblioth. crit. II, 8, p. 73, *in omnes* interpretatur « universe in omnes », oppos. peculiariter « in quosdam », aut ; quod malim, in hos vel illos, si quando repentino animi fervore concitantur. — Nobis autem lectio *vel modo* tam apte congruere videtur cum *sine judicio*, ut non nisi consensu omnium libb. ejici debeat, et altera *vel morbo* aliquid alieni habere, quod omnium codd. auctoritate indigeat, ut admittatur. — Cum iis, qui propugnant pro striligine, « vel morbo in omnes », violati Ciceronis manes sic agunt et quodam modo indignabundi loquuntur : « Quis misericordiam morbum solet dicere? » (Fin. III, 10, 35) « in consuetudinem nostram non cadit » (ista Batavitas Gronovii, Grævii, Wyttenbach. etc.) Tusc. IV, c. 3. Ne Græci quidem sic loquuntur νόσος εἰς πάντας. Jure Hermannus admonet in populari dicendi usu ad quem hic sermo de Off. referendus est, magis etiam sequendam esse consuetudinem, quam in erudita disserendi ratione, animique motum et perturbationem tum demum *morbum* dici, si aut quævis omnino animi affectio ex aspernatione rationis conturbatior vituperetur, aut certa quædam, quæ jam ante notata fuerit, ut vocabuli sensus non possit non esse perspicuus, aut omnino in metaphora, si cum corporis morbo et ægrotatione comparetur, ut Tuscul. IV, 10, 13 seq. Beier.

impetu animi[27] incitati: quæ beneficia æque magna non sunt habenda, atque ea, quæ judicio, considerate constanterque[28] delata sunt. Sed in collocando beneficio, et in referenda gratia, si cetera paria[29] sint, hoc maxime officii est, ut quisque maxime opis indigeat, ita ei potissimum opitulari: quod contra fit a plerisque. A quo enim plurimum sperant, etiamsi ille his[30] non eget[31], tamen ei potissimum inserviunt.

XVI. Optime autem societas hominum, conjunctio- 50
que servabitur, si, ut quisque erit conjunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur. Sed quæ natura principia sint communitatis et societatis humanæ, repetendum altius videtur[1]. Est enim primum[2], quod cernitur in universi generis humani so-

27. *Impetu animi.* Non constanter. Facc.

28. *Judicio, considerate constanterque.* Neque *considerate* delendum est, ut Heusingerus patruus judicat, neque cum Beda scribendum « considerato constantique ». Voci *judicio* tamquam generi subjiciuntur duo adverbia: hoc impetui animi repentino, illud morbo opponitur. Vid. cap. 27, 94, et cap. 38, 137. Similiter cap. 18, 61, « quæ magno animo fortiter excellenterque ». Tantum non omni suspicione vacat voc. *judicio*, quod in cod. Goth. in margine scriptum reperitur. Gern. — Beneficentia ea, quæ, ut loquitur Cic. Rhet. II, cap. 5 (ap. Schütz. cap. 6), § 17 seq. « impetu quodam potius, quam cogitatione facit » et *impulsionem*, non *ratiocinationem* sequitur, quasi quædam naturæ virtus esse existimatur, sed plerumque imbecillitati potius et recusandi timiditati aut horrori cuidam, miseriæ adspectum repellenti, debetur, quam amori et voluntati benignæ. Quos homines vituperans, philosophus, « faciunt multa », inquit, ut § 44. Non enim hæc debent *beneficia* videri. Cf. Exc. Krug. Aretolog. p. 68 seq. 289 seq. Beier, qui in proxime sqq. mallet « sed et in colloc. »

29. *Paria sint.* Al. *paria sunt.* Facc. — Recte. *Si* ponit conditionem, qua opitulandum est, neque aliunde pendet hæc enunciatio, ut cap. 7, 23; II, 13, 46. Gern.

30. *Etiam ille his.* Al. « etiamsi is ».

31. *Eget.* Facciolatus, *egeat*, quod J. F. Heus. improbavit. — Indicativus vi sua et fere omnium codicum auctoritate locum obtinet. Vide cap. 17, 55. Gern.

XVI. 1. *Altius videtur.* Gernhard. transp. « videtur altius ». Ita, inquit, Heusinger. e quatuor primis Gu. et Anemœc.

2. *Est enim primum.* Facciol. *enim* ineptum esse dicit, corrigitque *autem*, et postea scribit: « societate, periculum ratio et or. » omissis vv. *ejus autem* et *est*. — Ut hæc non sint neces-

cietate. Ejus autem vinculum est ratio et oratio[3]: quæ docendo, discendo[4], communicando[5], disceptando, judicando, conciliat inter se homines, conjungitque naturali quadam societate. Neque ulla re longius absumus a natura ferarum, in quibus inesse fortitudinem sæpe dicimus, ut in equis, in leonibus; justitiam, æquitatem, bonitatem non dicimus. Sunt
51 enim rationis et orationis expertes. Ac latissime[6] quidem patens hominibus inter ipsos[7], omnibus inter

saria, quia sequitur « conciliat..... conj. » tamen non opus esse hac correctione Heusingerus docuit, sublata plena interpunctione post *societate*. Nihil est difficultatis, si verba « ejus autem vinculum est » parentheseos notis includuntur, ut Tusc. V, 23, 65. De particula *enim* in *autem* commutanda consentit cum Facciol. Hottinger in not. ad II, 3, pag. 198. Verum sensus is est: *Primum est* (hinc enim repetendum est) *quod* et q. s. v. Leg. I, 10, 29, qui totus locus est cum nostro comparandus. Castigat hanc particularum commutandarum libidinem Gœr. ad Leg. I, 16, 45. Gern. — Nobis *enim* bene se habere videtur, quia quod cernitur in universi generis humani societate, hoc certe communitatis principium « altius repetitur ». — Sequentium cum prioribus nexus, quem indicat particula *enim*, sic capiendus: « repetendum videtur altius » (id est, ut res rite explicetur, ab ultimo, ab origine ordiendum), nimirum ab eo, « quod cernitur in universi generis humani societate. Est enim primum » (nempe *id*), quod non in singulis quibusdam hominum conjunctionibus cernitur, sed est maxime universale. Beier. — Sensu ita bene constituto declarat Beier. se Heusingeri interpunctionem non probare, nec Gernhardi parenthesim. — De « rationis et orationis, quæ conciliatrix est humanæ maxime societatis », communione cf. § 12 pr. Leg. I, 10, 30, cl. 9, 27, et Engelbronneri diss. qua Cic. ll. de Legg. illustravit, p. 54. Beier.

3. *Oratio*. Etiam de Leg. lib. I, cap. 9, oratio dicitur « conciliatrix humanæ societatis ». Facc.

4. *Docendo*, *discendo*, etc. Anemœcius e MS suo edidit, non, ut Ernest. in nota ad h. l. tradit: « dicendo, discendo », sed « dicendo, communicando », omisso *dicendo*. Anemœc. in dialogo castig. causam correctionis reddit hanc, « quia, inquit, præcedunt ratio et oratio, ut utrumque haberet duo vocabula sibi subjuncta. Nam oratio dicendo fit et communicando: ratio vero, disceptando et judicando cernitur ». Sed tamen nolim *docendo* et *discendo* rejici. Gern.

5. *Communicando*. H. l. i. e. q. mutua cogitationum permutatione. Beier.

6. *Ac latissime*, etc. Hæc est latissima societas, quæ totum complectitur humanum genus. Ex hujus societatis jure, quæ homo homini debeat, luculenter explicat. Facc.

7. *Hominibus inter ipsos*. Societas quæ pertinet ad universum genus humanum, omni generi hominum com-

omnes[8], societas hæc est; in qua omnium rerum, quas ad communem hominum usum natura genuit, est servanda communitas: ut quæ descripta[9] sunt

munis est: « omnibus inter ipsos »; eaque cuique cum quocumque homine, ignoto quamvis et peregrino, intercedit. M. Heus.

8. *Omnibus inter omnes.* Quia vv. « inter omnes » absunt ab uno MS ψ, hoc Gernhardo causa fuit, ut voces « omnibus inter omnes » suspectas haberet; quas tamen ab ullo alio libro abesse critici non testantur. Hac ratione, nihil est in veteribus auctoribus, quod suspicione carere possit: nec umquam deerunt argumenta quibus qualibet conjectura defendi possit.

9. *Ut quæ descripta*, etc. Hæc fortasse est exceptio quædam, quæ margini fuerat adjecta, quemadmodum et græcum proverbium. Nihil tamen tollere ausim præter vv. « e quibus ipsis ». Sensus est, omnium rerum, quas ad usum communem natura genuit, servandam esse communitatem, ita ut nihil tamen moveatur ex iis, quæ jure civili descripta sunt, hoc est ex privatis possessionibus; cetera sic habeantur, ut habentur inter amicos, quibus communia omnia. Facc.—Assentitur Gottleber. J. F. Hensingerus sensum eruit parum commodum hunc: « Esto, quæ descr. s. leg. et j. civili; hæc ita serventur, ut..... constet, e quibus ipsis legibus et ex quo j. civ. quæque teneantur: cetera tamen, etc. » Patruus « e quibus » interpretatur « secundum quæ, ad quorum exemplum », h. e. ad eumdem modum cetera, quæ sunt neque communia, neque privata, sic observ. Verum tertium non datur. *Cetera* sunt ipsa illa communia. Ut autem « e quibus » cum Marso accipiam pro « extra, præter quæ », nullo loco mihi adhuc persuasum est. Tum pronomen *ipsis* sic otiosum videbitur, ut illud, quod Gulielmius et Heumannus conjecerunt, « legibus ipsis », aut quod Pearcius, « ut constitutum est civibus ipsis ». C. G. Flade, Observv. critt. supra laudatis interpungit post *constitutum*, atque « e quibus ipsis » interpretatur: « secundum quas ipsas leges cetera sic observ. » Vereor autem, ne Cicerone tanta ambiguitas indigna sit, quum proxime præcedant « hæc, quæ descripta sunt », quo pronomina « quibus ipsis », si sana essent, deberent referri. Mihi quidem exploratum hoc est: verborum « e quibus » depravationem natam esse ex compendio scribendi *e q'ōbus*, i. e. *æque omnibus*, scribendumque « ut, quæ descripta sunt legib. et jure civ. hæc ita teneantur, ut sit constitutum, æque omnibus ipsis: cetera sic obs. » et q. s. hoc est: communitas servanda est ita, ut, quæ ex communibus jure civili facta sunt privata (descripta), hæc ita, ut suum cuique obtigerit (ut sit constitutum) pari jure (æque omnes) suum quisque (ipsi) ut privatam possessionem, teneant: cetera sint, more amicorum, communia. Hujus rationis vindicem et interpretem adhibere licet ipsum Ciceronem, qui eamdem fere sententiam, de privatarum possessionum descriptione, mutatis verbis proposuit cap. 7, 22, et § 21. Ceterum *æque* similiter adhibitum reperies II, 8 extr. Leg. I, 12, 35. Gern.—Hac in conjecturarum nube dicit Sch. se malle vv. « e quibus ipsis » cum Facc. delere. Nos nihil melius videmus, quam quod Gernhard. pessimum videtur sc. cum Marso interp. « præter ea, quæ legibus præcepta sunt,

legibus, et jure civili, hæc ita teneantur, ut sit constitutum. E quibus ipsis cetera sic observentur, ut in Græcorum proverbio[10] est : « Amicorum esse omnia communia[11] ». Omnia autem communia hominum videntur ea, quæ sunt generis ejus, quod ab Ennio positum in una re, transferri in multas[12] potest.

Homo qui [13] erranti comiter[14] monstrat viam,
Quasi lumen de suo lumine[15] accendat, facit[16];
Nihilominus ipsi luceat, quum illi accenderit.

Una ex re satis præcipitur[17], ut, quidquid sine detri-
52 mento possit commodari, id tribuatur vel ignoto. Ex quo sunt illa communia, Non prohibere aqua pro-

cetera, etc. » Et videmus idem placere Beiero, qui sensum ita constituit : « quorum descriptione servata : ita, ut ne violentur ea, nec discedatur ab iis, quæ legibus sunt constituta, ceteris », nempe, « quæ non sunt legibus et jure civili descripta, pro communibus utendum ». Beier.

10. *Græcorum proverbio.* Proverbium hoc ad Diogenem refert Plutarchus; nomine autem amicorum bonos omnes intelligi vult, in eo opusculo, quo contendit, ex decretis Epicuri non posse suaviter vivi. Facc. — Probabile est Ciceronem spectasse aliquod dictum Pythagoræ, ut Leg. I, 12, ad quem locum vide Gœrenz. Gern.

11. *Omnia communia.* Gernhard. transp. « communia omnia ». Hic, inquit, verborum ordo mihi placet cum Heusingero. Schützius Gern. sequutus est.

12. *In multas.* Facc. *per multas.*

13. *Homo qui*, etc. Non constat ex quo Ennii loco verba hæc sumpta sint; attamen constat Enniana esse. Facc.

14. *Comiter.* Benigne, et non gravate, ut Cicero ipse interpretatur in oratione pro Balbo, cap. 16. Facc. — Ita libri Pall. Gulielmi, Grævii, vetus MS Balduini. Rell. *comiti.* Gern.

15. *Quasi lumen de suo lumine.* Gern. transp. « quasi de suo lumine lumen ».

16. *Facit*, etc. Al. « Facit nihilominus ipsi ut luceat, quum illi accenderit ». Facc. — Gern. scribit *lucet*, non *luceat.* Indicativum, inquit, recte defendit C. Langius in duobus libris repertum : quem sequuntur editores plerique. Ceteri codd. et impress. vett. « facit ut..... luceat » propter verba seqq. Ciceronis male intellecta. Luminis exemplum nimirum modum præscribit ceteris ejus generis largitionibus. — *Lucet* Schütz. dedit.

17. *Una ex re satis præcipitur.* Facciol. ex una ed. Ven. « una enim ex re », quod est supervacuum. Schütz. edidit *præcepit* pro *præcipitur*; idque fecit cum plerisque MSS et edd. Ven. 1498, Lips. Anemoec. præeuntibus Græv. Pearc. Facc. J. F. Heus. Lang. et Fabricio. Intell. hoc loco singulari exemplo.

fluente[18]; Pati ab igne ignem capere, si quis[19] velit; Consilium fidele deliberanti dare : quæ sunt iis utilia, qui accipiunt, danti non molesta. Quare et his utendum[20] est, et semper aliquid ad communem utilitatem afferendum. Sed quoniam copiæ parvæ[21] singulorum sunt; eorum autem, qui his egeant[22], infinita est multitudo : vulgaris liberalitas[23] referenda est ad illum Ennii finem, « Nihilominus ipsi luceat »: ut facultas sit, qua in nostros simus liberales.

XVII. Gradus autem plures sunt societatis homi- 53
num. Ut enim ab infinita illa discedatur[1], propior est

18. *Aqua profluente.* Id est, flumine. Al. leg. *aquam profluentem.* Facc.

19. *Si quis velit.* Gern. *si qui v.*

20. *His utendum.* Quæ modo memoravi, relinquere quisque debet in omnium hominum usu; et præterea de suo aliquid in commune bonum, et ad aliorum utilitatem conferre. Facc. — *Quare et his utendum*, etc. Interpretes inde a Facciolato omnes præter Garvium, qui hæc omnia omisit, hunc sensum eliciunt : « Quæ modo memoravi, relinquere quisque debet in omnium hominum usu; et præterea de suo aliquid in commune bonum et ad aliorum utilitatem conferre ». At vero hoc est non verborum vim eruere; sed optare. *Utendum*, ad quod Degen supplet *cuique*, ad idem subjectum referatur, necesse est, cui « semper aliquid ad communem utilitatem afferendum ». Sensus est igitur : « Ut ipsi hæc ab aliis capiendi veniam habemus : sic invicem nos quoque... afferre debemus ». Beier. — Forsan melior sensus hic est : Itaque dum nos iis rebus, quarum usus sine detrimento communis esse potest, utimur, pati quoque debemus ceteros iis, æque ac nos, uti.

21. *Copiæ parvæ.* Singulorum facultates et copiæ parvæ sunt; qui egent, multi. Hæc velut objectio quædam est. Facc.

22. *Qui his egeant.* Gernhard. post Facc. delet *his*. Egent, inquit, autem non parvis opibus, sed omnino omnibus. Vid. 15 extr. — Beier. pronomen *his* restituit. Nos mallemus v. *his* servari quam tam paucis auctoritatibus expelli.

23. *Vulgaris liberalitas.* Dum vulgo largimur, advertendum est, ne nos ipsi egeamus, aut nostris dare nequeamus, ubi opus sit. Dandum igitur sine gravi rei familiaris detrimento. Facc.

XVII. 1. *Ab infinita illa discedatur.* Al. « ab illa discedatur infinitate »: id est, ab illa latissime fusa societate, per quam homines, qua homines, hominibus conjunguntur. Proxima illi est societas ejusdem nationis, cujus hominibus lingua communis : tum civitatis societas sequitur, cujus hominibus communia longe plurima : deinde societas domus, cui communia omnia. Hæc autem rursus in plures domus et propinquitates effunditur. Vide de Fin. lib. V, cap. 25. Facc.— Gern. scribit « ab illa infinita », Beier. « ab illa disc. infinita ».

ejusdem gentis, nationis, linguæ; qua maxime homines conjunguntur: interius etiam est[2], ejusdem esse civitatis. Multa enim sunt civibus[3] inter se communia: forum, fana, porticus, viæ, leges, jura, judicia, suffragia, consuetudines præterea, et familiaritates, multisque cum multis[4] res rationesque[5] contractæ. Arctior vero colligatio est societatis propinquorum. Ab illa enim immensa societate humani generis in exiguum[6] angustumque concluditur.

54 Nam quum sit hoc natura commune[7] animantium, ut habeant lubidinem procreandi, prima societas in ipso conjugio est; proxima in liberis; deinde una domus, communia omnia[8]. Id autem est principium urbis, et quasi seminarium reipublicæ[9]. Sequuntur fratrum

2. *Interius etiam est*. Goth. « interior est autem etiam ». Unus Ox. duo Ald. et Gulielm. codd. quod cum Grutero ita probo, ut *est* omittatur legaturque « interior etiam ejusdem civ. » Ita æqualia sunt omnia « propior, interior, arctior ». Cf. lib. III, cap. 17. *Interior* est ab extremitate remotior, restrictior. M. Heus. — Beierus cum Gu. 1, 2, transp. « interius est etiam ». Idem paullo post transp. cum Schütz. « multa sunt enim », auctore M. Heusing.

3. *Civibus*. Gruterus et prima ed. Grævii *civitatibus*, quod ceteri critici suorum libb. auctoritate rejecerunt.

4. *Multisque cum multis*. Noli propterea, quod in plerisque legitur *multæque*, cum Gernhardo conjicere *cum multisque*. Amat quævis lingua, in primis græca, talia per abundantiam quamdam conjugare: quæ conjugatio utrimque adjuvat significationem e. c. § 49: « Multi enim faciunt multa »: 104: « multaque multorum facete dicta ». II, 64: « multaque multis de jure suo cedens ». Rosc. Am. 45, 130: « multa multos... commisisse ». Beier.

5. *Res rationesque*. Interpr. scholiastes *res* contrahi, quum v. g. res venditur, *rationes* contrahi, quum v. g. dicitur: « si hoc feceris, dabo tibi centum solidos ».

6. *In exiguum*, etc. Ab orbe toto ad unam domum. Facc.

7. *Nam quum sit... animantium*. Inter societates propinquorum princeps est conjugii societas, quippe orta ex impulsu naturæ, cui parent animalia omnia. Facc. — Idem cum Goth. paucisque aliis *omnium animantium*. MSS et imprr. plerique *omnium* omittunt. Gern.

8. *Communia omnia*. Unus cod. Ox. et Facciolatus *cui* præponunt. Gern. — Communia sunt omnia et liberis et parentibus una in domo viventibus.

9. *Id autem est principium urbis, et quasi seminarium reipublicæ*. Totum hoc irrepsit in contextum ex nota aliqua margini apposita, nec facit ad rem. Facc.

conjunctiones; post consobrinorum[10], sobrinorumque: qui quum una domo jam capi non possint, in alias domos, tamquam in colonias, exeunt. Sequuntur connubia[11], et affinitates: ex quibus etiam plures propinqui. Quæ propagatio, et soboles, origo est rerumpublicarum[12]. Sanguinis autem conjunctio, benivolen-

10. *Consobrinorum, sobrinorumque.* *Consobrini* dicuntur ex duobus fratribus vel sororibus; quamquam melius forsan, si solum ita dicantur qui sunt ex duabus sororibus quasi *consororini*. *Sobrini* sunt filii consobrinorum. Vid. Inst. lib. III, tit. 6, § 4 et 5.

11. *Sequuntur connubia.* Mulierum scilicet, quæ nuptui dantur: unde familiarum societas. Facc.

12. *Quæ propagatio, et soboles, origo est rerumpubl.* Hoc quoque membrum adscitum videtur. Facc. — Hic locus cum illo, quem paullo ante notavimus, eumdem habet auctorem, nescio quem, certe non Ciceronem. Hunc enim quis credat, quum arctioris propinquorum societatis initia persequeretur, bis interrupisse arctissime nexam orationem sententiis admodum alienis et absurdis? Etenim, ut una domus sit principium urbis et reipub. quamquam ita urbs quæque suum habeat Adamum suamque Evam necesse est; non continuo, si plures domus fiunt, hæc est origo rerumpublicarum. Una domus principium est propinquitatis, reipublicæ autem imago minutissima. Causam hujus perversitatis suspicor esse in verbis Cicerone dignissimis «tamquam in colonias exeunt», illis quidem, ut Ursinus monet, Platonem exprimentibus, Leg. VI, p. 300 Bip. ὧν δὴ χάριν μητρὶ καὶ πατρὶ καὶ τοῖς τῆς γυναικὸς οἰκείοις παρέντας χρὴ τὰς αὐτῶν οἰκήσεις, οἷον εἰς ἀποικίαν ἀφικνουμένους αὐτοὺς... οἰκεῖν. Garv. — Gernhardo Schützius assentitur; at non Beierus, qui notat: Hæc vindicavit Hermannus, quæ e nullo codice exsulant ac consulto ab ipso Cicerone sunt addita. Nam ut supra philosophus ab ea, quæ latissime pateret, conjunctione hominum inter homines descenderat ad propiores atque interiores: sic nunc redit, ut doceat, «quo modo ipsa caritas, nata a primo satu, quo a procreatoribus nati diliguntur et tota domus conjugio et stirpe conjungitur, serpat sensim foras, cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitiis; post vicinitatibus; tum civibus» (Fin. V, 23, 65). Itaque omnium societatum gravissima est *civitas*, § 57. Cujus quæ natura principia et simplicissima maximeque necessaria elementa essent, *repetendum* videbatur *altius* (§ 50 pr.). Itaque ut auctor ad disputationem, quam omnis hæc oratio spectat, de «patria, omnes omnium caritates complexa», præparet, jam hic (vv. «id autem est... reipublicæ») in domestica societate ad primariæ istius societatis tenuissima quædam germina animadvertere jubet: inferius, post quam auctum affinitatibus propinquorum numerum memoravit, suo loco addit: «Quæ propagatio et soboles (id est, plurium familiarum affinitatibus junctarum) origo (id est, ipsum initium) est rerumpublicarum», quæ jam revera conduntur. Antea nondum fuere respublicæ; sed modo *principium* et quasi stirps ac semen, e quo saltem possent oriri futuræ. Ante ipsum

55 tia devincit homines et caritate[13]. Magnum est enim, eadem habere monumenta[14], majorum, iisdem uti sacris[15], sepulcra[16] habere communia.

Sed omnium societatum nulla præstantior est, nulla firmior, quam quum viri boni, moribus similes, sunt familiaritate conjuncti. Illud enim honestum[17] (quod sæpe dicimus), etiam si in alio cernimus, tamen nos movet, atque illi, in quo id inesse videtur, amicos

56 facit. Et quamquam omnis virtus nos ad se allicit, facitque[18], ut eos diligamus, in quibus ipsa inesse videatur: tamen justitia et liberalitas id maxime effi-

enim ortum fuerit necesse est *seminarium* reipublicæ. — J. M. Heusingerus scribit *suboles* cum Lamb. et Fabric.

13. *Benivolentia devincit homines et caritate.* Multi, « et ben. d. h. et car. » Sic et impr. vett. nisi quod *et* omittunt ante *caritate*. Alii « devincit caritate homines ». — Facc. transponit « devincit et caritate homines ».

14. *Monumenta.* Imagines, et honorum insignia. Facc. — *Imagines majorum* cum *stemmatis* in parte prima ædium collocari solitæ, quæ comitabantur gentilitia funera: ita ut semper, defuncto aliquo, totus adesset familiæ ejus, qui umquam fuerat, populus; nec non *clypei* imaginum in sacro vel publico privatim sacrati. Vid. Plin. lib. XXXV, cap. 2, 3, sect. 2-4; Senec. de Benef. lib. III, cap. 28; Lips. Elector. lib. I, cap. 29. Beier.

15. *Iisdem uti sacris.* Gens quælibet præter sacra civitatis communia, habebat propria, quibus sacris utebantur familiæ omnes gentis ejusdem. Facc. — Vide Leg. II, cap. 19, 47; Liv. V, cap. 46. Gern. — Beier. cum F. Heusing. scribit *eisdem;* ceterum observat: De sacris autem domesticis et gentilitiis, quæ cujusque gentis propria, stato die ac certo loco facienda, perpetuitatis causa e jure pontificio una cum hereditate tradebantur successoribus, vid. Verr. lib. IV, § 7 *extr.* de harusp. Resp. § 32; pro Domo, § 34 extr. De religione *sepulcrorum* familiarium vid. Leg. II, 22, 55. Apud Paulum, Gœrenzio ibi laudatum « de sepulcro et lugendis », nihil ejusmodi reperire potuimus. Sed cf. Cic. pro Rosc. Am. 9, 24; Digest. XI, 7, 5, 10, et tit. 8, XIX, 53, § 1; Cod. III, tit. 44, leg. 4, 8, 13, et M. Heusingero laudatus Gutherius, de Jure Manium, lib. III, cap. 9; in Græv. Thes. t. XII.

16. *Sepulcra.* Peculiaria quæque familia habebat sepulcra. M. Heus.

17. *Illud enim honestum.* Honestas omnis, quocumque in homine sit, nos movet, allicit, atque illi amicos facit; sed illa maxime, quæ manat ex justitia et liberalitate: quia nulla re magis copulantur homines, quam dando et accipiendo, pro naturalis societatis et caritatis impulsu. Facc. — Reiz. in margine adscripsit: pro Arch. 7, 17. Adde Læl. cap. 9 pr. Gern.

18. *Allicit facitque.* Aliæ edd. vett. « alliciat, faciatque ».

cit. Nihil autem est amabilius, nec copulatius [19], quam morum similitudo bonorum. In quibus enim eadem studia sunt, eædemque [20] voluntates, in his fit, ut æque quisque altero delectetur, ac seipso; efficiturque id, quod Pythagoras vult in amicitia [21], ut unus fiat ex pluribus. Magna etiam illa communitas est, quæ conficitur ex beneficiis ultro citro datis acceptis [22]:

19. *Copulatius*. Alii, *copulabilius*. Facc. —Vereor, ne fallatur J. F. Heusingerus, qui plerorumque codd. lectionem *copulatius* accipit pro *copulabilius*, quod ut idoneis exemplis confirmari possit, tamen est « dignius quod copuletur ». Atqui virtus et morum similitudo copulat animos et allicit ad diligendum. Vid. Læl. 8, 28. Ut « consideratus homo » pro Cæc. cap. 1, est, qui considerare, *cautus*, qui cavere solet; sic vocis *copulatius* interpretamentum est *copulantius*, quod Pearcio post alios placuit. Ceterum *copulatius* legit etiam in suis codd. Wyttenbach. Vid. Biblioth. crit. II, 8, p. 74. Gern. — Gernhardo assentire videtur Beierus, qui ceterum delet *est* post *autem* cum nonnullis libb.

20. *Eædemque vol*. Plurimæ edd. vett. omittunt *que*, quas J. F. Heusinger. sequutus est. — Cf. Corn. Nep. Att. 5, 3, extr. Cic. pro Planc. 2, 5; Læl. 4, 9. Ib. 6, 1, « amicitia » definitur « omnium divinarum humanarumque rerum cum benivolentia et caritate summa consensio », et 17, 1, « quum emendati mores amicorum sint ... inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum sine ulla exceptione communitas »: nimirum ex Stoicorum decreto apud Diog. Laert. VII, 124, τὴν φιλίαν ἐν μόνοις τοῖς σπουδαίοις εἶναι διὰ τὴν ὁμοιότητα: quod demonstratum fuerat jam a Platone, Gorg. cap. 66 pr. Abutitur igitur hac sententia Catilina apud Sallust. 20: « Vobis eadem, quæ mihi, bona malaque intellexi. Nam idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est ». Beier.

21. *Quod Pythagoras vult in amicitia*. Facc. post Langium, et cum Ernesto recepit lectionem a Nonio sub voc. *ultimum* proditam, « quod Pythagoras ultimum in amicitia putavit », interpretaturque *ultimum*, id est, *summum*. Conf. Læl. cap. 25. Nostram lectionem, etiam Oliveto et J. F. Heusingero probatam, omnes tuentur libri scripti et imprr. Verba « ultimum putavit » interpretis manum præ se ferunt. — *Quod Pyth. vult in amicitia*. Id est, necessarium censet, anquirit ad amicitiam. Simili modo *velle* usurpatum Fin. II, 22, 72 sq. observat Gernhard.

22. *Ultro citro datis acceptis*. Gern. scribit « ultro citro datis acceptisque ». Hanc, inquit, scripturam integram servarunt quidam libri. Facc. « ultro citroque » cum Gu. 3, imprr. inc. a Gryph. Gottleber. Quum autem « ultro citro », ad utrumque *datis* et *acceptis* pertineat, non omittenda est copula *que* post *acceptis*. Ut similia abruptius dicta sint usitatissime, *absente*, *præsente*; *velit*, *nolit*, et al. hæc tamen non bis solent poni, iisque illustratur « ultro citro », non item « ultro citro datis acceptis ». Copulam absorpsit sequens pronomen *quæ*.

quæ et mutua[23], et grata dum sunt, inter quos ea sunt, firma devinciuntur societate[24].

57 Sed quum omnia ratione, animoque lustraris, omnium societatum nulla est gravior[25], nulla carior, quam ea, quæ cum republica est unicuique nostrum. Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares; sed omnes omnium caritates patria una complexa est: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus? Quo est detestabilior istorum immanitas, qui lacerarunt[26] omni scelere patriam, et in ea funditus delenda occupati et sunt, et fuerunt.

58 Sed si contentio quædam, et comparatio[27] fiat, quibus plurimum tribuendum officii[28], principes[29] sunt, patria, et parentes, quorum beneficiis maximis[30] obli-

23. *Quæ et mutua, et grata.* Post ea Facciolatus cum Gu. 3, 5, et impr. vett. *et* omittit ante *mutua*. Gern. — Gernhardum non sequuti sunt Schützius et Beierus : ipse Gernhard. in Addendis se correxit, ut dictio sit proverbialis.

24. *Firma devinciuntur societate.* Hanc lectionem barbaram arbitrati Perizonius et Græviuus correxere *devinciunt:* sed hæc est loquendi forma elegans nedum barbara, ut visum est Facc. Heusing. et ceteris, dummodo vox *illi* subaudiatur, quam reipsa Oliv. post *firma* addidit, invito fortasse Cicerone. Ceterum in hac lectione libri omnes consentiunt.

25. *Gravior.* Al. *gratior*, quod Facciolato placuit. Gern. — De patria, quæ in Catil. I, 7, 17, « communis omnium nostrum parens » nuncupatur, ubique magna cum reverentia loquitur Cic. ut Philipp. V, 2 extr. § 6. Conf. Plato in Critone, 12, p. 51, B.

26. *Qui lacerar.* Cæsarem intelligit et M. Antonium, qui, Cæsare interfecto, gravius Cæsare ipso patriam lacerabat. Facc.

27. *Et comparatio.* Absunt hæc a Gu. 2, glossamque sapere videntur Gottlebero. Eadem tamen idem c. 43, 2, adversus Ernestium tuetur. Vid. Invent. I, 12 : « Ex comparatione, in qua per contentionem, utrum potius aut quid potissimum sit, quæritur ». Offic. II, 5, 16 : « conspiratione hominum atque consensu ». Contra unum *contentio* satis est II, 2 extr. fit enim disputando. Gern.

28. *Tribuendum officii.* Goth. quatuor Oxonn. Rom. scripti omnes, J. F. Heus. atque impressi vett. « tribuendum sit off. » quod tuentur Jac. Gron. Pearc. Facc. Gern. Oliv. Sch. Beier. *sit* cum Græv. et Ern. omittit.

29. *Principes sunt.* Facc. Olivet. et Gern. scribunt *sint*. Gern. notat: Conjunctivum postulat et loci ratio et codicum Græv. et Heuss. auctoritas.

30. *Beneficiis maximis*, etc. Miror J. F. Heusingerum tacito dedisse *maxime* cum nonnullis imprr. et Faccio—

gati sumus; proximi, liberi, totaque domus, quæ spectat in nos solos [31], neque aliud ullum potest habere perfugium [32]; deinceps bene convenientes [33] propinqui, quibuscum etiam [34] communis plerumque fortuna est. Quamobrem necessaria præsidia vitæ debentur iis maxime, quos ante dixi: vita autem [35] victusque communis, consilia, sermones, cohortationes, consolationes [36], interdum etiam objurgationes [37] in amicitiis vigent maxime; estque ea [38] jucundissima amicitia, quam similitudo morum conjugavit.

lato. Qui *obligatus* est, vinculis teneatur, ut non opus sit adverbio. Vid. Epist. XI, 16 med. Gern. — Cui Beier. assentitur.

31. *Quæ spectat in nos solos*. Spem omnem in nobis repositam habet, a nobis solis omnia exspectat.

32. *Perfugium*. Plurimi script. libb. et impr. vett. *profugium*.

33. *Bene convenientes*. Id est, concordes, et inter se consentientes: quod non est ita frequens. Facc.

34. *Quibus etiam*, etc. Sic Facciol. Græv. Ernest. Oliv. et Sch. nisi quod cum Heuss. transponit « communis etiam ». Gern. scribit: « quibuscum communis etiam fortuna pler. est ».

35. *Vita autem*, etc. Post propinquos sequuntur amici, quibuscum vivimus. Iis non præsidia vitæ, sed alia quædam tribuenda sunt. Facc.

36. *Coh. consolationes*. Omisit Facciolatus post Vincent. Bellov. vocem *consolationes*, quæ post *cohortationes* vulgo legitur. Atque habet hoc aliquid offensionis, quod post *consolationes* recurrit ad *objurgationes*, quæ sunt cohortationibus similiores. Quamquam nihil ausim mutare, præsertim quum librarii, ubi plura verba occurrunt similia, proclives sint ad unum et alterum omittendum: ut § 53. In Gu. 3 deest *jura*, impr. Magont. *judicia*. Gern.

37. *Objurgationes*. Sunt enim amici interdum etiam monendi, atque adeo objurgandi: modo benivole fiat, et sine contumelia, ut præcipitur in lib. de Amic. cap. 24. Facc.

38. *Estque ea*, etc. Facile apparet, membrum hoc additum fuisse ex monito margini adscripto: nam et supervacuum est, quum idem bis dixerit; nec facit ad locum hunc, ubi agitur, non de jucunditate amicitiæ, sed de officiis amico tribuendis. Facc. — Haud levis hæc est suspicio. Accedit, quod Cicero aliam societatem aliunde ve ortam, quam ex morum similitudine, ne appellat quidem amicitiam. Vid. Læl. cap. 8 et 9. Deinde nescio an nullo alio loco verbo *conjugare*, recentioribus usitatiore, usus sit de amicitia. Composita videtur hæc sententia ad § 56: « Nihil autem...bonorum », a nostro autem loco sane aliena. Gern. — Salva Facc. et Gern. perspicacia in subodorandis glossematibus: eos tamen interrogare liceat, quo in libro hanc sententiam abesse viderint. — Satis vindicavit hanc clausulam Hermannus, a superioribus hoc nexu aptam, quem ipse auctor ex familiaris sermonis imitatione paullo

59 XVIII. Sed in his omnibus officiis tribuendis videndum erit, quid cuique maxime necesse sit, et quid quisque vel sine nobis [1] aut possit consequi, aut non possit. Ita non iidem erunt necessitudinum gradus, qui temporum [2]. Sunt quædam officia [3] quæ aliis magis, quam aliis debeantur : ut vicinum [4] citius adjuveris in fructibus [5] percipiundis, quam aut fratrem, aut familiarem. At, si lis in judicio sit, propinquum potius, et amicum, quam vicinum defenderis. Hæc igitur et talia, circumspicienda sunt in omni officio; et consuetudo exercitatioque capienda [6], ut boni ra-

negligentius significavit : « in amicitiis vigent maxime, idque in ea certe amicitia, quam, etc. » Vel « Hæc, quæ amicis debentur maxime, officia facere tanto jucundius est in ea amicitia, quam, etc. » aut « Hæc officia eo libentius tribuuntur amicis, qui morum similitudine nobis conjuncti sunt ». Hoc quidem modo corollarium istud non prorsus sine consilio additum videtur. Sin autem ei hunc, qui primo intutu videatur inesse, tribueris sensum, supra § 56, copiosius expressum : nihil reperietur, quod glossatorem invitare potuerit, ut eamdem sententiam tam inepte alieno loco repeteret. Beier.

XVIII. 1. *Quid quisque vel sine nobis.* Alii, ut Facc. scribunt « quid quisque nobiscum vel sine nobis ». Pearcius etiam v. *vel* delebat cum quibusdam libris.

2. *Qui temporum.* Alii, ut Facciol. « qui et temporum ». Int. tempora incidere possunt, quibus, qui minore vel nulla necessitudine nobis sit conjunctus, potius adjuvari debeat quam propinquus et familiaris.

3. *Sunt quædam officia.* Sic Grut. Jac. Gron. Oliv. Gern. cum Heuss. et Facciolatus dedit « suntque officia ».

4. *Ut vicinum.* Qui plurimum et prodesse et obesse potest in agro colendo versantibus. Unde Themistocles, prædium vendens, præconem pronuntiare jussit, esse ei commodum vicinum. Vid. Cat. Maj. c. 4. M. Heus. — Gottleber comparare jubet Hesiod. Ἔργ. vs. 343. Gern.

5. *Fructibus.* Quædam edd. dant *frugibus.*

6. *Et cons. exerc. capienda.* Verba hæc, nisi fallor, adscripta margini fuerant, ad innuendum, quod est in periodo proxima, ut fieri videmus in multis codicibus. Facc. — Quum totus hic locus omnem de justitia disputationem concludat, noli credere, Ciceronem scripsisse « Hæc igitur... circumspicienda sunt et consuetudo exercitatioque capienda..... Sed rei magnitudo usum quoque exercitationemque desiderat ». Non est probabilius a sedulo lectore totius hujus loci argumentum in margine scriptum irrepsisse? præsertim quum id fieri posset sine gravi structuræ offensione. Hujus labis index certissimus est *Sed,* quod utramque periodum nectit; tum minus probatur « capere exercitatio-

tiocinatores officiorum esse possimus, et addendo deducendoque[7] videre, quæ reliqui summa fiat: ex quo, quantum cuique debeatur, intelligas. Sed ut nec me- 60
dici, nec imperatores, nec oratores, quamvis artis præcepta perceperint, quidquam magna laude dignum sine usu et exercitatione consequi possunt: sic officii conservandi præcepta traduntur illa quidem, ut facimus ipsi; sed rei magnitudo usum quoque exercitationemque desiderat.

Atque ab iis rebus, quæ sunt in jure societatis humanæ[8], quemadmodum ducatur honestum, ex quo aptum est[9] officium, satis fere diximus. Intelligendum 61
est[10] autem, quum proposita sint genera quatuor, e

nem et consuetudinem ». Heusingeri dissentiunt. Gern. — Equidem, tuentibus hæc vv. et Gottlebero et F. Heusingero, quem sequitur, silentio servato, Degen, tamen ea abjecissem, nisi, relictis scrupulis quibusdam, adhuc hæsitarem. Ac primum quidem, qui cepit consuetudinem exercitationemque *videndi*, quantum cuique debeatur, is tamen potest adhuc claudicare in officio ipso, cujus *conservandi* usus et exercitatio majorem habet difficultatem: quemadmodum § 160, « agere considerate pluris est, quam cogitare prudenter ». Deinde vero *sed*, quæ particula § 60 pr. arguit, eam sententiam ante non fuisse tactam, facile corrumpi potuit e compendioso ænigmate particulæ *scilicet*, per sigli obscuritatem scriptæ: quæ sic explicative usurpatur a Propert. II, 11, 7. Beier.

7. *Addendo ducendoque.* Calculatorum more. Facc. — *Deducere* est quod arithmetici vocant *subtrahere*. Accepta et expensa separatim adduntur, et in summam conferuntur: post summa minor majore deducitur et facile colligitur quid reliqui sit. Sunt quibus hæc præcepta grato animo parum digna videbuntur; qui tam diligenter accepta et expensa computat, timere videtur ne plus reddat, quam acceperit.

8. *Quæ sunt in jure soc. humanæ.* M. Heus. interpr. quæ justa sunt in societate humana; nos potius, ex quibus jus humanæ societatis exsistit, nec male nobis vertere videtur interpres gallicus: « des principes qui constituent la société humaine ». — Facillime explicabitur: « ab iis rebus, quæ pertinent ad jus ». Sic autem per periphrasin dici videtur pro « a jure », idque e græcismo τὰ τῆς δίκης, vel τὰ περὶ τὸ δίκαιον. Beier.

9. *Ex quo aptum est.* Facciol. cum olim editis *ortum*. Alii, *actum*. *Aptum* defendunt ex bonis libris Heusingeri. — *Ex quo aptum est.* Id est, pendet; ad quod dirigitur officium. Vide de hoc verbi *apisci*, i. e. cum aliqua re conjungi, participio Gœrenz. ad Fin. II, 14, 47, pag. 194, a. cl. Sch. Lex. Cic. s. v. p. 103. Beier.

10. *Intelligendum est*, etc. Incipit

quibus honestas officiumque manaret, splendidissimum videri, quod animo magno, elatoque[11], humanasque res despiciente factum sit. Itaque in probris maxime in promptu est[12], si quid tale dici potest:

Vos etenim[13], juvenes, animum geritis muliebrem;
Illa virago viri[14].

a commendatione Fortitudinis, quæ reliquarum virtutum splendidissima semper habita est, maxime apud populum romanum propter studium bellicæ gloriæ. Facc.

11. *Magno, elatoque, human. res. Elatoque* præter unum Goth. qui transponit « elato magnoque », in omnibus libris legitur : neque debebat ab Heusingeris *magno* ab altero, ab altero *elatoque* expelli. Solet enim Cicero in definitionibus plura similia vocabula congerere, v. c. 28 pr. ut « animus magnus elatusque » sit animi magnitudo et elatio cap. 19, 64, cui opponi licet « humanas res despici », abjecta copula, quæ egregie proscribitur in MSS Gu. 2, 4, 5, a prima manu, μ et in imprr. Lipss. Reliqui libri et editt. « elatoque humanasque r. d. » Gern. — Sch. delevit *elatoque*. — Sic optime edidit Gernhard. Sed quum unus Goth. transposite exhiberet « elato magnoque », F. Heusing. Degen. quod in omnibus, etiam Balduini, libris legitur, expulerunt et deinceps scripserunt *humanasque*, etc. Sed eam copulam recte delevit Gernh. cum Gu. 2, 4, μ et vett. edd. Lipss. Nam in Gu. 5 corrector eam adscripsit. Gœrenz. ad Acad. II, 41, 127 pr. cum Mich. Heusingero suadet « animo elato humanasque r. d. » nam *magno* ex glossemate adhæsisse videri. Monuit tamen Gernhard. in definitionibus plura similia vv. jungi solere, ut 64 pr. Cf. etiam § 13 extr. 5, 14, « in animi excelsi atque invicti magnitudine ac robore », § 17, « animi excellentia magnitudoque.....in opibus utilitatibusque despiciendis eluceat »; 67, « fortis animi magnique ». II, 37, III, § 24, 100 pr. Paullo inferius, ubi Degen. et Sch. cum F. Heusingero ex edd. vett. revocarunt « magno animo et elato fortiter excellenterque gesta », vv. « et elato », quibus Vinar. substituit *elatoque*, in Gu. 2 a correctore expunctum, Gernhard. et Balduini et Anemœcii exemplari scripto reliquisque libris fidem habens, omisit monuitque vocibus « magno animo », quæ tantum non forma in unam coaluissent, duo advv. addi, ut § 49, « judicio, considerate constanterque ». Brier.

12. *In promptu est.* Facile, quum aliquem reprehendere volumus, talia nobis succurrunt.

13. *Vos etenim*, etc. Ex Ennio increpante milites ob socordiam. Vide locum apud Columnam in Ennii Fragm. pag. 150, ubi in ipsis verbis nonnihil est varietatis. Hæc autem eo spectant, ut ostendat summam ignominiam ab ignavia peti. Facc.

14. *Illa virago viri.* Plures libb. « illa virgo », unde alii fecere « illaque virgo » : sed in prioribus vox *a* per compendium absorpta fuerat. — *Illa virago viri.* Id est, illa virgo gerit animum viri. Clœliam virginem intelligit, de qua Valer. Maxim. lib. III, cap. 2, n. 2, eamque militibus roma-

Et si quid ejusmodi:

Salmaci, da spolia [15], sine sudore et sanguine.

Contraque in laudibus [16], quæ magno animo [17], et fortiter, excellenterque gesta sunt, ea nescio quomodo quasi pleniore ore laudamus. Hinc rhetorum campus [18] de Marathone [19], Salamine, Platæis, Thermopylis, Leuctris. Hinc noster Cocles [20], hinc Decii [21], hinc

nis opponit. FACC. — Gottleberus intelligit Artemisiam, in quam apud Herodot. VIII, 88, Xerxes dicit οἱ μὲν ἄνδρες γεγόνασί μοι γυναῖκες· αἱ δὲ γυναῖκες ἄνδρες· ad quem l. Gronovius et Wesseling. hunc Ennianum locum commemorant. GERN.

15. *Salmaci, da spolia*. Alii leg. « Salmacida spolia » : dictumque putant proverbiali modo. Vide Columnam ad Ennii Fragment. p. 300. FACC. — « Spolia sine sudore et sanguine » item proverbialiter usurpantur, ut græco parœmio ἀναιμωτὶ νικᾶν, ubi victoria contingit citra cædem. Vide Erasmi Adagia, p. 521. Sed obscœnum sensum innuere videtur Festus, quem vide p. 202. BEIER. — *Salmaci, da spolia*. Ita loquitur ad hominis contemptum, cui feminæ nomen tribuit. GERN. — Fallitur autem Gern. Mich. Heusingerum insimulans falsum, quod tradat, Fr. Maturantium legi voluisse : « Salmaci, spolia da ». Immo non nisi de interpretatione Maturantii loquitur Heus. « Unde sit infamis, quare male fortibus undis Salmacis enervet tactosque remolliat artus », poetæ ex eo explicant, quod Salmacis concreta sit nympha semiviro Hermaphrodito, ejus fontis undis formosos perluente artus. — Int. dictum per irrisionem : ultro armis vestibusque spoliandum te præbe, homo omnium ignavissime, atque ita sudori tuo atque sanguini parce. M. HEUS.

16. *Contraque in laudibus*. E contrario, ubi laudandum est, laus summa petitur a fortitudine. FACC.

17. *Quæ magno animo, et fortiter*. Gern. delet voculam *et*, notatque: J. F. Heusinger. interponit ex imprr. vett. *et elato*, quam vocem supra male expulit, quæque hoc loco in reliquis libris scriptis non legitur. Schützius J. F. Heusing. sequutus est.

18. *Rhetorum campus*. Materia dicendi amplissima, rhetoribus dicendi copiam præbens. M. HEUS.

19. *De Marathone*. Rhetores celebrant victoriam Miltiadis in Marathone, Themistoclis in sinu Salaminico, Pausaniæ de Mardonio Persa ad Bœotiæ urbem Plateas, Leonidæ ad Thermopylas, Epaminondæ in Leuctricis campis. FACC. — Vid. Corn. Nep. in v. Miltiadis, Aristidis, Themistoclis, Epaminondæ.

20. *Hinc noster Cocles*. Hæc lectio ingenio Balduini debetur : libri prius editi peccant « Leuctres, Stratocle, Sterocle, Stirlodo, Stercodes ». — Ita ex Romanis celebrantur Horatius Cocles, Decii, et alii, qui notissimi sunt ex Livio, Floro, et Valerio Maximo. FACC.

21. *Hinc Decii*. Duo Decii commemorantur III, 4; Cat. maj. cap. 20; Parad. I, 3. Hic autem, quum *Decii* dicit simpliciter, videtur tres illos cogitasse, quos laudat Finib. II, 19, et Tusc. I, 37. GERN.

Cn. et P. Scipiones[22], hinc M. Marcellus[23], innumerabilesque alii; maximeque ipse populus romanus animi magnitudine excellit. Declaratur autem studium bellicæ gloriæ, quod statuas quoque videmus ornatu fere militari[24].

62 XIX. Sed ea animi elatio, quæ cernitur in periculis, et laboribus, si justitia vacat, pugnatque non pro salute communi, sed pro suis commodis, in vitio est. Non enim modo[1] id virtutis non est, sed potius[2] immanitatis, omnem humanitatem repellentis. Itaque probe definitur a stoicis fortitudo, quum eam, virtutem esse dicunt propugnantem[3] pro[4] æquitate. Quocirca nemo, qui fortitudinis gloriam consequutus[5]

22. *Cn. et P. Scipiones.* Gern. scribit « Cn. et P. Scip. » notatque : Priorem locum tenet hic et Parad. l. l. *Gnæus*, quamquam natu minor, quod Livio teste, XXV, 36, « prior et favorem comparaverat et specimen justitiæ temperantiæque Rom. primus dederat ». Nos cum MS Gu. 2 dedimus « Cn. et P. » Gu. 5, « Gneii et Publius ». Reliqui « Cnæus et P. » aut « Cn. et P. » Facciolatus « Cneus et Publius ».

23. *Marcellus.* Cujus vitam scripsit Plutarchus, et brevius Aurel. Vict. cap. 45. Primus Hannibalem fugere coegit ad Nolam, Syracusas obsedit et expugnavit.

24. *Ornatu fere militari.* Armatas, non togatas, quæ antiquissimis temporibus raræ erant. Solius enim tum virtutis bellicæ præmia erant. M. Heus. — Vid. Philipp. V, 15, 41; IX, 2; Velleium Patercul. II, 61, ubi conf. Kraus. Plutarch. Romul. cap. 15 extr. Gern.

XIX. 1. *Non enim modo.* Gernhard. scribit « non modo enim ». Sic, inquit, quatuor primi MSS Gu. et Balduinus; Facciolatus et Heuss. cum reliquis libris scriptis et editt. « Non enim modo ». Gernhardum Beierus sequitur.

2. *Sed potius imm.* Gern. « sed est potius imm. » Ita, inquit, cum Balduino H. Wolf. Heusing. e Gu. 2 et 4, scripsi, ut Tusc. V, 1 et 7 : « Mathematicorum iste mos est, non est philosophorum ». Atque hoc loco repetitum *est* vel magis etiam flagitat vocula *potius*, quam post « non modo non » vix exspectaveris. Facciolatus, ut ceteri, *est* omittit.

3. *Propugnantem. Pugnantem* cum Goth. Gu. 2, 3, edd. vett. Heusingerus laudat Epist. XI, 26, « proque mea salute acerrime propugnaret ». Gern.

4. *Pro æquitate.* Pro eo quod æquum est, et cuique conveniens in communi societate. Hic autem est fortitudinis finis, de quo infra disputat. Facc.

5. *Consequutus est.* Facciolatus cum Græv. male interpungit commate post « consequutus est », quocum nectendi sunt ablativi seqq. exemplo Ascensii, Gryph. Pearc. Ernest. Heuss. Gern.

est insidiis et malitia, laudem est adeptus. Nihil[6] enim
honestum esse potest, quod justitia vacet[7]. Præclarum 63
igitur Platonis illud[8] : Non solum, inquit, scientia,
quæ est remota a justitia[9], calliditas potius, quam
sapientia est appellanda; verum etiam animus paratus
ad periculum, si sua cupiditate, non utilitate communi impellitur, audaciæ potius nomen habeat, quam
fortitudinis. Itaque viros fortes, magnanimos[10], eosdem bonos et simplices[11], veritatis amicos, minimeque fallaces esse volumus : quæ sunt ex media laude
justitiæ[12]. Sed illud odiosum est, quod in hac elatione 64
et magnitudine animi, facillime pertinacia et nimia cupiditas principatus innascitur. Ut enim apud Platonem est, omnem morem Lacedæmoniorum[13] in-

6. *Nihil enim honestum*. Gern. delet *enim*. Nam, inquit, ejusmodi sententiæ nimirum vi sua et gravitate amplissimæ vel nulla intercedente particula ad proxima verba sese applicant. Gernhardum Beierus sequitur, at non Hermannus, qui suspicatur vv. « nihil ... vacat » spuria esse.

7. *Vacet*. Sic Ernest. e MSS Goth. *vacat* retinuerunt cum ceteris libris Oliv. Heusing. Gern. Schütz.

8. *Platonis illud*. Quatuor Gu. « illud Platonis », quod J. F. Heusinger. præponebat, collatis Tuscul. IV, 8, de Natur. Deor. II, 3. — Ceterum, si Cicero Platonem expressit de prudentia et fortitudine uno tenore disputantem, non constat, quem locum spectaverit. Interpretes laudant Menex. cap. 19, et Lach. extr. Similia deprehenduntur etiam Repub. lib. IV, Comp. Offic. III, 25 extr.

9. *A justitia*. Gern. « ab justitia ». Gernhardo Beierus assentitur.

10. *Fortes, magnanimos*. Sic Grævius et Ernest. cum Goth. Vin. Venet. tribus, Arg. contra Bald. Ald. Pearc. Facc. Heuss. Oliv. Schütz. Gernhard. « fortes et magn. » ut est in Gu. 4, ψ, Ven. quart. Ascens. Gryph.

11. *Eosdem bonos et simplices*. Al. *eosdemque*. Facc. — Altera lectio est in Goth. et Gu. 3. — Quum in multis antiqua scriptura legeretur *simplicis*, alii conjunxerunt « et simplicis veritatis ».

12. *Quæ sunt ex media laude justitiæ*. Id est, ex ipso justitiæ fundo : qua ratione alibi, « ex medio jure civili, ex media philosophia, ex mediis C. Cæsaris partibus ». Facc. — M. Heusing. interpr. « mediam laudem », quæ in medio sita est, ad quam pluribus aditus patet : contra J. F. Heusinger. interpr. quæ sunt maximæ ac principes virtutes quibus laudatur vir justus, sive, ut Schol. Gu. interpretatur « ex intima laude justitiæ ». Huic interpretationi assentitur Gern.

13. *Morem Lacedæmoniorum*. Qui fortissimi totius Græciæ ferebantur. Facc. — Hanc lectionem tuentur om-

flammatum esse cupiditate vincendi: sic, ut quisque animi magnitudine maxime excellit[14], ita maxime vult princeps omnium, vel potius solus esse[15]. Difficile autem est[16], quum præstare omnibus concupieris, servare æquitatem, quæ est justitiæ maxime propria. Ex quo fit, ut neque disceptatione[17] vinci se, nec ullo

nes codd. et imprr. vett. præter Ursini cod. in quo pro *morem* est *vim*. Idem superscriptum est illi voci in MS Ratisbon. teste G. H. Martinio in Prolusione de Spartiatarum Mora, Ratisbonæ 1771, p. 21. In cod. quodam Mannt. super *morem* scriptum reperitur « id est naturam ». Reinesius conjicit *marem*. J. Gronov. imitatus patrem, ad Tusc. II, 16, in Obss. III, 6, p. 360, corrigit « omnem moram Laced. inflammatam », quod arridet Martinio et Erfurdt. *Mora* autem non est exercitus Lacedæmoniorum totus, sed, ut Latin. cohors, exercitus pars quingentorum fere militum. Vide interpretes ad Corn. Nep. Iphicr. 2, 3; J. F. Gronov. l. l. et Martin. l. l. Neque illi VV. DD. locum monstrarunt Platonis, ubi omnis mora Lacedæm. diceretur inflammata fuisse vincendi cupiditate. Deinde, si milites intelligendi sunt, vel totus exercitus, cur opus erat Lacedæmoniorum exemplo fideque Platonis, quum in promptu esset fortissimus Romanorum exercitus? Memorabile autem est vincendi studium, commune illud Lacedæmoniorum omnium, οἷς οὐδὲν ἄλλο μέλει ἐν τῷ βίῳ, ἢ τοῦτο ζητεῖν καὶ ἐπιτηδεύειν, ὅ τι ἂν μαθόντες καὶ ἐπιτηδεύσαντες πλεονεκτοῖεν τῶν ἄλλων περὶ τὸν πόλεμον. Plat. Lach. p. 483, et Repub. VIII, non longe ab init. δ῾ιϊτέον... τὸν φιλόνεικον καὶ φιλότιμον κατὰ τὴν Λακωνικὴν ἑστῶτα πολιτείαν. Hæc Cicero cum quodam verborum vigore Platonico expressit hoc sensu: commune Lacedæmoniorum studium, consuetudine et vetustate confirmatum, hoc esse, ut vincere cupiant. Ita nullum aptius erat vocabul. quam *mos*, *Nationalgeist* (sic bene Hottingerus), ut Brut. cap. 21: « Sed et mos hominum, ut nolint eumdem pluribus rebus excellere ». J. F. Gronov. l. l. intelligit, Lacedæmonios omni more et instituto et ratione sua inflammatos esse hac cupiditate. Gottleber. *morem* vult esse ingenium et naturam, ut Græc. ἦθος et illud: « homo antiqui moris ». GERN. — Gernhardo Beierus assentitur.

14. *Excellit.* Heusinger. e Gu. 2 et Balduini vetustis codd. *excellet*, secundæ conjugationis forma. GERN.

15. *Vel potius solus esse.* Pompeium notat et Cæsarem; de quibus Flori est judicium, lib. IV, 2, 14, « Nec hic (Pompeius) ferebat parem, nec ille superiorem ».

16. *Difficile autem est.* Beierus scribit, « difficile est enim », observatque: In Gu. 4, *est* a correctore accessit; in 5 transponitur: « difficile est autem », idque rectius. Præterea e Gu. 3 recepi *enim*, cui ut § 30, init. pro *quidem* v. *omnino* positæ, respondet inferius, « Sed quo difficilius, hoc præclarius ». Deinde pro vulg. *concupieris* e Gu. 3, 5, et vett. edd. revocavi *concupiveris*, quod habet etiam Facciolatus, a *concupisco*. BEIER.

17. *Neque disceptatione.* Quia nec

publico[18] ac legitimo jure patiantur[19] : exsistuntque in republica[20] plerumque largitores et factiosi, ut opes quam maximas consequantur, et sint vi potius superiores, quam justitia pares. Sed quo difficilius, hoc præclarius[21]. Nullum est[22] enim tempus, quod justitia vacare debeat. Fortes igitur, et magnanimi sunt ha- 65
bendi, non, qui faciunt[23], sed qui propulsant injuriam. Vera autem et sapiens animi magnitudo, honestum illud, quod maxime natura sequitur, in factis positum, non in gloria[24] judicat; principemque se esse mavult, quam videri. Etenim qui ex errore[25] imperitæ multitudinis pendet, hic in magnis viris non est habendus. Facillime autem ad res injustas[26] impellitur, ut quisque est altissimo animo, et gloriæ cupido[27]. Qui locus est

in foro, nec in curia, nec in campo vinci volunt. Hinc largitiones, hinc factiones, per quas vincant, et aliis præstent. Facc. — Vid. *de disceptatione*, § 24 pr.

18. *Nec ullo publico.* M. Heusing. mallet *aut ullo.*

19. *Patiantur.* Notandus pluralis numerus, qui familiaris est Ciceroni, quum sermonem refert ad genus universum. Facc. — Unus cod. script. Balduini habet *patiatur.* Gern.

20. *Exsistuntque in republica plerumque largitores.* Facc. *exsistantque*, quod M. Heusinger. præferebat. Indicativum omnes libri tuentur. Cicero orationis formam subito mutavit : de quo more monitum est ad cap. 5, 15. Plura exempla collegit Brem. ad Fin. I, 7, p. 38. Gern.

21. *Quo difficilius, hoc præclarius.* Quanto difficilius est justitiam potius, quam potentiam affectare, tanto præclarius.

22. *Nullum est enim*, etc. Quidam per ea tempora præstandi et dominandi gloriam quærebant arte qualibet. Facc.

23. *Non, qui faciunt.* Non qui alios opprimunt, ut ipsi præstent, sed qui oppressuros repellunt. Facc.

24. *Non in gloria.* Id est, non in principatu, et in administrandæ reip. potestate. Facc. — Paullum hæc interpretatio a vero sensu abesse nobis videtur, qui est : non ea honesta esse putanda, quæcumque nobis gloriam consequuntur; gloriam non esse criterium honestatis; sed facta ipsa esse ex honestatis regulis judicanda.

25. *Ex errore.* Istiusmodi gloria, qua quis videtur, quod non est, pendet ex pravo multitudinis judicio. Facc.

26. *Ad res injustas.* Scilicet ut honores et dominatum sibi acquirat, quoquo modo potest. Facc.

27. *Altissimo animo, et gloriæ cupido.* Gern. scribit « alt. animo, gloriæ cupiditate », construens vv. *gloriæ cupiditate* cum præcedente *impellitur.* Hoc, inquit, Pearcius egregie conje-

sane lubricus[28]; quod vix invenitur, qui, laboribus susceptis, periculisque aditis, non quasi[29] mercedem rerum gestarum desideret gloriam.

66 XX. Omnino fortis animus, et magnus, duabus rebus maxime cernitur: quarum una in rerum externarum[1] despicientia ponitur, quum persuasum sit, nihil hominem, nisi quod honestum decorumque sit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere; nullique[2] neque homini, neque perturbationi animi, nec fortunæ succumbere[3]. Altera est res, ut, quum ita sis affectus animo, ut supra dixi, res geras magnas illas quidem, et maxime utiles, sed et[4] vehementer arduas,

cit, et Heusinger. restituit e cod. Gu. 1, pro vulg. « et gloriæ cupido », quod retinuerunt Facciolatus, Oliv. et Ern. Lamb. Græv. « et gloriæ cupiditate », vel « gloria cupiditate » vel « gloria et cupiditate ». Anemœc. et cod. August. « et gloria et cupiditate ». Paullo ante Beierus cum Gu. 1 transp. « altissimo animo est ».

28. *Qui locus est sane lubricus*. Ex una parte contemni gloria non potest, ex altera gloriæ cupidi facile injuriam faciunt, ut eam consequantur, si consequi aliter nequeant. Facc.

29. *Non quasi mercedem*. Pro *quasi* Gu. 1 interponit *sibi*, quod mihi placet cum Heusingero, quem vide dativi *sibi* et *mihi* cum verbis cupiendi et poscendi conjuncti usum exemplis illustrantem. Vid. cap. 7, 22. Ibidem § 23, ubi de particula *quasi* dixi, quæ hic non nihil habet offensionis. Gloria enim Ciceronis judicio non quasi merces, sed vera et una merces virtutis est. Vide pro Archia, cap. 11: « Nullam enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat præter hanc laudis et gloriæ ». An statuendum est Ciceronem hic paullo verecundius loqui de virtutis præmio? Gern. — Gernhardo non assentitur Beierus, qui dicit *quasi* positum esse ad mitigandum verbum inhonestum *mercedem*.

XX. 1. *Externarum*. Externæ sunt res, quæ non in nostra, sed in aliorum et fortunæ potestate sunt.

2. *Nullique neque*. Impr. vett. *nulli neque*.

3. *Homini... succumbere*. Repete, *oportere*. Succumbit homini, qui vincitur metu, minis, precibus, gratia, hisque a recte agendi proposito deducitur. M. Heus.

4. *Sed et vehementer*. Gern. scribit *sed ut vehement*. Exquisitius, inquit, repetita vocula *ut* ab iis, qui non intelligerent, aut omissa est, aut in *et* mutata. Certe non probabile est *ut* esse a correctore. — *Ut supra dixi, res geras magnas illas quidem ..... sed ut vehement. arduas*. Cum vi iteratur conjunctio, ita ut etiam vv. *res geras* cogitatione repetenda sint. De abundantia in pron. *illas* vid. ad § 60, cl. Gœrenzio ad Fin. III, X, 54, « bonum hoc, de quo agimus, est illud quidem plurimi æstimandum, etc. » Beier.

plenasque laborum, et periculorum, tum vitæ[5], tum multarum aliarum rerum, quæ ad vitam pertinent. Harum rerum[6] duarum splendor omnis et amplitudo, 67
addo etiam utilitatem[7], in posteriore est[8]; causa autem, et ratio efficiens magnos viros, est[9] in priore. In eo enim est[10] illud, quod excellentes animos, et humana contemnentes facit. Id autem[11] ipsum cernitur in duobus, si et solum id, quod honestum sit, bonum judices, et omni[12] animi perturbatione liber sis. Nam et ea, quæ eximia plerisque et præclara videntur, parva ducere[13], eaque ratione stabili firmaque contemnere, fortis animi, magnique ducendum[14] est;

5. *Tum vitæ, tum multarum aliarum rerum*. Gern. delet *aliarum*, notatque : Sic libri Lambini, omnesque Heuss. præter Gu. 2, quocum consentientes editt. Bald. H. Wolf. Græv. Facc. scripserunt « quum vitæ », quod est eodem tempore et ipsius vitæ et multarum rerum, etc. sed sensus esse debet, nunc vitæ, nunc, etiamsi non vitæ, certe aliarum rerum, quæ ad vitam pertinent. Vocem *aliarum* post *multarum* excludunt quatuor MSS Gu. et impr. vett. In nonnullis male interponitur *causa* ante *vitæ*, in aliis ante *rerum*. — Connexa sunt *pericula vitæ* et *aliarum rerum*. M. Heus.

6. *Harum rerum duarum... est in priore*. Causa fortitudinis est in re prima, id est, in despiciendo; effectus in secundo, id est, in agendo. Facc.

7. *Addo etiam utilitatem*. *Etiam*, quod post *addo* in omnibus libris legitur, egregie omittit μ, plane ut Ep. III, 7 : « Homo... summa prudentia; multa etiam doctrina, plurimo rerum usu, addo urbanitatem ». Neque videtur illud *etiam* facilius ferri posse ob præcedens *et* : quam copulam non puto excludendam. Gern.

8. *Est*. Voculam nonnulli codd. omittunt.

9. *Est in priore*. Gern. delet *est*. Beier. *est* non solum h. l. sed etiam post *posteriore* delevit nonnullorum libb. auctoritate.

10. *In eo enim est*. Gern. dedit « in eo est enim » cum MSS Gu. 1, 2, 3, Goth. Bald. Heus. sequente Beiero.

11. *Id autem*. Quod habet rationem causæ, rursus duplex est : primum quidem solam honestatem sequi, alterum vero nullis rebus turbari, quæ accidunt in vita. Facc.

12. *Et omni animi pert*. Gern. scribit « et ab omni ». Ita, inquit, omnes Gu. Olivet. Facc. a quibus duumviris erat J. M. Heusingerus, qui tradit scriptum esse « ab omni perturbatione animi », quod in suis codd. invenerat; Græv. et Ern. omittunt *ab*, alii quidam *omni*.

13. *Parva ducere*. Nihil admirari eorum, quæ vulgus admiratur. Facc.

14. *Ducendum*. Beierus *dicendum* scribit, observatque : Sic restitui e Vinar. Gu. 4, λ, μ, aliquot Oxx. Aldique codd. et Heusingerorum impress. exemplaribus vett. (præter unum sine

et ea, quæ videntur acerba, quæ multa et varia in hominum vita fortunaque versantur, ita ferre, ut nihil a statu naturæ discedas, nihil a dignitate sapientis, robusti animi est[15], magnæque constantiæ.

68 Non est autem consentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate[16]; nec, qui invictum se a labore præstiterit, vinci a voluptate. Quamobrem et hæc videnda[17], et pecuniæ fugienda cupiditas. Nihil enim est tam angusti animi, tamque parvi, quam amare divitias; nihil honestius, magnificentiusque, quam pecuniam contemnere, si non habeas; si habeas, ad beneficentiam[18] liberalitatemque conferre. Cavenda est etiam[19] gloriæ cupiditas, ut supra dixi. Eripit enim libertatem[20], pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio. Nec vero imperia expe-

l. et a.) omnibus, idque e quinque suis firmat Gœrenz. ad Fin. IV, 20, 56, p. 490 b, cui vulgata *ducendum* vel propter præcedens *ducere* improbatur.

15. *Robusti animi est.* Facciolatus post H. Wolfium in V. L. præponit *hoc*, quo non male sejunguntur genitivi adjectivorum et variatur alterius membri ratio: « fortis animi... ducendum est ». Beier.

16. *Frangi cupiditate.* Vir fortis, qui se invictum præstat a metu et labore, permittere non debet, ut a cupiditate et voluptate vincatur. Facc.

17. *Et hæc videnda.* Cupiditas et voluptas. Tum pecuniæ appetitus fugiendus et gloriæ. Gloriæ autem nomine honores intelligit. Facc.—Idem Facc. scripsit *vitanda*: Gern. *videnda sunt*, qui notat: *Videnda* tuentur optimi libri scripti C. Langii, Lambin. al. Equidem *sunt* addidi cum sex Manut. libr. Gronov. et imprr. vett. omnibus præeunte Pearcio et Facciolato: sic facilius abesse potest verbum *est* post *cupiditas*, adjectum in Lips. Gern. — At Beierus in v. *sunt* addenda Gernhard. non sequutus est: immo in sqq. *est* post *nihil* etiam delevit; qui quidem non ante videtur quiescere velle, quam vv. *est*, *sunt*, *sit*, etc. omnino ex his libris exterminaverit.

18. *Beneficentiam.* Heuss. Gern. Schütz. *beneficientiam* cum Gu. pr. et sec.

19. *Cavenda est etiam.* *Est* omittitur in Gu. 4, non male, ut cap. 25, 89, quandoquidem, ubi præcepta traduntur, post participium futur. pass. verbum *est* et *sunt* sæpius intelligi Cicero voluit, quam scribendo repetiit, id si fieri poterat sine obscuritate, ad numeri verborumque suavitatem. Vide Cat. maj. cap. 11, 35 seq. Gern. — Nec h. l. se Beierus continere potuit a v. *est* delenda.

20. *Eripit libertatem.* Prensatio ad honores et imperia obtinenda, servi-

tenda, ac potius aut non accipienda[21] interdum, aut deponenda nonnumquam. Vacandum autem est[22] omni 69 animi perturbatione, tum cupiditate, et metu, tum etiam ægritudine[23], et voluptate animi[24], et iracundia; ut tranquillitas et securitas adsit[25], quæ affert quum

tus quædam est. Oportet enim servire populo metu repulsarum. Facc.

21. *Aut non accipienda.* Ut Timoleon regnum Corinthi. C. Nepos, vit. Timol. Q. Fabius et T. Manlius Torquatus consulatum, Liv. X, 11, et XXVI, 22; Scipio Africanus regnum Hispaniæ, Liv. XXVII, 21. J. F. Gronovius.

22. *Vacandum autem est omni.* J. F. Heusing. Gern. ex Gu. 1, 2, 4, « vacandum autem omni est », in quo non video quid elegantius videre potuerint. — *Vacandum autem.* Vacandum et his et aliis perturbationibus, inquit, ut tranquillitas adsit, et animi securitas, quæ parit constantiam. Facc.

23. *Etiam ægritudine.* Perturbationem hanc evellere aut saltem lenire conatur tota Tusculana tertia. Facc.

24. *Voluptate animi.* Id est, lætitia gestiente, quæ est commotio vehemens ex præsenti opinato bono, per quam discedimus a naturæ constantia. Vide Tusc. IV, cap. 6. Facc.—*Animi* post *voluptate* abest a cod. Gu. 3, H. Wolf. in V. L. et Ascens. Idem deleri vult Erfurdtius. Hæ enim perturbationes omnes ad animum pertinent. Atque *voluptas* ægritudini opponitur, omisso isto genitivo, Tusc. l. l. c. 7 extr. et 9 pr. Gern.

25. *Ut tranquillitas et securitas adsit.* Hic nos post *tranquillitas* vocem *animi* desideramus, quæ supra transferri potuit post *voluptate.* Et certe « tranquillitas animi » præbent multi codd. Hæc Gernhardus fere: idem dicit v. *animi* perperam abesse Gu. 5, edd. vett. Græv. Facc. Oliv. Ernest. et tamen eam in textu non collocavit, an errore typothetæ? —Verbis « ægritudine et voluptate » adjicitur in al. edd. *animi*, quem genitivum, ut videtur, e proximis, ubi post *tranquillitas* non, ut refert Gern. in Gu. 5, sed in Goth. Vinar. atque in vett. et in Græv. Facciol. Oliv. editt. *animi* omittitur, huc translatum, jure Gernhard. uncis notavit, quum absit a cod. Gu. 3, H. Wolf. in V. L. et Ascens. quumque « voluptas ægritudini » opponatur, omisso isto genit. Tuscul. IV, cap. 7 extr. (apud Schütz. cap. 8 pr.) et 9 pr. Adde infra § 102. Levius est illud argumentum, quod hæ perturbationes omnes ad animum pertinere dicuntur. Nam Fin. III, 10, 35, monetur « communi nomine corporis et animi ἡδονὴν (voluptatem) appellari ». Qua de causa mavult ibi scriptor *lætitiam* appellare, « quasi gestientis animi elationem voluptariam ». Hæc Beierus, qui *animi* post *voluptate* delevit, et post *tranquillitas* reposuit. Idem addit: Nisi seq. pron. *quæ* referendum esset etiam ad *tranquillitatem*: vulgato vv. ordini facile cum Facciol. præferrem conjunctionem vel μεσόζευγμα « tranquill. anim. adsit et sec. » in Gu. 5, et edd. vett. F. Heusingeri omnibus: qua de figura vid. Capperonier ad Quintil. Instit. IX, 3, p. 578 seq. et Kraus. ad Velleium Paterc. II, 20 extr. Sic ἀπὸ κοινοῦ verbum interpr. medium § 14 pr. 67 extr. 71: « ignominiam timere et infamiam »; 85 extr. 92 pr.

constantiam, tum etiam dignitatem. Multi autem [26] et sunt, et fuerunt, qui eam, quam dico, tranquillitatem expetentes, a negotiis publicis se removerint [27], ad otiumque perfugerint: in his et nobilissimi philosophi [28] longeque principes, et quidam homines [29] severi et graves, nec populi [30] nec principum [31] mores ferre potuerunt, vixeruntque nonnulli in agris, delectati re sua familiari. His idem propositum fuit, quod regibus [32], ut ne qua re egerent, ne cui parerent, libertate uterentur: cujus proprium est, sic vivere, ut velis [33].

XXI. Quare, quum hoc commune sit potentiæ [1] cu-

105, « discendo alitur et cogitando ».

26. *Multi autem et sunt*, etc. Hactenus explicuit primam fortitudinis partem; nunc aggreditur secundam, quæ quum in agendo posita sit, a multis omittitur propter animi tranquillitatem. FACC.

27. *Removerint..... perfugerint*. Gern. scripsit « removerunt... perfugerunt ». Indicativum, inquit, cum plerisque Heusingerorum libris, exemplo Facciolati et Heusingg. retinui, quod post « sunt qui », interposito *expetentes* et quum prægressum sit *Multi*, et ratio, et usus hunc modum postularent. Vide plura ad cap. 2, 5. — Gernhardo Beierus obsequitur. Vide Senecam de Otio sapientis.

28. *In his et nobilissimi philosophi*. Ut Socrates, Plato, Aristoteles, Pythagoras, Democritus, Anaxagoras, Epicurus cum suis sectatoribus, qui negabant sapientem ad rempub. accedere. Vide Gassendum ad Diog. Laert. de philosophia morali Epicuri. GRÆV. — Epicurus ait: « Non accedet ad rempub. sapiens, nisi si quid intervenerit ». Zeno ait: « Accedet ad rempub. nisi si quid impedierit ». « Alter otium ex proposito petit, alter ex causa », ut ait Seneca. BEIER.

29. *Et quidam homines*. Goth. « et quidem homines »; male: nam hos distinguit auctor a philosophis: nec dubium est quin Pomponium Atticum aliosque similes significet.

30. *Nec populi*. Gern. scribit « qui nec populi ». Pronomen *qui*, inquit, Heusingerus recte recepit, postquam vir D. idem conjecerat apud Pearcium. Gottleber. laudat ad h. l. Platon. Republ. VI, p. 689, Fr. Cum Gern. facit Beierus.

31. *Nec principum*. Hac voce optimates intelligit. FACC.

32. *Quod regibus*. Hoc enim demum regium est, vivere ut velis. FACC.

33. *Sic vivere, ut velis*. Cf. Parad. V, 1, § (4) 34 pr. « Quid est enim libertas? potestas vivendi, ut velis »: ibique Wetzel. Fragm. Hortensii ed. Schütz. p. 104 extr. Augustin. Trin. lib. XIII, cap. 5: « Omnes aiunt esse beatos, qui vivant, ut ipsi velint ». Arrian. Diss. IV, 1: Ἐλεύθερός ἐστιν ὁ ζῶν, ὡς βούλεται, ὃν οὔτ' ἀναγκάσαι ἐστὶν οὔτε κωλύειν οὔτε βιάσασθαι. BEIER.

XXI. 1. *Potentiæ cupidorum*. Tam

pidorum cum iis, quos dixi, otiosis[2]: alteri se adi-
pisci id posse arbitrantur, si opes magnas habeant;
alteri, si contenti sint et suo, et parvo. In quo neu-
trorum omnino contemnenda est sententia: sed et
facilior, et tutior, et minus aliis gravis, aut[3] molesta
vita est otiosorum; fructuosior autem hominum ge-
neri, et ad claritatem, amplitudinemque aptior eo-
rum, qui se ad rempublicam, et ad res magnas[4] ge-
rendas accommodaverunt. Quapropter et iis forsitan 71
concedendum sit[5], rempublicam non capessentibus,
qui[6] excellenti ingenio, doctrinæ sese[7] dediderunt;
et iis, qui aut valitudinis imbecillitate, aut aliqua
graviore causa[8] impediti, a republica recesserunt,
quum ejus administrandæ potestatem aliis, laudem-
que concederent. Quibus autem talis nulla sit[9] causa;
si despicere se dicant ea, quæ plerique[10] mirentur,

potentiæ cupidi, quam quieti et otiosi, id propositum habent, ut vivant ad voluntatem, nemini obnoxii. FACC.

2. *Quos dixi, otiosis.* Alii, *otiosos*. *Otiosos* vocat eos qui a republica gerenda se abstinent, rebusque privatis administrandis vacant.

3. *Aut molesta.* Vocem *molesta* Reiskius, testante non assentiente Gottlebero, pro glossemate habet vocabuli *gravis*, aut scribendum esse conjicit *aut ipsis* (sc. otiosis) *molesta*. Priori rationi favet lectio codicis Goth. *haud molesta*, quod certe interpretamentum est verborum *minus gravis*. Sed *gravis* opponitur voci *tutior*, ut vitæ *faciliori* (ipsis) respondet vita aliis minus *molesta*. Ita nihil in his inest offensionis. GERN.

4. *Ad res magnas.* Sic vulg. Gu. post J. F. Heusing. dedit « ad magnas res » ex omnibus libris scriptis et impressis e Nonio ad v. *Accommodatum*. GERN.

5. *Iis forsitan concedendum sit.* Ex græcismo cum participio, ex quo supplenda ellipsis, « ut remp. non capessant ». BRIER. — *Concedendum sit.* Id est, assentiendum. Quid si legas *parcendum sit?* Proxime enim sequitur *concederent:* nec solet Cicero verborum inopia laborare. FACC.—At non idem utroque loco valet *concedere:* altero ignoscere, permittere altero: quo levior fit offensio, quamquam in promptu est *adhibere*, hoc ipso capite extr. bis scriptum. Alia exempla collegit J. M. Heusingerus ad h. l. GERN.

6. *Qui.* H. l. *qui* vim habet eamdem, atque *si ii*.

7. *Sese dediderunt.* Quidam codd. *dederunt*.

8. *Aliqua graviore causa.* Ut ipse Cicero extremis temporibus a republica recessit. M. HEUS.

9. *Nulla sit.* Grut. *est*.

10. *Quæ plerique mirentur.* Facc. dedit *admirentur*. Hic tamen conjun-

imperia et magistratus, iis non modo non laudi, verum etiam vitio dandum puto. Quorum judicium in eo, quod gloriam contemnant, et pro nihilo putent, difficile factu est non probare; sed videntur labores[11] et molestias, tum offensionum, tum repulsarum, quasi quamdam ignominiam timere, et infamiam. Sunt enim, qui in rebus contrariis[12] parum sibi constent; voluptatem severissime contemnant, in dolore sint molliores; gloriam negligant, frangantur infamia: atque ea quidem non satis constanter. Sed iis, qui
72 habent a natura adjumenta rerum gerendarum[13], abjecta omni cunctatione, adipiscendi magistratus[14], et gerenda respublica est. Nec enim aliter aut regi civitas[15], aut declarari animi magnitudo potest. Capessentibus autem rempublicam nihilo minus[16], quam

ctivus probabilior est, ut hæc verba sint se excusantium. Meliores codices sequuti Grævius, Ern. Heuss. recte dederunt *mirentur*. Gern. — Beier. *admirantur*.

11. *Labores*. Alii habent *tum labores*. Facc.

12. *Rebus contrariis*. Nam qui contemnunt voluptates, non deberent timere dolorem; nec illi, qui negligunt gloriam, infamia turbari deberent. Facc.—*In rebus contrariis*. Spectant hæc ad opposita, quæ deinceps comparantur: unde sequitur, « atque ea quidem non satis constanter ». Cf. § 68 pr. et de his vitiis omnino II, § 37 et 38: « qui dolorem, etc. timet, aut qui ea, quæ his sunt contraria, æquitati anteponit ». Nimium igitur quantum a vero aberravit Degenius, accipiens pro *rebus adversis*. Verius quidem explicaverat Facciolatus. Beier.

13. *Adjumenta rerum gerendarum*. Qui ab ipsa natura ad res gerendas instructi sunt corporis viribus, animique bonis necessariis. M. Haus.

14. *Adipiscendi magistratus*. *Adipiscitur*, qui petivit antea et ambiit: itaque consequens dicitur pro antecedente.

15. *Regi civitas*. Nec recte civitas regi potest, nisi ab eo, qui habeat a natura regendi adjumenta; nec ea qui habet, potest alia ratione declarare animi magnitudinem. Itaque in lib. III de Fin. cap. 20, scribit, « consentaneum esse naturæ, ut sapiens velit gerere et administrare rempublicam ». Facc.

16. *Nihilo minus*. In impr. vett. legitur « nihil minus », quod J. F. Heusinger. non aspernatur. At conjunctim ferri nequit *nihil minus* et *nihil magis*, ubi *quam* sequitur. *Nihil minus* est *nequaquam*, ut III, 20 extr. Pro *nihil plus*, recte restituit Gœrenz. ad Leg. I, 12, 34, *nihilo plus*. *Nihil plus* pro *nihil magis* ne latinum quidem est. Gern.

philosophis, haud scio an magis etiam, et magnificentia[17], et despicientia adhibenda sit[18] rerum humanarum, et ea, quam sæpe dico[19], tranquillitas animi atque securitas: si quidem nec anxii[20] futuri sunt, et
cum gravitate constantiaque victuri. Quæ eo[21] faciliora 73
sunt philosophis, quo minus multa patent[22] in eorum vita, quæ fortuna feriat, et quo minus multis rebus egent; et quia, si quid adversi eveniat, tam[23] graviter

17. ***Magnificentia.*** Hæc est, ipso interprete de Inv. II, 54, rerum magnarum et excelsarum, cum animi ampla quadam et splendida propositione, agitatio atque administratio.

18. ***Adhibenda sit.*** Tantum abest, ut magnanimitas et animi securitas sit otii propria, ut in reip. administratione potissimum locum habeat. Refellit eos, de quibus loquutus est supra in periodo, ***Multi autem***, etc. (§ 69.) Hæc Facc. qui dedit ***adhibenda est***. Indicativus post Lamb. Manut. F. Fabricium, placet etiam J. M. Heusingero, quum ***haud scio*** ad ***magis*** pertineat. Quamquam omnes libri tuentur conjunctivum, ut videri debeat verbi structura accommodata esse ad ***haud scio an***, quum initium periodi exspectare juberet ***adhibenda est***. Vid. c. 7, 22, « ut placet stoicis etc. » Gern. — ***Adhibenda est*** non carebat invidia. Ergo mitigavit scriptor, modestius usus conjunctivo. Beier.

19. ***Et ea, quam sæpe dico, tranq.*** Aliqui (quos inter Degen., et Schütz.) transponunt copulam ante ***tranquillitas***, ut ***quam sæpe dico*** ad ***despicientia*** pertineat, a quo male sejunctum videbitur, pluribus verbis interpositis. Pertinet autem ad tranquillitatem, quam bis dixit c. 20, § 69, additis verbis, ***quam dico***. Gern.—Cui Beierus assentitur.

20. ***Si quidem nec anxii.*** Quandoquidem hujusmodi homines anxietate carere debent, tum graves et constantes esse. Facc.

21. *Quæ eo faciliora.* Despicientia rerum, tranquillitas animi et constantia. Facc. — Hæc Facc. qui cum Beiero *eo* delevit, Schützius restituit. — *Quæ faciliora sunt.* Ante comparativum Schütz. retinuit *eo*, quod in Gu. 5 post rasuram scriptum, in 3 mutatum in *ea*, cum Gu. 1, 2, 4, λ, μ, edit. Gryph. et Bald. expunxerant F. Heus. et Gernh. laudato Ruhnkenio ad Rutil. Lup. I, 4, p. 17, et cl. V Fin. 13, 37, ubi Gœrenz. p. 577, dissimilia comparans, apertam ellipsin agnoscere noluit. Beier.

22. ***Multa patent.*** Gu. quint. omnesque imprr. vett. ***patent multa.*** J. F. Heus.

23. ***Tam g. cadere non p.*** Subauditur oppositio, « quam principes, quorum ex alto fastigio suo dejectorum sonitu fragor intonat ita, ut casum universa civitas sentiat ». Sic enim de obscuris hominibus loquitur Noster, Catil. II, 10, 21, « corruant, sed ita, ut non modo civitas, sed ne vicini quidem proximi sentiant », proverbialiter, ut cognoscitur e Platon. Alcib. I, c. 36, ἡμῶν δὲ γεννομένων, τὸ τοῦ κωμῳδοποιοῦ (Platonis Comici, teste Schol.), οὐδ' οἱ γείτονες σφόδρα τοι αἰσθάνονται. Cf. Lucian. in Charont. v. *Contemplant.* cap. 16 extr. (t. I, p. 512, 13,

cadere non possunt. Quocirca[24] non sine causa majores motus animorum concitantur, majoraque efficienda[25] rempublicam gerentibus, quam quietis; quo magis[26] his et magnitudo animi est adhibenda, et vacuitas ab angoribus. Ad rem gerendam[27] autem qui accedit, caveat, ne id modo consideret, quam illa res honesta sit, sed etiam, ut habeat[28] efficiendi faculta-

ed. Reiz.) οὗτος μὲν (a Parcarum tenui filo suspensus), ἀνασπασθεὶς ἄνω, μετέωρός ἐςι, καὶ μετὰ μικρὸν καταπεσὼν, ἀποῤῥαγέντος τοῦ λίνου, ἐπειδὰν μηκέτι ἀντέχῃ πρὸς τὸ βάρος, μέγαν τὸν ψόφον ἐργάσεται. Οὗτος δὲ, ὀλίγον ἀπὸ γῆς αἰωρούμενός, ἣν καὶ πέσῃ, ἀψοφητὶ κείσεται, μόγις καὶ τοῖς γείτοσιν ἐξακουσθέντος τοῦ πτώματος. Beier. —Sic Horatius dixit: «celsæ graviore casu decidunt turres».

24. *Quocirca*, etc. Rempubl. administrantes in majore quadam agitatione sunt; ideoque majore animo indigent, et majori quadam ab angoribus vacuitate, unde constantia est. Facc.

25. *Majoraque efficienda.* Gern. scribit *majorque cura efficiendi.* Ita, inquit, scribere jubet et totius loci ratio et auctoritas duorum Oxx. totidemque Guilielmi, unius Aldi et Fabric. «Majoraque efficiendi cura» Ven. quarta. Vocem *cura* omittunt fere omnes libri scripti et imprr. Heuss. et unus Balduini; retinent autem ejus indicem, gerundium. Heuss. «majoraque efficienda», cui lect. in Gu. 1 additur *eunt*, h. e. majoresque res gerendæ sunt. Immo hæc causa est, cur facilius perturbantur. Excusat autem hos majores animorum motus verbis «non sine causa», quod, si cadunt, gravius cadunt. *Efficere* simpliciter est res gerere, ut paullo post. Deinde plenius interpungendum ante *Quo magis*, etc. quibus verbis præcipitur, ut animi motibus opponant magnitudinem animi, et vacuitatem ab angoribus majori curæ efficiendi. Hottingerus in nota ad h. l. p. 132, conjicit «quo majora efficienda», at paullo ante *quo minus* bis occurrit. At propter illa ipsa quæ præcedunt, non opus est ut causa denuo commemoretur, cur majores motus illis concitantur, ne dicam aliquid exsistere offensionis ex duplici *quo majora* et *quo magis*, quum alterum faciat conclusionem pro «eo magis autem»; nihilque hanc correctionem juvari codicibus.—Nobis optima videtur lectio Vinar. novem. Ald. et Ven. duarum, omniumque imprr. vett. «majoraque efficiendi», ita ut *efficiendi* cum præcedente *motus* construatur, qua in structura multam esse elegantiam arbitramur.

26. *Quo magis*, pro «eo magis igitur». Recte enim hæc, quæ faciant conclusionem, pleniori interpunctione a præcedentibus distinxit Gernhard. Tum eleganter Heus. et Schütz. e Gu. 1—4, et Goth. «his et magnitudo est animi adhibenda». Beier.

27. *Ad rem gerendam.* Ne videatur omnes promiscue compellere ad rem gerendam, monet, suas cuique vires examinandas esse, et videndum, num habeat a natura rerum gerendarum adjumenta. Facc.

28. *Consideret... ut habeat.* Degen. qui *ut* hic accipit pro *quatenus*,

tem. In quo ipso considerandum est, ne aut temere desperet, propter ignaviam, aut nimis confidat, propter cupiditatem. In omnibus[29] autem negotiis, prius, quam aggrediare, adhibenda est præparatio diligens.

XXII. Sed quum plerique arbitrentur, res bellicas majores esse, quam urbanas; minuenda est hæc opinio. Multi enim[1] bella sæpe[2] quæsierunt propter gloriæ cupiditatem: atque id[3] in magnis animis, ingeniisque plerumque contingit, eoque magis, si sunt ad rem militarem apti, et cupidi[4] bellorum gerendorum. Verum autem si volumus judicare, multæ res ex- 74

quo modo, consideret, *ut* verius interpretari discat. Discet autem, si attendere voluerit ad ea, quæ statim post leguntur: *considerandum* (i. e. cavendum, providendum) *est*, *ne*... *desperet*. Beier.

29. *In omnibus*, etc. Nihil temere et sine præparatione suscipiendum, ut cum virtute fiat. Id autem monet, quia fere viri fortes, nisi admodum sapientes sint, impetu feruntur et celeritate ad agendum. Facc.—Hæc autem, quæ hic præcipiuntur, non tam ad viros fortes spectant, qui fere impetu feruntur et celeritate ad agendum, ut Facciolatus putat, quam ad homines leves, qui, ad rempublicam accedentes, id modo considerant, quam illa res honesta sit. Cf. Xenoph. Mem. III, 6, maxime § 16 sqq. Plato in Gorg. cap. 70 pr. et in Alcib. I, c. 30, graviter reprehendens τὸ ᾄττειν πρὸς τὰ πολιτικὰ, πρὶν παιδευθῆναι (q. i. e. ac c. 32, ἰδιωτικῶς ἔχοντα ἔρχεσθαι ἐπὶ τὰ τῆς πόλεως) et 34 præcipiens μανθάνειν, ὅσα μαθήσεως ἔχεται, ἀσκεῖν, ὅσα δεῖται ἀσκήσεως, καὶ πᾶσαν παρασκευὴν παρασκευασμένον, οὕτως ἰέναι ἐπὶ τὰ τῆς πόλεως. Idcirco c. 41 extr. monet Alcibiadem, ad rempublicam gerendam opus esse ἐπιμελείᾳ τε καὶ τέχνῃ: ὧν σὺ εἰ ἀπολειφθήσῃ, καὶ τοῦ ὀνομαστὸς γενέσθαι ἀπολειφθήσῃ. Cujus dialogi argumentum mutuatus est Persius Sat. IV.

XXII. 1. *Multi enim*, etc. Multi, quod putarent, res bellicas clariores esse, bella quæsierunt gloriæ causa: idcirco minuenda hæc opinio. Facc.

2. *Sæpe quæsierunt*. *Sæpe* omittitur in quibusdam codd. sed abesse debet suspicio. *Multi sæpe* est, multi alius alio tempore. Vide II, 6, 20, III, 10 pr. Tusc. I, 30, 74; Læl. 1, 2.

3. *Atque id in m.* Imprr. vett. transponunt *id* post *ingeniisque*.

4. *Apti*, *et cupidi*. J. F. Heusingerum pro *cupidi* conjicientem *callidi* fefellit Ruhnkenii auctoritas, qui in *cupidi* judicaverat latere vocabulum, quod peritos significet. At non necesse est, qui gloriæ cupidus est, ut idem sit cupidus belli. Mecum sentire video Erfurdtium. Gern.—Schützius reposuit *callidi*. In vulgata, inquit, hoc est ineptum, quod qui bella quærunt propter gloriæ cupiditatem, iidem dicuntur eo magis hoc facere, si sint *cupidi* bellorum. Gernhardo Beierus assentitur.

stiterunt urbanæ majores clarioresque, quam bellicæ.
75 Quamvis enim Themistocles[5] jure laudetur, et sit ejus nomen, quam Solonis, illustrius, citeturque Salamis[6] clarissimæ testis[7] victoriæ, quæ anteponatur consilio Solonis ei, quo primum constituit Areopagitas[8]: non minus præclarum hoc, quam illud, judicandum est. Illud enim semel profuit, hoc semper proderit civitati: hoc consilio[9] leges Atheniensium, hoc majorum instituta servantur[10]. Et Themistocles quidem nihil dixerit, in quo ipse Areopagum adjuverit; at ille vere, a se adjutum Themistoclem[11]. Est

5. *Themistocles.* Summus imperator Atheniensium cum summo legislatore Solone comparatur, illiusque victoriæ cum hujus consilio et providentia. Facc.

6. *Salamis.* Salamis insula, apud quam pugna illa navalis facta est, qua Xerxes magnam suarum navium partem amisit.

7. *Testis.* Hæc vox, quam Heusingerus ait in Nonio sub voc. *citare* omitti, legitur certe in ed. Plantin. 1565. Gern.

8. *Quo primum constituit Areop.* Qualecumque Areopagi judicium ante Solonem fuerit (multa enim, quæ de superiore ejus ætate narrantur, debentur fabulis) illud certum est, exigua fuisse ante Solonem Areopagi initia; Solonis autem instituto florere et latius patere cœpisse ejus auctoritatem. Vid. Perizon. ad Ælian. V. H. V, 15. Gern.—*Areopagitas.* De sanctissimo hoc Atheniensium consilio, cujus nocturni conventus sub dio in Areopago, i. e. clivo Martis haud procul ab Athenarum arce habebantur, vid. Att. I, 14, 6 pr. Isocrat. in Areop. p. 192 ed. H. Wolf. Οἱ πρόγονοι ἡμῶν... τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν ἐπέστησαν ἐπιμελεῖσθαι τῆς εὐκοσμίας. Suid. s. v. Ἄρειος πάγος. Ἐδίκαζε δὲ καὶ τὰ φονικὰ καὶ τὰ ἄλλα πολιτικὰ διῴκει σεμνῶς. Beier.

9. *Hoc consilio.* Rationem reddit, cur Areopagus semper prosit. Facc. —*Hoc consilio*, i. e. prudenti invento et instituto Solonis. Perperam Degen. intelligit *conventum* Areopagitarum. At vero tum abesse non posset præpositio. Ciceronis adhuc ætate Athenienses Solonis legibus usos esse, docet l. Rosc. Am. 25, 70; Plutarch. Cic. 24. In seqq. cavillatur Cic. sophismate: « Et Themistocles quidem nihil dixerit, etc. » Itane vero? Nonne etiam ipse Areopagus latebat in præsidio et tutela rei militaris? Quid enim futurum fuisset, si Xerxes servitute oppressisset Athenas? Quamquam, quæ Lysias in Agorat. p. 133, 3, in judicio e xxx tyrannis eorumque assessoribus conflato nefaria facta esse taxat, ea perquam confuse Pfeiffer, Antiquitt. Græc. lib. I, c. 30 extr. in Areopagitas transfert. Beier.

10. *Servantur.* Nondum enim Ciceronis tempore priscæ illæ Solonis leges mutatæ aut abrogatæ erant. Cf. pro Rosc. Amer. cap. 25. M. Heus.

11. *At ille vere, a se adjutum Themistoclem.* Gern. scribit « at ille reapse adjuvit Themistoclem », qui no-

enim bellum gestum consilio senatus ejus[12], qui a
Solone erat constitutus. Licet eadem de Pausania Ly- 76
sandroque[13] dicere : quorum rebus gestis quamquam imperium Lacedæmoniis dilatatum putatur[14]; tamen ne minima quidem ex parte Lycurgi legibus et disciplinæ conferendi[15] sunt. Quin etiam ob has ipsas

tat : Lib. novem Manutii totidem præbent lectiones magis minusve similes illis duabus. Quarum ex altera, non intelligitur, quomodo nasci potuerit altera, quamquam prior illa et simplicior est, et cum quadam locutionis variatione oppositis verbis aptior, quod de Solone (is enim est *ille*, non Areopagus, ut male judicat Pearcius) Cicero debebat prædicare, non de se Solon ipse. Hunc enim Cicero præfert Themistocli. Ita quidem censeo alteram lectionem priore parte, posteriore alteram esse corruptam, causamque incredibilis hujus varietatis esse in verbis *vere ab se.* Cicero (hoc exploratum mihi est) scripsit « at ille reapse adjuvit Themistoclem ». *Reapse*, h. e. reipsa, revera, usitatum est Ciceroni Leg. III, 8, 18; Fin. V, 10, 27; Divin. I, 37, 81. Hujus ablativi frequens interpretamentum *vere* quum irrepsisset, quo hic locus superiori adæquaretur, alii intellexerunt, alii scripserunt *dixerit*, ut Gu. 1, aut *dicit*, ut unus Manutii, aut « dicere potuit » multaque alia ejus generis, quæ suppeditat V. L. Manutii. Deinceps *apse* (hoc autem videbatur esse *ab se*) jubebat verbum *adjuvit* mutare in *adjutum.* — Beierus Gernhardum sequitur : at tamen ex variis libb. vestigiis qui habent « at ille verum esse adj. Them. » vel « verum est esse adj. Them. » alii « ab illo verum est esse adj. » conjicit « at illo verum est esse adj. Them. » Male nostram lect. impugnat Gern. quum dicit non conveniens esse Solonem de se ipso prædicare. Sed v. *dixerit*, quod post *vere* subauditur, conjunctivo modo positum valet, ut supra, « dicere posset », in quo nihil est jactationis, quod offendere debeat.

12. *Senatus ejus.* Id est, Areopagi, quem constitutum a Solone dicit; quia antequam legislator hic novam reip. formam induceret, forum potius erat, quam senatus. Facc.

13. *Pausania Lysandroque.* Pausanias, dux Spartanorum apud Platæam, Mardonium cum ducentis millibus Persarum profligavit. Lysander Atheniensium classem cremavit, Athenas cepit, earumque muros diruit.—Comparat imperatores illos, qui Lacedæmoniis bellando profuerunt, cum Lycurgo, qui suis legibus ac disciplina fecit, ut prodesse possent. Facc.

14. *Imperium Lacedæmoniis dilatatum putatur.* Gern. transp. « putatur dilatatum », scribitque *Lacedæmoniis.* J. F. Heusingerus exclusit participium *dilatatum*, quod in nonnullis libris Langii, Guilielmi Gruterique omittitur, in impr. incerto in *dilatum* contrahitur : quod favet Gronovio patri conjicienti *delatum.*—Beier. Gernhardum sequitur. Schützio non displicet Gronov. conj. *dilatum.*

15. *Conferendi sunt.* Pearcius conjiciebat *conferendæ sunt* (res gestæ), quod merito ceteri repudiaverunt. Vid. J. F. Heusing. qui plura disserit, ap-

causas et parentiores[16] habuerunt exercitus, et fortiores. Mihi quidem neque pueris nobis[17], M. Scaurus C. Mario, neque, quum versaremur in republica, Q. Catulus[18] Cn. Pompeio cedere videbatur. Parvi[19] enim sunt foris arma, nisi est consilium domi. Nec plus Africanus, singularis et vir, et imperator, in excidunda[20] Numantia reipublicæ profuit, quam eodem tempore P. Nasica[21] privatus, quum Tib. Gracchum interemit: quamquam hæc quidem res non solum ex domestica est ratione; attingit etiam bellicam, quoniam vi, manuque confecta est: sed tamen id ipsum
77 gestum est consilio urbano, sine exercitu. Illud au-

probante Beiero, qui apte laudat apud Horat. *ætas parentum pejor avis*, pro *ætate avorum*.

16. *Parentiores*. Facc. *paratiores*. Idem retinuit Aldus cum Goth. Nostram lectionem reliqui libri omnes defendunt. Anemœcius in dial. castig. ad h. l. nos, inquit, *parentiores* habemus, id est, magis obedientes, propter pœnam videlicet legum. Leges enim exercitum non paratiorem, hoc est, instructiorem, sed parentiorem reddunt. Gern.

17. *Pueris nobis*. Sic Orat. III, 56, «me puero». Cicero natus erat ann. Urb. 647. M. autem Æmilius Scaurus cos. ann. Urb. 638 et 645, quum priori anno censura se abdicasset, princeps senatus, fuit singulari severitate (§ 108), ejusque «nutu prope terrarum orbis regebatur», ut dicitur pro Font. c. 7. Beier.

18. *M. Scaurus C. Mario, neque, quum versaremur ..... Q. Catulus*. Scaurus et Catulus clariores fuere in pace; Marius et Pompeius in bello. Facc. — Scaurus princeps senatus dictus est. De eo vid. Sall. Jug. c. 15, 4, et passim Cic. pro Mur. c. 7; Brut. c. 29 et 30. Q. Catuli quanta auctoritas fuerit cognoscas ex orat. pro lege Manilia, c. 20. Vid. in Pison. cap. 3. M. Heus.

19. *Parvi*. Plurimi libri *parva*.—In his vv. *parvi... domi*, quæ sic edidit: «Parvi enim foris sunt arma, nisi sit consilium domi», dicit Beierus se primum agnovisse et restituisse senarium: a vulg. ordine «Parvi enim sunt foris arma» dicit latinitatem abhorrere: «nisi sit» e Gu. 3, Exc. Bedæ et Eybi recepit. Schütz. transp. «parvi sunt enim».

20. *In excidunda*. Sic Ern. Gron. Gern. scribit *exscindenda*, notatque: *excindenda* Facc. cum plerisque Heusingg. libris. Unus Gu. 2 et λ servarunt veram lectionem Grævio aliisque probatam atque a J. F. Heusingero bene defensam, ab Oliv. et Schütz. receptam. — Beier. restituit *excidenda*.

21. *Quam eodem temp. P. Nasica privatus*, etc. Tib. Gracchum leges ferentem reip. perniciosas Nasica privatus in Capitolium persequutus est et oppressit. Aurelius Victor de Viris illustr. cap. 64. Facc.

tem optimum est, in quod invadi[22] solere ab improbis et invidis [23] audio:

Cedant arma togæ, concedat laurea laudi [24].

Ut enim alios omittam, nobis rempublicam gubernantibus, nonne togæ arma cessere? Neque enim in republica periculum [25] fuit gravius umquam, nec majus otium [26]. Ita consiliis, diligentiaque nostra celeriter de manibus audacissimorum civium delapsa [27] arma

22. *In quod invadi.* Al. «in quo me invadi.» Facc.—*In quod* et deinde «ab improbis et invidis» optt. libri servant. Gern.

23 *Ab improbis et invidis.* Alii transponunt «ab invidis et improbis», ut Olivet. Gern. — In his erant M. Antonius, Philipp. II, 8, et Piso, ut est in Pison. c. 29 et 30. M. Heus. — Quintil. XI, 1, excusat Tullium, rerum a se gestarum jactatorem, quippe respondentem invidiæ: ut illorum, quæ egerat in consulatu, frequens commemoratio possit videri gloriæ non magis, quam defensioni, data. Cf. Middleton in *History of the life of M. T. Cicero:* Sect. 12, sub fin. Beier.

24. *Laurea laudi.* Sic unus ex Ox. et Gu. sec. probantibus Gronov. Græv. Ursin. Voss. et Ern. quem vide in adnot. ad orat. in Pison. cap. 30. Sic et Schützius. *Laurea*, inquit M. Heus. minus recte opponitur *linguæ*, quam *laudi*, id est, honorifico senatus populique rom. judicio. Gern. scripsit *linguæ*, et citat quoque orat. in Pison. ubi hic versus sive ab ipso Cicer. sive a correct. quum reliquæ orationi, tum verbis «minimæ laudi lauream concessisse» accommodatus est. *Linguæ* est ad poetæ sermonem aptius. Gern.— Schütz. recepit lectionem *laudi*, Ursino, Vossio, Jac. Gronovio, Grævio, Mich. Heusingero, Ernestio probatam et tum in archetypis, teste Turnebo, Adv. XXVIII, 39, tum in MS Balduini, uno Oxon. Gu. 2 repertam. Eamdemque Gu. 1 servat, sed adjuncta altera illa rell. librorum, etiam cod. qui Curiæ Variscorum servatur, et ed. Venet. 1502, lectione, *linguæ*, cui favent tum ii, qui hunc versum citant, Quintil. XI, 1, et Pseudo-Sallust. declam. in M. T. Cic. sub fin. tum allusiones ipsius Ciceronis, Epist. XV, 6; ad Caton. § 3, et Plinii H. N. VII, cap. 30, § 31. Beier.

25. *In rep. periculum.* Gern. videtur transponere voluisse «periculum in rep.» nam hunc ordinem notæ præponit, quæ hæc est: Ordinem Heusingerus restituit ex Gu. omnibus; Græv. Oliv. Facciol. Ernest. «in rep. periculum fuit»; Ascens. «in republ. pericul. umquam fuit». Heusingerum Beierus quoque sequitur. — *Periculum fuit gravius.* Ex Catilinæ conjuratione; quam Cicero exstinxit sine ulla dimicatione et in magno civitatis otio. Facc.

26. *Otium.* Edd. quædam *odium*, quod foret odium conjuratorum in rempublicam. Sed *otium* notat sine ullo civitatis tumultu exstinctam esse conjurationem.

27. *Delapsa arma ipsa.* Pronomen *ipsa*, i. e. ut Ernest. vult in clavi Cic. et Gottleber. «sponte, sine vi exter-

ipsa ceciderunt. Quæ res igitur gesta[28] umquam in
78 bello tanta? qui[29] triumphus conferendus? Licet enim mihi[30], Marce fili, apud te gloriari, ad quem et hereditas hujus gloriæ, et factorum imitatio pertinet. Mihi quidem certe vir abundans bellicis laudibus, Cn. Pompeius, multis audientibus, hoc tribuit, ut diceret, frustra se triumphum tertium[31] deportaturum fuisse, nisi meo in rempublicam beneficio, ubi triumpharet, esset habiturus. Sunt ergo[32] domesticæ fortitudines[33] non inferiores militaribus : in quibus plus etiam, quam in his, operæ studiique ponendum est.

79 XXIII. Omnino[1] illud honestum, quod ex animo

na », minus convenit ad ablativos « consiliis diligentiaque nostra ». Deleri vult *ipsa* Gronovius pater. Non male filius conjicit *impia*, cui favet totius hujus loci ratio, ad poeticam vim adspirans : quod non mirabitur qui noverit Ciceronem de consulatu suo gloriantem. Vide III, 1, 1 : « a republica ... armis impiis vique prohibiti, otium persequimur ». Gern. — Gernhardo Ernestii interpretatio minus convenire videtur ad ablativos « consiliis diligentiaque nostra ». Quidni? Nonne consiliis diligentiæque huic debebatur, ut « plebis, conjuratione patefacta, quæ primo, cupida rerum novarum, nimis bello favebat, mutaretur mens », et ut desertis Catilinæ castris, « plerique, quos ad bellum spes rapinarum aut novarum rerum studium illexerat, dilaberentur »? Vid. Sallust. cap. 48 pr. et 57 pr. Fortassis tamen e III 24, 84, alia verbis « arma ipsa » accommodari poterit interpretatio, nimirum, « quibus adeo tentata res est, ne solveretur ». Beier.

28. *Gesta* a quibusdam libb. abest.

29. *Qui triumphus*. Nonnulli libb. « quis triumphus ».

30. *Licet enim mihi*. Ita Grævius in suppl. editionis min. 1691 correxit, postquam Gruterum sequutus pronomen omiserat, quod legitur in omnibus libris, præter Ald. edit. Gern.

31. *Triumphum tertium*. Facciolatus cum imprr. vett. Vin. Rom. Ven. Argent. « tertium triumphum ». Nos cum Ascens. Bald. Græv. Heusingeris ex optimis libris transposuimus « triumphum tertium ». Idem narrat Phil. II, 5, 12. Beier. restituit « tertium triumphum ». Gern. — *Triumphum tertium*, de Mithridate et de Tigrane victis, ut est apud Florum, III, c. 5. Facc.

32. *Sunt ergo*. Gern. « sunt igitur ». Ita, inquit, J. F. Heusingerus dedit ex MSS Gu. omnibus et ed. Gryph. Item Ascens. Bald. et H. Wolf.

33. *Fortitudines*. Rarior pluralis, qualis est *quietes* cap. 29; « tarditates et celeritates », cap. 36. M. Heus.

XXIII. 1. *Omnino illud honestum*. Honestum, de quo hic agitur, pendet ab animo, non a corpore; tamen corpus ita debet esse affectum, ut ubi opus sit, animo pareat, viresque suas explicet. Hæc Facc. qui scribit « omni-

excelso magnificoque quærimus, animi efficitur, non corporis viribus. Exercendum tamen corpus, et ita afficiendum[2] est, ut obedire consilio rationique possit in exsequendis negotiis, et in labore tolerando. Honestum autem[3] id, quod exquirimus, totum est positum in animi cura et cogitatione: in quo[4] non minorem utilitatem afferunt, qui togati reipublicæ præsunt, quam qui bellum gerunt. Itaque eorum consilio sæpe aut non suscepta, aut confecta bella sunt; nonnumquam etiam[5] illata: ut M. Catonis bellum[6] tertium

no enim illud h.» Partic. *enim* excluditur in omnibus Gu. λ, μ, ψ, ed. P. Bald. Lamb. Græv. Oliv. Ern. Heus.

2. *Afficiendum*. Victorius *efficiendum* cum Gu. sec. et quart. Reiz. conj. *assuefaciendum*, quod placet Beiero.

3. *Honestum autem*, etc. Totum hoc (usque ad *cogitatione*) alia expressum forma monitum erat in margine. Facc.—Hunc locum si deleveris: sequentia *in quo*, etc. ad corpus ejusque exercitationem pertinent, quod ferri nequit. Recte igitur monet J. F. Heusinger. verbis *Exercendum*...*tolerando* interpositis, recurrere orationem ad superiorem sententiam. In quo solet adhiberi *autem*, ut aliis locis particulæ «sed, igitur» et al. vid. cap. 2, 6, et c. 43, 163, «Illa autem sapientia». Vid. J. F. Gronov. ad Senec. de Ira, I, 3. Gern. — Importune docent h. l. intpp. *autem* inservire sententiæ post parenthesin revocandæ. Etenim in omnibus illis, quæ comparantur, exemplis membrum illud, in quo ponitur *autem*, est adversativum, quod respondeat præcedentibus, ut § 153, ubi *sapientia* opponitur *prudentiæ*. Quod autem hic oppositio illa est quasi παρεμβολή, aut quod alibi alias ob causas *autem* parenthesin excipit, hoc quid ad rem? Nonne præcipitati judicii est, idcirco dicere, orationem, parenthesi interruptam, contexi particula *autem*? Quid huc faciat auctoritas Gronovii ad Senecæ de Ira l. I, cap. 3, ad quam cum Heusingero provocat Gernhard. aliis dijudicandum relinquimus, quum illa editio nunc quidem non ad manum sit. Beier.

4. *In quo*. Sc. ut nobis videtur, in quo honesto exercendo, vel: et in iis rebus quæ ex honestate manant.

5. *Nonnumquam etiam*. Imprr. vett. *nonnumquam autem*. Pearcius ex suis libris laudat «nonnumquam etiam», quod in Gu. repertum respuit J.F. Heus.

6. *Bellum tertium*. Beier. transp. «bellum punicum tertium» ex Gu. — De quo Florus, lib. II, cap. 15. Susceptum dicitur auctoritate Catonis, quia, quum viveret, delendam esse Carthaginem, etiam quum de alio consuleretur, pronuntiabat. Porro post vocem *Catonis* quidam codices addunt *consilio*. Facc.—Vid. Plutarch. in Cat. Maj. c. 26 sq. Appian. Libyc. p. 62; Flor. II, 15, 4; Plin. XV, 18, XXIX, 1, sect. 8 pr. Valer. Max. VIII, 15, 2; Aurel. Victor. de Vir. illustr. et Cic. Cat. Maj. 6, § 8 (al. 18). Beier.

punicum; in quo etiam mortui valuit[7] auctoritas.
80 Quare expetenda quidem magis est decernendi ratio, quam decertandi fortitudo[8]: sed cavendum[9], ne id bellandi magis fuga, quam utilitatis ratione faciamus. Bellum autem ita suscipiatur, ut nihil aliud, nisi pax quæsita videatur. Fortis vero[10] et constantis est, non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur; sed præsentis animi uti[11] con-
81 silio, nec a ratione discedere. Quamquam hoc animi, illud etiam ingenii[12] magni est, præcipere cogitatione

7. *Mortui valuit auctoritas.* Mortuus est Cato ante triennium, quam Carthago deleretur, L. Censorino et M. Manlio coss. ut est apud Paterculum, I, cap. 13. Facc.

8. *Decertandi fortitudo.* Omittitur ab aliis *fortitudo*. Ait Cicero, expetendam potius esse eorum laudem, qui ratione decernunt, quam qui manu certant: quia melius est consilio, quam armis uti. Facc. — Lepidam hanc oppositionem tollunt C. Lang. Lamb. Fabr. invitis libris omnibus, etiam suis, et Nonio sub voc. *Decernere*. Gern.

9. *Sed cavendum*, etc. Si utilitas reipubl. poscat, non est bellum refugiendum, sed ita suscipiendum, ut pacis causa fieri appareat. Facc.—*Id* valet, quum decernendi rationem, decertandi fortitudini præponimus, ne id faciamus, etc.

10. *Fortis vero.* Alii « fortis vero animi ». Si susceptum bellum sit, fortiter ferendum, quidquid evenerit. Facc. — Lambini voc. *animi* delentis conjecturam, Grævio probatam, confirmat Gu. 1. Convincitur genitivus a seq. ablativo. Gern. — *Fortis vero et constantis*. Degen. supplet: « animi proprium vel est, vel esse debet ». Et *animi* quidem ab ineptis glossatoribus adjectum est in plerisque libris; sed ferri non potest propter seqq. « præsenti animo uti et consilio ». Corradus in Quæst. p. 352, e suis MSS affert: « et præsenti, etc. » quam lectionem non recte indicavit Gernhard. Sic *et* foret explicativa, ut § 81 pr. hic tamen incommode. Beier.

11. *Sed præsentis animi uti consilio.* Facciolatus cum Oliv. Heusingger. et Schützio scribit « præsenti animo uti et consilio », notatque: In vetustissima editione leg. « præstantis animi uti consilio ».—In λ reperitur *præstanti*, quod magis confirmat nostram lectionem, tum Vincent. Bellovac. « præsenti an. et cons. suo uti ». Cum reliquis Ernest. « præsentis animi uti consilio », ut excipiam Jo. Rivium, cujus lectio « præsentis an. niti consilio » arrisit Lambino et Fabric. Gern.

12. *Illud etiam ingenii.* Ubi bellorum pericula ingruant, fortis et constantis animi est non nimis turbari: sed et animi est, et ingenii magni præcavere, ne ingruant, eaque expedire, quibus ingruentia propulsentur. Facc. —M. Heusing. observat: *hoc* refer ad superiora *non perturbari* et reliqua, *illud* ad ea quæ sequuntur, « præcipere cogitatione futura ».

futura, et aliquanto ante constituere, quid accidere possit in utramque partem, et, quid agendum sit, quum quid evenerit; nec committere[13], ut aliquando dicendum sit, «Non putaram[14]». Hæc sunt opera magni animi, et excelsi, et prudentia, consilioque fidentis. Temere autem in acie versari[15], et manu cum hoste confligere, immane quiddam, et belluarum simile est. Sed quum tempus necessitasque postulat, decertandum manu est, et mors servituti turpitudinique anteponenda.

XXIV. De evertendis autem diripiendisque urbi- 82
bus, valde[1] considerandum est, ne quid temere[2], ne quid crudeliter[3]. Idque est viri magni, rebus[4] agi-

13. *Nec committere.* Inepte edd. vett. et quidam codd. addunt *aliquid.*

14. *Non putaram.* Monitum hoc ipsum Valerius Max. lib. VII, cap. 2, tribuit Scipioni Africano; Seneca, de Ira, lib. II, cap. 31, Fabio tribuit. Facc. — *Quum quid evenerit.* Euphemismus de calamitate, ut εἴ τι γένοιτο et ἄν τι γένηται: de quibus vid. Schæfer. virum summum, ad Gregor. Corinth. p. 565. Turpissimam imperatori excusationem esse: *Non putaram*, dixit Fabius, teste Seneca, de Ira, lib. II, cap. 31. Sed Valer. Max. VII, 2, 2, nominat Scipionem Africanum. Beier.

15. *Temere autem in acie versari.* Sine ratione belli pericula suscipere, et impetu in aciem prodire, belluinum est; cum ratione, laudabile, etiamsi moriendum sit. Facc.

XXIV. 1. *Valde considerandum.* Goth. Vin. duo Oxx. Rom. et cum ceteris vulgg. Facc. «valde illud considerandum».

2. *Ne quid temere.* Facciolatus et M. Hensing. quem sequitur Degen. argutari videntur, duo distinguentes, quæ hic cavenda esse dicantur: «primum, *ne temere*, id est, ubi non necesse est, urbes evertantur; alterum, ne in iis evertendis, quæ ita meritæ sunt, aliquid fiat *crudelius*». Quasi vero in eversione ipsa eaque temeraria nulla insit crudelitas! Equidem non nisi efficaciæ causa anaphoram adhibitam puto. In ejusmodi autem admonitionibus regnat ἀποσιώπησις, ut in Terent. Andr. I, 1, 34, «ut ne quid nimis!» et in Sophocl. El. 369, μηδὲν πρὸς ὀργήν. Conf. ad § 33 extr. Beier.

3. *Crudeliter.* Al. addunt *fiat*: scilicet de suo. Facc. — Cod. μ addit *agatur.* Vid. cap. 11 pr. «ne quid tale posthac». Gern.

4. *Rebus agitatis.* Turbatis et jactatis rebus, ita præliari, ut sontes puniantur, sed multitudo conservetur. Id autem monet, quia in urbium direptionibus insons multitudo fere perire solet. Facc. — Cui Beier. assentitur. Contra Langius: Vult Cicero, virum magnum non temere ad puniendum ruere, sed expensa demum et animo diligenter volutata causa. Nam

tatis, punire sontes, multitudinem conservare[5], in omni fortuna, recta atque honesta retinere. Ut enim sunt, quemadmodum supra dixi, qui urbanis rebus bellicas anteponant[6]: sic reperies[7] multos, quibus periculosa et calida consilia[8], quietis et cogitatis[9] et
83 splendidiora, et majora videantur. Numquam omnino periculi fuga committendum est, ut imbelles timidique videamur; sed fugiendum etiam illud, ne offeramus nos periculis sine causa: quo nihil potest[10] esse

hoc est agitare: a quo cogitare, quasi coagitare, ut a coago, cogo. Sallust. in Jugurth. « Quæ quum præcepta parentis mei agitarem ». Et paullo post: « Nam callidus id modo festinabat, Bocchi pacem imminuere, ac mox agitando aliud quam bellum mallet ». Sic Cic. de Finib. cap. 2, et alibi. — Et Langio assentiuntur F. Maturantius, H. Wolf. J. M. Heusing. et Hotting. Verum *agitare*, nisi aliquid additum sit, ut pro Cluent. cap. 32, 88, per se non est judicare, sed multum diuque tractare. Deinde, qui sontes punit, id facere non potest, nisi cujusque causa cognita. Rebus autem perturbatis, si quidem urbs vi capta est, æquum esse et justum, illud demum viri magni est. Idque declarant etiam sequentia « in omni fortuna ». Equidem facilius hæc duo excludi patiar, ut absunt a MS Gu. 1, quam *agitatis* accipiam pro *cognitis*, quamque concedam Ciceronem ambigua otiosaque verba dedisse, ubi cetera sunt cum brevitate perspicua. Gern.

5. *Mult. conservare.* Quæ non peccavit, aut non fuit auctor peccati.

6. *Anteponant.* Gern. *anteponunt.* Indicativus, inquit, placuit Anemœcio, Facc. Gryph. Ald. et J. F. Heusingero e suis libris, præter Gu. 2 et 5, omnibus. Neque aliter ego sentio, propter verba interposita « quemadmodum supra dixi », c. 22 pr. « Multi enim sæpe bella quæsierunt ». Vide de hac locutione quæ annotavi ad cap. 2, 5. Reliqui tacito retinuerunt conjunctivum. Indicativus convenit etiam alteri membro, quum ita confirmetur comparationis vis. — Schützius Gern. sequitur.

7. *Reperies.* Alii, *reperias.*

8. *Calida consilia.* Ardore nimio suscepta et ad bellum potius, quam ad quietem spectantia. Facc. — Hanc lectionem tuentur ex Heusingerianis Gu. 1, 5, Magont. cum Nonio l. l. Quod in reliquis est *callida*, jamdudum explosum est. Terent. Eunuch. II, 3, 88, « vide, ne nimium calidum hoc sit modo ». Donatus *calidum* interpretatur periculosum, ad similitudinem græc. θερμὸν, de quo vide Erfurdtium ad Sophocl. Trachin. 1048. Gern. — Schütz. *calida.*

9. *Et cogitatis.* Facciolat. Gottleb. cum Reiskio prætulerunt vulg. *cogitationibus*, quod *consiliis* responderet. Potius illud est, ut adjectivis duobus duo sint opposita, æque convenientia uni substantivo *consilia.* Gern.

10. *Potest esse.* J. F. Heusingerus, « quo esse nihil potest st. » cum Gu. pr. et sec. quod nobis pessimum videtur.

stultius. Quapropter in adeundis periculis consuetudo imitanda medicorum est, qui leviter ægrotantes leniter[11] curant, gravioribus autem morbis periculosas curationes et ancipites[12] adhibere coguntur. Quare in tranquillo tempestatem adversam optare, dementis est; subvenire autem tempestati quavis ratione, sapientis: eoque magis, si plus adipiscare, re explicata, boni, quam addubitata[13] mali. Periculosæ autem rerum actiones partim iis sunt, qui eas suscipiunt, partim reipublicæ. Itemque alii de vita, alii de gloria, et benivolentia civium in discrimen vocantur. Promptiores igitur debemus esse ad nostra pericula, quam ad communia, dimicareque paratius[14] de honore et gloria, quam de ceteris commodis.

11. *Leniter*. Al. *leviter*. Gottleber. *leviter* interpretatur « facili medicamine » : immo hoc est *leniter*. Gern.

12. *Ancipites*, quarum exitus est anceps, dubius.

13. *Explicata* ..... *addubitata*. Si, quum quavis ratione rem expedieris, plus boni adipiscaris, quam sit malum illud, quod oriri potest ex re in dubium discrimen adducta. Facc. — Eadem est Manutii et J. F. Heusing. interpretatio. Ernest. esse putat, re in periculum cladis adducta, aut si male evenerit. Schol. Gu. vocem *addubitata* explicat derelicta propter dubitationem. Item Grævius et Pearcius. Equidem intelligo eam rem, quæ, discrimine suo, quum mature facto opus sit, dubitationem affert iis, qui agere debeant, tum, trepidationem et desperationem. Gern. — Non videmus quem sensum faciat Gernhardi interpretatio. Nos cum Facc. sentimus, videmusque Sch. recenter his in partibus stetisse. — Unus verum pervidit Garv. qui sensum expressit fere hunc : « si adipiscare, re bene gesta, tantum boni, ut eo præponderetur illud malum, quocum conflictandum est, re adhuc dubia necdum explicata, ancipite adhuc rei discrimine. Beier.

14. *Paratius*. Alii, *parcius*, « Verum est *paratius*, quod probat etiam vir D. in Bibl. Turic. II, p. 151 seq. Mox enim et reprehenduntur, qui nimium famæ largientes magno rempubl. incommodo afficere non dubitant, et contrariam ob causam laudatur Fabius Cunctator, qui « non ponebat rumores ante salutem ». Erfurdt. — Vel ex Erfurdtii nota non plane videtur quomodo hæc sententia cum sequentibus cohæreat. Nos hunc totius loci tenorem esse putamus. In iis ancipitibus et periculosis consiliis capiendis, multa consideranda sunt, primo periculum quod impendet utrum reipublicæ an privato sibi impendeat; secundo, an vitæ, an gloriæ, an benivolentiæ civium discrimen nobis sit subeundum: atqui statuemus primum nos promptiores esse debere ad ea pericula quæ

84 Inventi autem multi sunt, qui non modo pecuniam, sed vitam etiam profundere pro patria parati essent; iidem gloriæ jacturam ne minimam quidem facere vellent, ne republica quidem postulante[15]: ut Callicratidas[16], qui quum Lacedæmoniorum dux fuisset[17] Peloponnesiaco bello, multaque fecisset egregie, vertit ad extremum omnia[18], quum consilio non paruit eorum, qui classem ab Arginusis[19] removendam, nec cum Atheniensibus dimicandum putabant. Quibus ille respondit, Lacedæmonios, classe illa amissa, aliam parare posse, se fugere[20] sine suo dedecore non posse.

nobis privatis impendent, quam ad ea quæ toti reipublicæ: statuemus deinde ea pericula quæ ad vitæ commoda tuenda subire nollemus, pro gloria et honore sine dubio esse subeunda, quia majus est gloriæ pretium quam ipsius vitæ: sed ipsi gloriæ non hoc concedere debemus, in quo multi sæpe deliquerunt, ut salutem patriæ gloriæ nostræ privatæ postponamus.

15. *Ne republica quid. postulante.* Intell. vel quum hoc reipublicæ salus postularet.

16. *Callicratidas.* Per primam voc. in ultima syllaba scriptum est etiam in MS P. Balduini, ut in rell. melior libr. Vulgo *Callicratides.* Gern.

17. *Dux fuisset.* Sic vulgo. Restitui e MSS Gu. 3, 5 et ψ, *dux esset.* Erat enim dux eo ipso tempore, quum vinceretur, Olymp. 93, 3, eodemque bello Peloponnesiaco, quo adversus Athenienses bene res gesserat ad Mitylenem. Corruptionis causa est in *fecisset.* De Callicratida non plane consentit cum Xenoph. Hist. Græc. I, 6, 32, ad q. l. vide Schneiderum; Plutarch. Apophthegm. Lacon. p. 222; Fr. Diodor. Sic. lib. XIII, cap. 98. Hi enim narrant, non plures, sed unum Hermonem gubernatorem navis prælium dissuasisse, quod triremes Atheniensium multo plures essent. Atque quæ respondit Callicrat. non verbis solum, sed etiam sensu differunt apud Xenoph. ὅτι ἡ Σπάρτη οὐδὲν μὴ κάκιον οἰκιεῖται, αὐτοῦ ἀποθανόντος· φεύγειν δὲ αἰσχρὸν εἶναι. Cum Plutarch. Pelop. cap. 2, et Apophth. Lacon. οὐ παρ' ἕνα τὰν Σπάρταν· ἀποθανόντος γάρ μου, οὐδὲν ἡ πατρὶς ἐλαττωθήσεται, consentit Diod. Sic. l. l. Gern.

18. *Vertit ad extremum omnia.* Effecit ut illius belli fortuna a Lacedæmoniis ad Athenienses converteretur. M. Heus.

19. *Arginusis.* Sic scripsi cum impress. Arg. Ascens., Bald. H. Wolf. Schneid. l. l. aliisque. Græce Ἀργινοῦσαι. Vulgo *Arginussis*, frustra defensum ab J. M. Heusingero. In Vin. et Ven. 1, *Argivis.* Gern. — Verecundatur Beier. aliquid hac de re definire, quia græcum Ἀργινοῦσαι ortum est contractione ex Ἀργινόεσσαι. Schütz. cum Gernhardo facit.

20. *Se fugere sine suo dedecore,* etc. Putabat se classem removere non posse sine suo dedecore, quod fugere videretur. Facc.

Atque hæc quidem Lacedæmoniis plaga[21] mediocris: illa pestifera, qua, quum Cleombrotus[22], invidiam timens, temere cum Epaminonda conflixisset, Lacedæmoniorum opes corruerunt. Quanto Q. [23]Maximus melius? de quo Ennius:

> Unus homo[24] nobis cunctando restituit rem.
> Non ponebat enim rumores ante salutem.
> Ergo postque, magisque[25] viri nunc gloria claret.

XXV. Quod genus peccandi vitandum est etiam in rebus urbanis. Sunt enim, qui, quod sentiunt, etsi[1] optimum sit, tamen invidiæ metu[2] non audent[3] dicere.

21. *Plaga mediocris*, qua classem amiserunt ob Callicratidæ temeritatem: non hæc plaga Lacedæmoniorum opes profligavit. Alii addunt *fuit* cum Oliv.

22. *Cleombrotus*. Lacedæmoniorum dux, suorum civium invidiam et ignaviæ notam timens, pugnam commisit in campis Leuctricis cum Thebano Epaminonda, victusque est. Facc. — De Cleombroto Cicero sequutus est Xenoph. Hist. Græc. VI, 4, 5—15. Gern. — Vide Plutarch. in Pelopid. et Agesilao.

23. *Q. Maximus*. Fabius Maximus cunctando fregit vires Hannibalis, nihil sollicitus de suorum civium invidia et criminationibus, qui eum ingenio, non arte cunctatorem ferebant. Vide lib. de Senectute, cap. 4, et Liv. lib. XXX, cap. 26. Facc.

24. *Homo nobis*. Ex Annal. XII, ut scribit Macrobius, lib. VI, cap. 1. Facc. — J. M. Heusing. suspicatur, librarios alteram lectionem « Unus qui nobis » e Virgil. Æneid. VI, 846, substituisse. Vide Servium ad h. l. quem J. F. Heusinger. debebat etiam in secundo versu sequi magis, quam scribere « Non enim rumores ponebat ». In cod. Paris. « Non hic ponebat ». Al. libri: « Non enim ponebat », quos sequitur Aldus et Gulielmus, et quod Schütz. edidit. Beierus, « non hic ponebat rum. » ipseque Gern. sententia mutata, in lib. de Senectute, cap. 4, restituit « Non enim rumores ponebat ante salutem » cum Schütz. sed repugnat metrum.

25. *Ergo postque magisque*. Ita plurimi et optimi libri. J. M. Heusingero placuit « Ergo magisque magisque viri », quum sic legeretur in plerisque MSS. Cat. Maj. cap. 4. Gern. — Sensum Gernhard. ad Cat. Maj. l. recte expedit hoc modo: « Ergo et post obitum vir gloria claruit, et magis etiam hac ætate claret, quam quum viveret ».

XXV. 1. *Etsi*. J. F. Heusingerus *etiamsi* e suis libris plerisque, sequente Beiero.

2. *Invidiæ metu*. Etiam ad superandum metum invidiæ in rebus urbanis opus est fortitudine et contemptu isto rumorum. Facc.

3. *Audent*. Indicativum et propter

85 Omnino qui reipublicæ præfuturi sunt, duo Platonis præcepta teneant: unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut quæcumque agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum; alterum, ut totum corpus reipublicæ curent, ne, dum[4] partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Ut enim tutela[5], sic procuratio reipublicæ ad utilitatem eorum[6], qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est. Qui autem parti civium consulunt, partem negligunt, rem perniciosissimam in civitatem inducunt, seditionem atque discordiam: ex quo evenit, ut alii populares[7], alii studiosi optimi cujusque
86 videantur, pauci universorum. Hinc apud Athenienses magnæ discordiæ[8]; in nostra republica non solum seditiones, sed pestifera etiam bella civilia: quæ gra-

codicum omnium fidem et quod plura verba post « sunt qui » interponuntur, retinuimus, non obsequuti Ernest. qui *audeant* scripsit. Multa hic sed parum accurate disputat contra Ernestium J. F. Heusingerus, qui confundit poetas et prosaicos scriptores, ut ipsorum locorum rationes, erratque, qui Epist. I, 9, 75, scribi vult « Sunt, qui putant, posse te, etc. » Vide quæ dixi ad cap. 2, 5. Gern.

4. *Ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant.* Sic Heusingg. et ceteri omnes, præter Facc. et Gern. qui legunt *nec, dum*. Ita, inquit Gern. reliqui omnes *ne* defendunt, sed *ne* aut novum præceptum adjungit, aut reddit rationem superioris. Novum autem illud non est *ne... deserant*; idem enim est. Ratio vero prioris redditur sequentibus « Qui autem, etc. » Ergo idem bis præcipitur, altero loco sic, ut quod contrarium alteri est, prohibeatur. Recte igitur Facciolatus *nec* scripsit, cujus tertia litera absorberi potuit a sequentis vocis prima, *c* a *d*. Compar. II, 21, 73.

5. *Ut enim tutela.* Constituitur enim tutor in rem pupilli, et ut ejus serviat rationibus. Hinc in suam rem auctor fieri tutor prohibetur, lib. I pr. ff. de auctor. et cons. tut. Neque lucrum facere ex tutela quisquam debet, lib. LVIII pr. ff. de admir. et peric. tut. Neque in hoc administrantur tutelæ, ut mergantur pupilli, lib. III pr. ff. contr. tut. act. Quæ aliæque similes juris regulæ etiam religiosius in reip. administratione sunt observandæ. Rach.

6. *Quibus commissa est.* Facc. scribit « quibus commissi ». Est autem ea, quam recepimus, plerorumque codd. lectio et aptior, et exquisitior. J. M. Heusingero, qui post Aldum verbum *est* deleri vult, non assentior. Gern.

7. *Populares.* Ita appellabantur plebis studiosi: alii *optimates*, quod ordini optimo, i. e. nobilitati faverent.

8. *Magnæ discordiæ.* Edd. vett. addunt *ortæ* e glossa.

vis et fortis civis, et[9] in republica dignus principatu[10], fugiet atque oderit, tradetque se totum reipublicæ, neque opes aut potentiam[11] consectabitur; totamque eam sic tuebitur, ut omnibus consulat. Nec vero criminibus falsis[12] in odium aut invidiam quemquam vocabit[13]; omninoque ita[14] justitiæ, honestatique adhæreseet, ut, dum ea conservet[15], quamvis graviter offendat, mortemque[16] oppetat potius, quam deserat illa, quæ dixi.

Miserrima est[17] omnino ambitio honorumque con- 87
tentio; de qua præclare apud eumdem est Platonem :
Similiter facere eos, qui inter se contenderent[18], uter

9. *Et in republ. Et* abest Gu. sec. quart. et impr. vett.

10. *Dignus principatu.* Dignus, ut referatur inter primores. FACC.

11. *Opes aut potentiam.* Ernest. qui *opes* et *potentiam* nihil differre opinatur, non meminerit c. 3, 9. GERN. — *Opes* hic quidem acceperim de factione clientium et asseclarum, ut § 64 extr. II, 41, Heus. Gern. Sch. accipiunt pro *divitiis*, ut § 9, scil. ut distinguantur a *potentia*. Sed hoc bene fieri potest alio modo. Nam *potentia* ex *opibus* pendet : quando quidem factio ambitioni magistratus et imperia expetentium aut rogationibus leges ferentium suffragatur adversariosque, ut concedant, metu cogit. BEIER.

12. *Criminibus falsis.* Quod fieri solebat in honorum petitione et ambitu. FACC.

13. *Nec vero... vocabit.* Ut Q. Metellum criminatus est C. Marius, III, 79. BEIER.

14. *Omninoque ita.* Impress. vett. «omnino itaque».

15. *Ut, dum ea conservet, quamv. grav. off.* Facc. scribit «ut eam conservet, quamvis grav. off.» notatque : in vulg. «dum ea cons.» sensus est parum planus. Al. «ut, dum ea conservet, quemvis, etc.» Sed ita quidem non locum habet adverbium *graviter*, ut facile intelliget, qui habet latinas aures. — V. D. non consideravit, «quamvis graviter» esse vel gravissime, ut II, 20, 69, «quum ipsi quamvis magnum aliquod (beneficium) acceperint». Alia exempla supped. Heusinger. GERN.

16. *Mortemque oppetat.* Plurimi libri et edd. vett. omittunt *que*.

17. *Miserrima est omnino ambitio.* J. F. Heusinger. e Nonio in voce *contentio* prætulit «miserrima omn. amb. est», probante Beiero.

18. *Contenderent.* Gern. *contendunt*, et mox *administret*. Molesta sane, inquit, est vulgata *contenderent*, quæ ex sequentibus *certarent* et *gubernaret* nata est. Sunt enim qui certent de imperio : de navi regenda certat nemo : finguntur autem certare nautæ apud Plat. Rep. VI, pag. 77, Bip. Gottleb. Spec. V, et J. F. Heusing. conjiciunt *contendant*, id quod in nota Mureti ad h. l. apud Grævium præfixum est. Sed de indicativo post

potius rempublicam administraret, ut si nautæ certarent, quis eorum potissimum gubernaret: idemque præcipit, ut eos adversarios existimemus, qui arma contra ferant; non eos, qui suo judicio[19] tueri rempublicam velint: qualis fuit inter P. Africanum[20] et Q. Metellum sine acerbitate dissensio.

88 Nec vero audiendi, qui graviter irascendum inimicis putabunt[21], idque magnanimi, et fortis viri esse censebunt. Nihil enim laudabilius, nihil magno et præclaro viro dignius placabilitate atque clementia. In liberis vero populis, et in juris æquabilitate[22] exercenda, etiam est facilitas, et altitudo[23] animi, quæ

relativum pronom. in media oratione obliqua vide ad cap. 9, 28. Sequentis periodi et conjunctivorum seqq. non eadem ratio est. — Gernhardo Beierus assentitur.

19. *Qui suo judicio*. Qui sententia a nobis discrepent in reip. administratione. Facc. — *Qui suo judicio tueri rempublicam velint*. Longe aliud est judicio et sententia, aliud voluntate atque animo dissidere. Nam etiam in sententiarum dissimilitudine ac discrepantia, animorum tamen conjunctio servari potest : neque umquam boni viri quemquam quod a se dissentiret, propterea in inimici loco habendum existimarunt. Evertendam Carthaginem Cato, conservandam Scipio Nasica censebat. Num igitur eos inimicos inter se fuisse animo credimus? Stultorum et imperitorum ista consuetudo est: qui, quoniam, ut ait comicus, nisi quod ipsi faciunt, nihil recte fieri putant, idcirco a se ne levissimis quidem in rebus dissentientes ferunt. Fabric.

20. *P. Africanum*. Minorem, et Metellum Macedonicum; quorum contentiones et inimicitias inter moderationis exempla refert Valerius Max. lib. IV, cap. 6 (cap. 1). Facc.

21. *Putabunt... censebunt*. Facciolatus cum Nonio vulgatam retinuit *putant... censent*. Gern.

22. *Æquabilitate*. Alii, *æqualitate*. Facc.—Male interpungit Ernest. commate post *exercenda*. Pertinet autem hoc ad *facilitas*. Gern. — Muret. interpretatur, qui liberos populos regunt, et juri dicendo præsunt, quasi is sensus sit vv. « in juris æquabilitate ». Recte M. Heusinger. notat : ubi pari jure omnes continentur, et sic Beierus interpretatur.

23. *Altitudo animi*. Facciol. scribit *lenitudo* cum uno Ald. uno Oxon. et Eliens. probante Aldo. Gern. notat: Recte quidem legunt *altitudo* optimorum librorum et Nonii auctoritate, ipsoque Cicer. interprete, Orat. Part. cap. 27, « altitudo animi, in capiendis incommodis et maxime injuriis ». Eaque ad Attic. IV, 6, V, 10, dicitur βαθύτης. Eadem in Sulla fuit, quidquid Abr. Telleras obloquatur apud Sallust. Jugurth. cap. 95, « ad simulanda negotia altitudo ingenii incredibilis ». Est enim in iis, qui vel con-

dicitur: ne, si irascamur aut intempestive accedentibus, aut impudenter rogantibus, in morositatem inutilem et odiosam incidamus. Et tamen ita probanda est mansuetudo atque clementia, ut adhibeatur, reipublicæ causa, severitas[24], sine qua administrari civitas non potest. Omnis autem et animadversio et castigatio contumelia vacare debet; neque[25] ad ejus, qui punitur[26] aliquem, aut verbis castigat[27], sed ad

silia, vel sensus, sic celant, ut assequi non liceat. Vide Ernest. ad Tac. Ann. III, 44. Ita neque Pearcii conjectura, *aptitudo*, neque Chapmanni, *mollitudo*, neque Davisii ad Tusc. V, 6, proposita, *lenitudo*, nec Facciolati *lentitudo*, probabitur. — Non Gern. assentimus, qui voc. *altitudo* aliquid reconditi et dissimulati notare putat cum Mureto et Odino, quasi nobis concedat Cicero, ut hominum impudentia lædi possimus, dummodo non offensi videamur. Immo præcipit ut animum ultra omnes injurias evehamus, istamque impudentiam omnino despiciamus. Et sic recte interpretatur M. Heusing. et ad hanc interpretationem facit locus Orat. Part. c. 27, quem Gernhardus suæ interpretationi accommodare tentat.— Beierus tamen dicit se Ernestio Gernhardoque assentiri, additque: «Altitudo animi» est igitur h. l. «hilaritas, comitas et mansuetudo de industria, fastidii dissimulatio, versuta patientia», cujus exempla vide § 109, et de hominis civilis vita plena stomachi, Mur. 9, 19; Brut. cap. 66. *Morositas* autem *inutilis* esse dicitur, non, ut Hottingerus cum Garvio accepit, «ad negotia rite administranda, quippe quæ animum impediat»; sed «ad gratiam, id est, odiosa». Ergo *et* hic explicationem annectit, ut § 33, p. 75. Idem Beier. transp. «exercenda est etiam».

24. *Severitas*. Ut morositas odium, ita nimia facilitas contemptum parit. Videndum igitur ut et ab odio severitatem comitas vindicet, et a contemptu severitas comitatem. Muret.

25. *Neque ad ejus*, etc. Nemo punire debet ad explendam iram: atque adeo nemo iratus accedere ad puniendum debet. Facc.

26. *Qui punitur*. Facc. scribit *punit*, notatque: Al. *punitur* more deponentium ex Nonio (in v. *punitur*), et Servio (ad Æneid. XI, 660). — Deponentis formam, quæ occurrit etiam pro Milone, cap. 13; Tusc. I, 44, 107 (adde Rhetor. II, 27, 80), quamquam invitis codd: qui aut *punit*, aut *puniet* habent, tuentur Grævius, Olivet. Ernest. Heusingg. Reiz. in sua editione ultimam syllabam v. *punitur* lineola notavit. Gern. — Verum enimvero Servius loco laudato nil nisi de verbis *bellantur* et *nutritor* pro *nutri*. Sic editores pigri vervecum modo temere sequuntur arietem! Beier.

27. *Castigat*. Beierus post Gernhardum scripsit *fatigat*, hoc notato: Ex perantiquo codice Gud. Nonii l. c. F. Heusinger. restituit «aut verbis fatigat», pro vulg. *castigat*, quod glossema, ut Gernhardo quidem videtur, e superiori versu tractum eidemque verbo etiam III, 18 pr. substitutum, postliminio restituit Areopagita taciturnior Hl. Schützii auctoritas et gra-

89 reipublicæ utilitatem referri. Cavendum est etiam[28], ne major pœna, quam culpa sit, et ne iisdem de causis alii plectantur[29], alii ne appellentur[30] quidem. Prohibenda autem maxime est[31] ira in puniendo. Numquam enim, iratus qui accedet ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium et parum; quæ placet peripateticis : et recte[32] placet, modo ne laudarent iracundiam, et dicerent utiliter a natura datam[33]. Illa vero omnibus in rebus repu-

vitas : quam tamen quodam modo elevabit Nonius, cap. 4, 206. — Nobis jure videtur Schützius conticuisse, quum satis ad tuendam vulg. conclamaret omnium libb. in eamdem lect. ut videtur conspirantium auctoritas.

28. *Cavendum est etiam. Montesquieu, Esprit des Lois*, lib. VI, c. 16; lib. XII, cap. 4, laudat de Leg. III, 20, 46 pr. « Noxiæ pœna par esto, ut in suo vitio quisque plectatur ». Præivit Plato de Leg. IX, p. 934, B, jubens spectare τό τε μέγεθος τῆς κολάσεως ἑκάστων καὶ παντελῶς τὴν ἀξίαν. Nam, ut ibid. XI, 857, B, monetur delictis δεῖ ποικίλοις οὖσιν ἕπεσθαι τὸν νομοθέτην, μηδὲν ὁμοίαις ζημίαις ζημιοῦντα. Hujus principii, quo regi debet omnis justitia criminalis, neglectio ad ineptias duxit Fichtium in l. *Grundlage des Naturrechts*, II, p. 97, 98, quem νουθετεῖ noster Krug. vir summus, in Dicæologia, § 81, n. 1 extr. p. 328 seq. Beier.

29. *Plectantur.* Gravi pœna afficiantur. M. Heus.

30. *Ne appellentur quidem.* Ne in jus quidem vocentur ad reddendam factorum rationem. M. Heus.

31. *Maxime est ira in puniendo.* Itaque laudatur Plato, qui servo cuidam suo iratus, « Tu vero, inquit, gratias diis agito, quod ego iratus sim; pœnas enim a te exigerem, nisi iratus essem ». Et Xenocrati, qui tum præsens aderat, « Quæso, inquit, tu hunc verberato; me enim, quum iratus sim, id facere non decet ». Eadem fere narrantur de Archyta Tarentino, qui, ut est apud Ciceronem, Tusc. IV, quum villico factus esset iratior, « Quomodo te, inquit, accepissem, nisi iratus essem ». Sed et de Platone ipso ejusdem generis alia. Quod servo iratus, sublata manu, quasi eum percussurus, diu eodem in statu constiterit, quumque rogaretur, cur id faceret : « A me ipso, inquit, exigo iracundiæ meæ pœnas ». Muret.

32. *Et recte placet.* Ad hæc Erfurdt. in notis manu sic scribit : « Fuere qui *placeret* conjicerent, non ideo, ni fallor, quod particulas *modo ne* conjunctivum putarent ante se requirere, sed ut legitima temporum consequentia restitueretur. At vel sic falsi sunt, quandoquidem, utrum dicas, *modo ne laudarent*, an *modo ne laudent*, multum interest. Illo significas, te fieri nolle, quod jam factum est, atque etiamnum fit, hoc, nolle te fieri, quod an futurum sit necne, nescias ». Gern.

33. *Utiliter a natura datam.* Scilicet Peripatetici (ut est etiam in Tusc. IV, cap. 19) iracundiam ceterasque perturbationes a natura datas esse di-

dianda[34] est; optandumque, ut ii, qui præsunt reipublicæ, legum similes sint[35], quæ ad puniendum non iracundia, sed æquitate ducuntur.

XXVI. Atque etiam in rebus prosperis, et ad voluntatem nostram fluentibus, superbiam, fastidium, arrogantiamque magno opere fugiamus. Nam ut adversas res, sic secundas immoderate ferre, levitatis est; præclaraque est æquabilitas[1] in omni vita, et idem semper vultus, eádemque frons, ut de Socrate, item de C. Lælio[2] accepimus. Philippum quidem Macedonum regem, rebus gestis, et gloria superatum a filio[3], facilitate et humanitate video superiorem fuisse. Itaque alter semper[4] magnus, alter sæpe turpissimus fuit : ut recte præcipere videantur, qui monent, ut, 90

cebant, ideoque non avellendas, sed coercendas; Stoici opinione susceptas esse arbitrabantur, ideoque prorsus deponendas. Idem, quod Peripatetici, veteres Academici de iracundia sentiebant, ut est in Acad. IV, cap. 44. Facc. — Vide Muretum hoc loco longius disserentem.

34. *In rebus repudianda est.* Non moderanda, aut cohibenda, ut Peripatett. placet : sed omnino expellenda. M. Haus.

35. *Legum similes sint, quæ ad puniendum*, etc. Confer Senecam de Ira, lib. I.

XXVI. 1. *Æquabilitas.* Hanc æquabilitatem in omni fortunæ statu laudat etiam Seneca in Catone Juniore, Ep. 104. De Socrate autem idem scribit Plin. H. N. lib. VII, cap. 19. Facc. — Adde Cic. Tusc. III, 15, quem laud. Heusingerus. Gern.

2. *De Socrate, item de C. Lælio.* J. F. Heusing. « itemque de C. Læl. » cum libris quibusdam. — *De Socrate.* Parrhasio Epist. XVII in Grut. Lamp. I, p. 745, aliisque laudantur testimonia Tuscul. III, cap. 15 pr. Gellii I, 17, II, 1; Senecæ paullo a fine Epist. 104; Plinii Hist. Nat. lib. VII, c. 19, sect. 18; Æliani Ποικ. ἱστ. lib. IX, cap. 7. De Lælio, sapiente (II, § 40), cf. I, 108, et Horatii Sat. II, 1, 72. Beier. — Qui statim e Gu. 2 *accipimus* scribit.

3. *A filio.* Ab Alexandro, qui Asiam totam devicit, et imperio suo adjecit. Ceterum ejus « fœda supplicia, inter vinum et epulas cædes amicorum, et vanitatem ementiendæ stirpis » memorat Livius, lib. IX, cap. 18. Hinc a Cicerone *turpissimus* dicitur. Facc. — Alexandri jactantiam et superbiam, in sævitiam et furorem versam, ipse Justin. XII, 6, XV, 3, cum Seneca, epist. 113 extr. de Ira, lib. III, cap. 22 seq. Curtio, lib. III, cap. 12, 18 seq. lib. VIII, cap. 1, 22-52, 8, 21 seq. et Arriano, Exped. IV, 8, 3-16. Beier.

4. *Semper magnus.* Codd. quidam, *sæpe magnus.*

quanto superiores simus[5], tanto nos geramus summissius. Panætius[6] quidem Africanum, auditorem et familiarem suum, solitum ait dicere, ut equos, propter crebras contentiones præliorum ferocitate exsultantes, domitoribus tradere soleant[7], ut his facilioribus possint uti: sic homines, secundis rebus effrenatos, sibique præfidentes, tamquam in gyrum[8] rationis et doctrinæ duci oportere, ut perspicerent rerum humanarum imbecillitatem, varietatemque for-
91 tunæ. Atque etiam in secundissimis[9] rebus maxime est utendum consilio amicorum, hisque major[10] etiam, quam ante, tribuenda auctoritas: iisdemque temporibus cavendum est, ne assentatoribus patefaciamus aures[11], nec adulari[12] nos sinamus: in quo falli facile

5. *Superiores simus*. Alii, *sumus*. Vide notam inferiorem in vv. « ut equos... tradere soleant ».

6. *Panætius*, quem Africanus *minor* domi militiæque secum habuit: quo vid. supra lib. III, cap. 2; de Fin. IV, cap. 9; Vell. Pat. lib. I, cap. 13; Gell. lib. XVII, c. 21 pr.

7. *Ut equos... tradere soleant*. Indicativus *solent*, non debebat placere Heusingero. Exempla, quæ commemorat, hic nihil valent. Etenim, si id quod equos tradere solent domitoribus, non nisi ex Africani sententia verum esset, scripsisset, *ut... solerent;* sed quoniam illud tritum est et usu confirmatum, præsens tempus adhibuit, conjunctivum tamen, quod si *solent* dedisset, hæc Ciceronis verba essent, non Africani a Panætio proposita: atque remotioris verbi *dicere* oblitus non exspectares « duci oportere, ut perspicerent », sed « d. oportet, ut perspiciat ». Ita multum differt hujus loci ratio a cap. 9, 28, et a verbis proxime antecedentibus, « qui monent, ut, quanto superiores sumus ». Gern. — Beier. utroque loco Gernhardum sequitur. Schütz. *solent* cum J. F. Heusing. dedit.

8. *In gyrum*. Petita ab equis similitudine, qui aguntur in gyrum, certis præfinitis limitibus, ut eorum impetus frangatur. Facc.

9. *In secundissimis*. Non modo in secundis, in quibus tamen vix ullus est, qui amicorum consilia quærat. Facc.

10. *Major etiam*. Alii omittunt *etiam*. Magis attendendæ sunt amicorum admonitiones, iisque parendum. Facc.

11. *Aures*. Beier. e Nonio v. *adulatio* restituit antiquam formam *auris:* et sic infra dedit *talis* pro *tales*.

12. *Adulari*. Adulationibus palpari, passiva significatione, quæ non est ita frequens. Facc. — Perizonius et Bauerus ad Sanct. Min. III, 3, 7, interpretantur *nec* eos (assentatores) *adulari nos sinamus*, ad sensum magis quam ad verba. Passivum *adulari* hic erat commodius, ut Tusc. II, 10: « Pinnata cauda nostrum adulat san-

est. Tales enim nos esse putamus, ut jure laudemur[13]. Ex quo nascuntur innumerabilia peccata; quum homines inflati opinionibus[14], turpiter irridentur[15], et in maximis versantur erroribus. Sed hæc quidem hactenus[16].

Illud autem[17] sic est judicandum, maximas geri res, et maximi animi[18] ab iis, qui respublicas regant, 92

guinem ». Quamquam hoc rarius, quam « adulari aliquem ». Quod H. Wolf. in V. L. prodidit « adulari nobis eos sinamus », pessimum est. Gern.—Sch. *nec* pro *neve*. Gernhardo Beierus omnino assentitur.

13. *Ut jure laudemur*. Ut digni simus iis, quas accipimus, laudibus.

14. *Inflati opinionibus*. Laudibus illis, quas opinamur nobis inesse. Facc.

15. *Turpiter irridentur*. Sese irridendos multitudini præbent, quamquam M. Heusing. interpretatur : decipiuntur ab iis, a quibus se laudari putant. Conf. Plutarch. de discrimine amic. et adul. Plat. de Rep. lib. V.

16. *Sed hæc quidem hactenus*. Claudit totam hanc de fortitudine commentationem, et ad temperantiam transit in cap. 27. Nam, quæ interjiciuntur, vel ableganda, ut mihi quidem videtur, vel alio transferenda. Facc. — Fallitur vir D. qui his verbis omnem hanc de fortitudine disputationem censet claudi. Pertinent hæc ad eum locum, qui est inde a § 74, maximeque a § 85. Gern.

17. *Illud autem*. Facciol. scribit *enim*, notatque : Hæc omnia, qualiacumque sint, usque ad caput proximum hoc loco male habitant : potius eo retrahenda videntur, si cui placent, ubi de politicis et de otiosis agitur. Recentiores leg. *Illud autem*. Et sane particula *autem* magis idonea est ad sensa tam disparata aliquo modo copulanda. Mihi quidem minus displiceret *igitur*. Videri enim potest hic quasi quidam epilogus eorum, quæ de fortitudine dicta sunt. Idem in cap. 40 (cap. 39, 141) a quocumque tandem fiat. Facc. — Illud quidem recte monet Facciolatus, hunc locum esse epilogum, cujus quidem sententia medio fere cap. 21 exspectabatur, postquam § 69, otiosos commemoraverat, cum eos, qui pariter atque illi tranquillitatem animi se adipisci posse putant, si opes magnas habeant. Ab his quum oratio deflexisset ad rerum bellicarum et urbanarum comparationem et ad reliqua eorum, qui res magnas gerunt, officia; nunc recurrendum erat ad illos otiosos, quorum vita est et facilior, et tutior, sed tamen non ab omni magnitudine animi aliena; hisque erant quædam præcipienda : in quo particula *autem* et aptissima est, et omnium librorum fide confirmata. Gern.

18. *Et maximi animi ab iis, qui respublicas regant*. Heusingeri prætermiserunt Anemœcii lectionem, quam in dialogo defendit, « et maxime ab his », quum ei omnium codd. lectio obscurior videretur. Verum « maximas res geri ab iis » est, magnas res geri maxime ab iis. « Deinde, ait Anemœcius, legunt *rempubl.* quum ego plurali utar numero, atque *respublicas* substituam, ob nullam causam, nisi quod *earum* sequatur, quasi administrantium ratio plus valeat, quam ro-

quod earum administratio latissime pateat, ad plurimosque pertineat. Esse autem [19] magni animi, et fuisse multos etiam in vita otiosa, qui aut investigarent [20], aut conarentur magna quædam, seseque suarum rerum finibus continerent; aut interjecti inter philosophos [21], et eos, qui rempublicam administrarent, delectarentur re sua familiari, non eam quidem omni ratione exaggerantes, neque excludentes ab ejus usu [22] suos, potiusque [23] et amicis impartientes [24], et reipublicæ, si quando usus esset. Quæ [25] primum bene parta [26] sit, nullo neque turpi quæstu, neque odioso; tum quam plurimis, modo dignis, se utilem præbeat; deinde augeatur ratione, diligentia, parcimonia; nec libidini potius luxuriæque, quam liberalitati et beneficentiæ pateat [27]. Hæc præscripta servantem licet magnifice, graviter, animoseque [28] vivere, atque etiam simpliciter [29], fideliter, vitæque hominum amice.

rumpublic. administratio ». Utramque hanc lectionem codices suppeditant etiam III, 5, 23, ubi singularis numerus erit præferendus, quum « in singulis civitatib. » additum sit, quod h. l. per pluralem *respubl.* exprimitur. Gern.

19. *Est autem*, etc. Mirari possis, quod non hoc modo scriptum est : « multos autem magni animi et esse et fuisse », ut § 69, vel, « sed et esse magni animi et fuisse multos ». Beier.

20. *Aut investigarent.* Philosophi significantur, qui alieni a rebus agendis, continent se intra studiorum suorum fines. Facc.

21. *Interjecti inter philosophos.* Medium inter philosophos, et eos qui rempublicam administrant, vitæ genus sectati, non uni rerum cognitioni dediti. M. Heus.

22. *Ab ejus usu. Usu* abest a quibusdam libb.

23. *Potiusque*, valet *sed potius*, ut sæpe post negationem.

24. *Impartientes.* Sic Heuss. pleroramque libb. auctoritate dederunt. Cf. jubent cap. 42, et lib. II, cap. 15, et Corn. Nep. Eum. cap. 2 princ. Gern. scribit *impertientes*. Beier. cum Gernhardo facit, sequutus analogiam compositionis in voce *expers*. Schützius *impartientes*.

25. *Quæ.* Scilic. res familiaris : sequentes conjunctivo pro modo imperativo sunt.

26. *Parta.* M. Heusinger. cum quibusdam libb. *parata*.

27. *Pateat.* Plurimi libb. *pareat*. *Pateat* valet : materiam præbeat.

28. *Animoseque vivere.* Non timide et abjecte, sine suspicione et metu. M. Heus.

29. *Simpliciter*, non animo subdolo, suspicaci, tecto, sed candido, aperto, bonæ fidei.

XXVII. Sequitur, ut de una reliqua parte honestatis dicendum sit: in qua verecundia, et quasi quidam ornatus[1] vitæ, temperantia, et modestia[2] omnisque sedatio[3] perturbationum animi, et rerum[4] modus cernitur. Hoc loco continetur id, quod dici latine decorum potest: græce enim[5] πρέπον dicitur. Hujus vis 93

XXVII. 1. *Et quasi quidam ornatus*. Facc. delet *et*, quia verecundia virtus non est, sed ornatus quidam vitæ, ad virtutis decus et custodiam. Garvius in versione hujus loci et Hottingerus, quum hæc verba «quasi quidam ornatus vitæ» ad omnes has decori partes referenda putarent, alter sic vertit, ut si legatur «in qua quasi quid. ornatus vitæ verecundia et temperant. etc.» Garvius autem hæc omnibus illis generibus eodem sensu postposuit. Equidem puto scribendum «in qua verecundia et quasi quidam ornatus vitæ et temperantia, etc.» Gern. — *Verec. et quasi quidam ornatus vitæ. Et*, quæ h. l. a quibusdam libris Langii abest, eademne habet explicandi vim, quam sæpe et v. g. ad § 88 observavimus? Ita opus non erit aut hanc cum Facciolato delere, aut post hæc verba iterare *et* cum Gernhardo, qui, nullo modo comparanda comparans, assentatorem tamen nactus est Franciscum Binkes, qui, p. 26, n. 49, ipsi crederet affirmanti, «ornatum vitæ» hic dici illam pulchritudinem, quæ in formæ dignitate, in motu gestuque cernatur et maxime distet a *verecundia*, cujus partes sint «non offendere homines» (§ 99). Alia suadere debebat part. *quasi*: de qua ad mitigandam metaphoram pronomini *quidam* jungi solita vid. ad § 30, pag. 67, cl. I de Or. cap. 61 pr. Commodius tamen hæc «et quasi, etc.» tamquam appositio referentur ad seqq. *Verecundia* et *temperantiæ* et *modestiæ* fons est communis, quem ad modum § 65, «rerum externarum despicientia» causa esse dicebatur *magnificentiæ*. Degenio «verecundiam temperantiæ», tamquam generi partem, subjicienti, nollet certe auctor esse ille, ad quem provocat, Hottingerus. Continuoque explicationem adjungit, ut § 81 extr. Ipsa enim «temperantia sedat appetitiones et efficit, ut eæ rectæ rationi pareant, conservatque considerata judicia mentis». Vid. Tuscul. IV, cap. 9; III, cap. 8; V, cap. 14 extr. Fin. I, 14, 47 pr. Beier.

2. *Temperantia, et modestia*. Una virtus est, quam Cicero solet multis modis vocitare. Vid. Tusc. III, cap. 8. Facc.

3. *Omnisque sedatio*. In Tusc. IV, cap. 9. Temperantia sedat appetitiones, et efficit, ut rectæ rationi pareant. Facc.

4. *Rerum modus*. Inter nimium et parum. Facc. — Est quidem «rerum modus», i. q. § 98 extr. «ordo et constantia et moderatio dictorum omnium et factorum». Multo minus *rerum modum* interpreter «observationem finium, justo rerum usui constitutorum, moderatum usum», cum Gernhardo ad Cat. Maj. 21, 77. Beier.

5. *Græce enim*. Facc. scribit *græce autem*. *Enim* in plerisque codd. recte legitur, propter «dici potest», ut de Nat. Deor. II, 22 extr. quem locum laudavit Heusingerus. In Goth. *enim* omittitur; in Gu. 3 est *id quod græce π. d.* Gern.

94 ea est, ut ab honesto non queat separari. Nam et quod decet, honestum est; et quod honestum est, decet. Qualis autem[6] differentia sit honesti et decori, facilius intelligi, quam explanari potest. Quidquid est enim[7], quod deceat, id tum apparet, quum antegressa[8] est honestas. Itaque non solum in hac[9] parte honestatis, de qua hoc loco disserendum est, sed etiam in tribus superioribus, quid deceat, apparet. Nam et ratione uti[10], atque oratione prudenter; et

6. *Qualis autem. Autem* in plurimis imprr. vett. deest. Ne auctor evertere videatur fundamenta dialectices, qui, proposito proloquio reciproco, « et quod decet, honestum est; et quod honestum est, decet », nihilo minus tamen « differentiam » quamdam « honesti et decori » agnoscat : intelligendum est, ex auctoris mente « generale decorum » (nempe « in vita ») objective idem esse, quod subjective *honestum*. Quippe *honestum* in se conversum est : quatenus vero aliorum approbationem movet, *decorum* dicitur. Videntur igitur philosopho nostro facta, ab virtute honestateque profecta, eadem esse decora : contraque indecora, pravis momentis ad turpiter agendum impellentibus; et, ut corporis, in lucis radios incurrentis, figuram umbra, sic honestatem semper comitari decus : ita, ut, quem ad modum *valitudo* conditio « venustatis et pulchritudinis corporis » (§ 95), sic *honestas* causa sit et fundamentum decori, *decorum* ipse effectus honestatis et comes, adeoque, ut *honestas* decus, quod ipsi animo insit, sic *decus* dici possit honestas, quæ in officiis conservandis eluceat omninoque spectetur in factis. Potest enim ab « ipsa virtute » distingui « res gesta virtute ». Beier.

7. *Quidquid est enim.* Facciolatus cum Gu. 1 et impr. vett. « quidquid enim est », quod recte displicuit Grævio, Oliv. Ernest. Heuss. Prope nulla enim vis h. l. in verbo *est*. Gern. — Recte Bardili in Hauffii Philologia, part. II, p. 5, agnovisse videtur formulam, qua fere utuntur ii, qui rem clarius exponere aut nesciunt, aut nequeunt. Conf. Brut. 72, 275; Tusc. I, § 66. Beier.

8. *Quum antegressa.* Honestas antegreditur tamquam causa hoc modo : est honestum, ergo decet. Quum autem dicimus, decet, ergo honestum est : argumentatio est ab effectu. Facc.

9. *Non solum in hac*, etc. Non solum in temperantia, sed etiam in prudentia, justitia, et fortitudine decorum spectatur. Facc.

10. *Ratione uti.* Hoc pertinet ad prudentiam, in qua vel in primis locum habet decorum, ut qui hac in parte peccet, stultis annumeretur. Facc. —Verbis « Nam et ratione... » opponi videntur illa demum : « et justa omnia ... » : quæ conjunctionum, aliis conjunctionibus interjectis, longius distractarum responsio notanda. Ad hos infinitivos Grotefend. Lat. Gramm. I, § 152, III, supplet *quemque*. Sed quid opus est ellipsi, quum infinitivi sint pro nominativis substantivorum, « ra-

agere quod agas, considerate; omnique in re quid sit veri[11], videre, et tueri decet: contraque falli, errare, labi, decipi tam dedecet, quam delirare, et mente esse captum[12]. Et justa[13] omnia, decora sunt; injusta contra[14], ut turpia, sic indecora. Similis est ratio fortitudinis. Quod enim viriliter, animoque magno fit, id dignum viro, et decorum videtur: quod contra, id ut turpe, sic indecorum.

Quare pertinet quidem[15] ad omnem honestatem 95
hoc, quod dico, decorum; et ita pertinet, ut non recondita quadam ratione cernatur, sed sit in promptu.

tionis usus atque oratio prudens, actio considerata, perspicientia veri, etc. » Cf. de hoc prudentiæ munere § 16, II, 18 pr. « Verum tueri » Degen. explicat « suscipere veritatis patrocinium ». Equidem: « veritati adhærescere, servare stabile veritatis judicium ». Beier.

11. *Quid sit veri*. Gern. scribit *quid sit verum*. Non enim decet, inquit, videre, quantum veri sit in quaque re (cui non opponeretur *falli, errare, labi*), sed qualis res quæque vere sit. Vide c. 5, 16: « Ut enim quisque maxime perspicit, quid in re quaque verissimum sit ». II, 5, 18: « Una est in perspiciendo, quid in quaque re verum, sincerumque sit, etc. » Gern. — Pessime fecit Gern. librum unum sequutus, quem ceterorum omnium consensus satis arguit corruptelæ. Quomodo enim Gern. probavit non latine dici posse eum « falli errare, decipi », qui non videt « quid in quaque re sit veri »? Præsertim, quum qui videt quantum veri sit in quaque re, idem videre debeat eadem ratione, quando res omnino veræ, omnino falsæ sint.

12. *Esse captum*. Plurimi imprr. vett. *captum esse*.

13. *Et justa omnia*. Idem dici potest de fortitudine. Nam « et justa omnia, etc. »

14. *Injusta contra*. Plurimi imprr. vett. « injusta contra omnia ».

15. *Quare pertinet quidem*, etc. Hæc Bink. p. 25, sequutus Garvium, p. 152 seq. παρερμηνεύει hoc modo: *Decorum* est illa pars virtutis, quæ « non recondita quadam ratione cernitur, sed est in promptu » et sensibus tantum externis observatur, quasi *decus* sit externa honestatis species, sive vestis et ornatus. Sed jure Schützius hujus interpretationis absurditatem notaverat, cll. et proximis et extremis hujus § verbis et § 94 pr. « facilius intelligi, quam explanari, potest ». Accedunt, si modo recte interpretati sumus, ib. hæc: « Quidquid est enim, quod deceat ». Hic igitur ambage quadam nihil aliud dicitur, quam, quod auctor ipse statim explicatius proponit: « sponte intelligi, decorum non modo ad singulas partes honestatis pertinere, sed in omni honestate versari (96) atque a virtute, quacum totum sit confusum, re separari non posse, sed tantum docendi causa », vel, ut barbara philosophiæ schola loquitur, « non essentialiter, sed theoretice tantum abstrahi posse ». Est au-

Est enim quiddam, idque intelligitur in omni virtute, quod deceat; quod cogitatione magis a virtute potest, quam re separari[16]. Ut venustas[17] et pulchritudo corporis secerni non potest a valitudine[18]: sic hoc, de quo loquimur, decorum, totum illud quidem[19] est cum virtute confusum; sed mente et cogitatione di-
96 stinguitur. Est autem ejus descriptio duplex. Nam et generale quoddam decorum intelligimus, quod in omni honestate versatur; et aliud huic[20] subjectum, quod pertinet ad singulas partes honestatis. Atque illud superius[21] sic fere definiri solet: Decorum id esse, quod consentaneum sit hominis excellentiæ, in eo, in quo natura ejus a reliquis animantibus differat. Quæ autem pars subjecta generi est[22], eam sic definiunt, ut id decorum esse velint[23], quod ita[24] naturæ

tem *quidem* hic ἀνανταπόδοτον. Pro eo enim, quod sequi debebat *sed*, interjecto enuntiato, « est enim quiddam ... quod deceat », huic statim annectitur quasi apodosis: *quod* (pro « et id quidem ») *cogitatione*, etc. Hæc anacoluthia movisse videtur Facciolatum, ut, illo *quidem* omisso, ante vv. *ut venustas* cum Ven. 4 et Lambino insereret *et*. Tum illa omnia, *est enim* ..... *separari*, facerent parenthesin. Beier.

16. *Re separari*. Est igitur proprietas necessaria, ut eam logici vocant, quemadmodum calor in igne. Facc.

17. *Ut venustas*. Gu. 3 et impress. vett. *ut enim ven.*

18. *A valitudine*. Sic scripsi cum Schützio. Vulgari scripturæ *a valetud.* obstat analogia v. *gravitudo*, quæ pariter ac *graviditas*, quamquam alia significatione, derivatur ab adj. *gravidus*. Beier.

19. *Totum illud quidem est*. Quidam libb. transp. *illud tantum*, deleto *est*. Ald. cum nonnullis codd. « totum quidem illud est ».

20. *Huic subjectum*. Pars decori, quæ decoro generali, tamquam species generi subjicitur. Facc.

21. *Illud superius*. Decorum in toto genere, quod pertinet ad hominem, qua homo est, virtutis omnis et honestatis capax. Facc.

22. *Pars subjecta generi est*. Hæc est de qua paucis ante dixit: « et aliud huic subjectum ». Ex omnibus partibus eam explicat, in qua nunc versatur. Facc.

23. *Esse velint*. Gern. *velint esse*. Ita, inquit, Heusinger. consensu omnium MSS, Gu. ut cap. 2, 6, itemque Ascens. Vulgo *esse velint*.

24. *Ita naturæ*. Legendum opinor: « ita naturæ cujusque ». Et quæ præcedunt, et quæ sequuntur, ita poscunt. Facc. — *Cujusque* nec legendum est, nec intelligendum. Est enim hæc hominis natura; quæ in omnibus certe similis est. Vid. ad cap. 14 pr. Gern.

consentaneum sit, ut in eo moderatio[25], et temperantia appareat cum specie quadam liberali[26].

XXVIII. Hæc ita intelligi[1], existimare possumus ex 97
eo decoro, quod poetæ sequuntur: de quo alio loco plura dici solent[2]. Sed tum servare illud poetas dicimus, quod deceat[3], quum id, quod quaque persona dignum est, et fit, et dicitur. Ut, si Æacus[4], aut Minos diceret,

Oderint[5], dum metuant;

aut,

Natis sepulcro[6] ipse est parens;

25. *Ut in eo moderatio*, etc. Hinc apparet, quam sit necessaria vox *cujusque*. Facc.

26. *Appareat cum specie quadam liberali*. Id est, eluceat ita, ut simul agnoscatur excellentia ingenuæ indolis atque ab omni cupiditate liberæ. *Species* dicitur illa ex omni perturbationum animi sedatione nascens dignitas et majestas, quæ aliorum approbationem movet. Beier.

XXVIII. 1. *Hæc ita intelligi, existimare possumus.* Facc. cum Lambino emendat «Hæc ita esse, intelligere possumus», ex uno libro qui habet «Hæc ita intell. poss.» Alii male post *intelligi* addunt *a philosophis*.

2. *De quo alio loco plura dici solent.* Vide Horatium, Art. poet. et Orat. 22, 73.

3. *Servare illud poetas dicimus, quod deceat.* Sic Facc. Græv. Ernest. Oliv. M. Heusing. Schütz. Gernhard. scribit: «servare illud poetas, quod deceat, dicimus». Nostram, inquit, rationem confirmant et loci natura et fides codd.

4. *Æacus.* Æacus et Minos Jovis filii habiti sunt, et propter justitiæ famam judices apud inferos cum Rhadamantho constituti. Facc.

5. *Oderint.* Vox tyranni a Cicerone non semel et ab aliis scriptoribus memorata. Facc.

6. *Natis sepulcro*, etc. Ex veteri tragœdia de Thyeste, cujus natos infantes frater Atreus occidit, atque inter epulas patri comedendos apposuit. Vide Hyginum, Fab. 88. Alii leg. *sepulcrum*, idque ortum est ab iis, qui dubitarunt, num latine dici posset *sepulcro esse*. Facc. — *Sepulcrum* aptius est propter alterum dativum *natis*, et gravius. Contentionem autem codicum in quibus est «ipse est parens» cum iis qui tuentur «ipse sit parens», quod etiam Lambin. et J. F. Gronov. conjecerunt, dirimi putaverim, si una litera restituta legatur: «Natis sepulcrum ipse esto parens.....» quod et Atreo pœnam in fratrem meditanti novam, et ejusdem tragœdiæ loco, qui de eadem re legitur Tuscul. IV, 36, convenientius est. Alterum «N. s. ipse est p.» non indignum videbitur, ut debet, Æaco, nisi ex ore et voce loquentis accedat crudelitatis significatio. Altera autem lectio a Grævio commendata «N. s. ipse sit p.» propter metrum nequit ferri. Gern. — Schützius cum Heusingg. retinuit *sepulcro*. Beierus dicit Gernhardi conj. metro

indecorum videretur: quod eos fuisse justos accepimus. At Atreo dicente, plausus excitantur. Est enim digna persona oratio. Sed poetæ quid quemque deceat, ex persona judicabunt. Nobis autem personam imposuit[7] ipsa natura, magna cum excellentia præ-
98 stantiaque animantium reliquarum[8]. Quocirca poetæ in magna varietate personarum, etiam vitiosis quid conveniat, et quid deceat, videbunt: nobis autem quum a natura constantiæ, moderationis, temperantiæ, verecundiæ partes datæ sint[9]; quumque eadem natura doceat, non negligere, quemadmodum nos adversus homines geramus: efficitur, ut et illud, quod ad omnem honestatem pertinet, decorum, quam late fusum sit, appareat; et hoc, quod spectatur in unoquoque genere virtutis. Ut enim pulchritudo[10] corporis apta compositione membrorum movet oculos, et delectat

adversari sive corripiatur sive producatur v. *esto* ultima.

7. *Personam imposuit ipsa natura.* Modum loquendi et agendi præscripsit. Facc.

8. *Animantium reliquarum.* Id est, supra reliquas animantes. Genitivus casus in hac syntaxi durinsculus videtur. Sed fortasse totum hoc membrum, « magna cum excellentia præstantiaque animantium reliquarum », formatum est ex iis, quæ paullo ante dicta sunt, et margini adjectum, postea vero a librariis huc insertum. Facc. — Alii, *reliquorum;* sed femineo genere Cicero dicit *animantes*, ubi opponit *homini*. Vide Leg. I, 9, 26: « Nam quum ceteras animantes abjecisset ad pastum, solum hominem erexit », ad q. l. vide Gœrenzium. Gern. — Hæc ex opposito membro et seqq. sic intelligenda: « Nos autem quid deceat, judicabimus e partibus, quas quasi in communi spectaculo mundi agendas nobis dedit ipsa natura ita, ut multum natura nostra pecudibus reliquisque belluis antecedat ». Conf. § 96, 105 pr. Genitivi, sensu hic e præpositione *præ* in *præstantia* pendentis, usus brevitatis studio excusari videtur Gernhardo. Puto sic dici e græcismo ἔξοχος ἄλλων et in Homer. Hymn. IV, 363, περιώσιον ἄλλων. Beier.

9. *Partes datæ sint.* Natura nos jussit agere personam constantis, moderati, etc. M. Heusing.

10. *Ut enim pulchritudo.* Hottingerus in not. ad lib. II, cap. 3, p. 198, particula *enim* offensus scribit, *Ut autem p.* At errat vir D. ut sæpe in judicanda hujus particulæ potestate. Atque hoc quidem loco sequens comparatio et illustrat et auget proximam sententiam. Docet enim non solum, quam late fusum sit decorum, sed etiam omnium id movere approbationem. Mecum sentire video Gœrenzium ad Leg. I, 16, 45. Gern.

hoc ipso, quod inter se omnes partes cum quodam
lepore consentiunt : sic hoc decorum, quod elucet in
vita, movet approbationem eorum, quibuscum vivi-
tur, ordine, et constantia, et moderatione dictorum
omnium, atque factorum. Adhibenda est igitur quæ- 99
dam reverentia adversus homines, et optimi cujus-
que[11], et reliquorum. Nam negligere[12], quid de se
quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed
etiam[13] omninò dissoluti. Est autem quod differat,
in hominum ratione[14] habenda, inter justitiam, et

11. *Adversus homines, et optimi cujusque*. Primum erga optimum quemque, tum ordine erga reliquos. Animadvertenda constructionis varietas. Facc. — Nolim auctore Lambino deleri verba « adversus homines », quibus cum perspicuitate totum genus complectitur, in quo distinguat optimos, id est, nobilissimos. Structuræ autem duplicis exemplum suppeditat Epist. XI, 11, 3, « et biduo ab Allobrogibus et totius Galliæ legatos exspecto », et Corn. Nep. Att. 8, 2. Repetit vero (quod indicat particula *igitur*) inchoatam superiorem sententiam, « quumque eadem natura doceat non negligere, quemadmodum nos adversus homines geramus », quæ subjecta erat verbis *efficitur, ut*, etc. hic autem diligentius exponitur. Heinsius est igitur non audiendus, qui conjecit « adversus opiniones hominum et », neque probanda Reiskii correctio « adversus opiniones et ». Nam qui non veretur ipsos homines, is negligit quid de se quisque sentiat. *Negligere autem... est... dissoluti*. Reverentiam ipsorum hominum intelligi docent etiam verba seqq. « Est autem quod differat ». Garn. — M. Heusing. *optimi* dicit hic valere *nobilissimi*, quod nobis omnino falsum videtur. In ea rationem quam habere debemus opinionis hominum, primum spectare debemus opinionem virorum proborum, deinde etiam reliquorum.

12. *Nam negligere*, etc. Idem fere in lib. de Amicit. cap. 17, « Nec vero negligenda est fama ». Facc. — Dissimilia sunt, quæ cum F. Heusing. comparat Gernhard. exempla, in quibus conjunctiones nectunt diversas constructiones. Beier. — Qui cetera in Gernhardi nota probat.

13. *Sed etiam omnino diss.* Gern. delet *etiam*, unum cod. μ sequutus. Gravius est, inquit, et latius patens vocab. *dissoluti*, quam *arrogantis*, ut hoc videatur illo contineri, quod indicat etiam *omnino*. Exemplum hujus rationis præbet cap. 39, 128 extr. et supra cap. 4, 12. Vide etiam Gœrenzium ad Leg. III, 11, 25. — Quid aliud exempla a Gern. allata probant, nisi eam, quam defendit lectionem, sine ullo incommodo ab auctore præferri potuisse? Sed non hoc agitur, an ab auctore præferri potuerit, sed an vere prælata fuerit : atque unius cod. auctoritas non potest deturbare lect. et jure prorsus latinam, et omnium libb. consensu firmatam. Et tamen Beierus Gern. sequitur, non autem Sch.

14. *Hominum ratione*. Al. « omni

verecundiam. Justitiæ partes sunt, non violare homines; verecundiæ, non offendere[15]: in quo maxime perspicitur vis decori. His igitur expositis, quale sit id, quod decere dicimus, intellectum puto.

100 Officium autem, quod ab eo ducitur, hanc primam[16] habet viam, quæ deducit ad [17]convenientiam, conservationemque naturæ: quam si sequemur ducem, numquam aberrabimus; consequemurque[18] et id, quod acutum[19] et perspicax natura[20] est; et id, quod ad hominum consociationem[21] accommodatum; et id, quod vehemens atque forte. Sed maxima vis decori in hac inest parte, de qua disputamus[22]. Neque enim solum corporis[23], qui ad naturam apti sunt,

ratione »: hoc est, in tota ratione vitæ. Facc.

15. *Non offendere.* Hoc respicit reverentiam adversus homines, de quo supra. Dum enim eos veremur, nihil facimus, quod in offensionem incidat. Facc.

16. *Hanc primam habet viam.* Officium, quod inde oritur, hoc primum habet, ut ducat nos ad id, quod natura postulat. Facc.—Gernhardo præferenda videtur ut exquisitior lectio, cui Beierus assentitur. Schützius *primam habet vim.*

17. *Ad convenientiam.* Ad id, quod naturæ convenit, ejusque præcepta conservat. Facc.

18. *Consequemurque.* Vulgata olim erat *sequemur.* Facciol. e suo codice dedit *assequemur.* Gern. eum sequitur notatque: *Assequemurque* et aptius est ad viæ metaph. et facilius potuit ejus syllaba prima ab ultima in *aberrabimus* obliterari. Vid. cap. 31, 110, 36, 130, 41, 148, II, 2, 5. Ernest. recepit *consequemurque.* — Beierus se Gernhardo assentiri declarat, additque: Sensus est: « perveniemus aliquando eo, ut et acuti et perspicaces simus et sociabiles et fortes ». De responsione oppositorum « et id..... et id », vid. Phil. VIII, 3, 10.

19. *Quod acutum.* Primo hoc membro significatur prudentia, altero justitia, tertio fortitudo. Facc.

20. *Natura est.* Gu. quart. « perspicax naturæ est », quod placebat J. F. Heusingero, quia hoc est proprium prudentiæ, rerum naturam perspicere.

21. *Consociationem.* Al. *societatem.* Al. *associationem.*

22. *De qua disputamus.* Hoc est, de temperantia. In ea autem maximam vim decori positam dicit, quia ista maxime temperat motus animi et naturæ accommodat. Facc.

23. *Neque enim solum corporis,* etc. Periodus hæc orta videtur ex monito alicujus grammatici margini adscripto. Facc. — Offensio, quam vir doctus sensit, sed, vitii sede non plane perspecta, levavit audacius, in eo est, quod Cicero, postquam decori officium in convenientia et conservatione naturæ posuit, quæ ducat ad

sed multo etiam magis animi motus probandi, qui item ad naturam accommodati sunt. Duplex est enim 101
vis animorum, atque naturæ[24] : una pars[25] in appetitu posita est, quæ est ὁρμὴ græce, quæ hominem huc et illuc rapit; altera in ratione, quæ docet et explanat, quid faciendum, fugiendumve[26] sit. Ita fit, ut ratio præsit, appetitus obtemperet[27].

XXIX. Omnis autem actio[1] vacare debet temeritate, 102

prudentiam, justitiam, fortitudinem, non addit temperantiam, quam naturæ duce assequamur, sed docet, quale sit id quod deceat, maximamque vim decori inesse in temperantia, id quod satis jam est expositum § 98. Deinde a decori vi recurrit ad naturam, cui et corporis et animi motus esse accommodandos, propterea, quod maxima vis decori sit in hac parte, id est, in decoro. Immo propterea, quod probari non possunt, nisi tales sint, quales natura postulat. Scribendum igitur est : « Sed maxima vis naturæ in hac inest parte, etc. » Vox *decori* nimirum *naturæ* locum occupavit in omnibus nostræ memoriæ codicibus e proximis « in quo maxime perspicitur vis decori ». Ceterum comparetur Finib. V, 12, in primis § 35. Nihil autem frequentius in Ciceronis philosophicis, quam naturæ vim prædicari. Gern. — In his Gernhard. non plane assentimur, quem meminisse decuisset, ea quæ paullo ante de v. *enim* transeundi causa posita dixerat. Sensus enim, ni fallimur, hic est : postquam, quæ sit vis decori, Cicero commonstravit, et quomodo cuique virtuti sit connexum, ideoque homini appetendum ; addit, maximam vim decori esse in temperantia, quod sic confirmat : si probamus motus eos corporis qui ad naturam apti sunt, multo magis animi motus probare debemus, etc.

24. *Atque naturæ.* Ald. Lambin. Pearc. Facc. M. et J. F. Heusinger. Gern. et Schütz. dedere *atque natura*, quod adeo illis necessarium visum est, ut unius MS Groning. auctoritate contenti essent. Nobis eorum lectio aliquid habere videtur nimis duri et inconcinni : nec altera lectio aliquid habere quod tantopere contemni debeat.

25. *Una pars.* Cicero partes animorum dicit, quas facultates nostri appellant, et quæ Græcis sunt μέρη ψυχῆς.

26. *Fugiendumve.* Receperunt Heusingeri post Grævium et Ernest. Non male Gronov. *quid fugiendum*. Ceteri *fugiendumque*. Gern. — Beier. adoptavit lect. « quid fugiendum sit ».

27. *Ratio præsit, appetitus obtemperet.* Sententia margini apposita ad significandum, quod est in sequenti periodo. Facc. — *Ita fit ut r. præsit*, etc. est : Ita naturæ lege subjecti sunt rationi appetitus. Vide cap. 29, 102. In his naturæ principiis Cicero non parcere solet verbis : neque hæc velim excludi, quum omnis temperantiæ officium ex rationis imperio tuendo proficiscitur. Gern. — Cui Beierus assentitur.

XXIX. 1. *Omnis autem actio.* Ex officii descriptione, quæ est in lib. III de Fin. cap. 17, hæc omnia (usque ad *descriptio officii*) consarcinata videntur. Si tollantur, tum sensu, tum ver-

et negligentia; nec vero agere quidquam[2], cujus non possit[3] causam probabilem reddere. Hæc est enim fere descriptio officii. Efficiendum autem est, ut appetitus rationi obediant, eamque neque præcurrant[4], nec propter pigritiam, aut ignaviam deserant, sintque

ba rectius inter se congruent. Facc.— *Omnis autem actio.* Gernhard. scribit « omnis autem ratio »; quia non dici potest *actio agere*, ut viderunt Facc. Pearc. Gesnerus. — Quod autem pro homine rationis participe rationem dicit *agere*, non magis mirum videbitur, quam c. 37, 134 : « Sermo sit lenis... excludat... putet »; et II, 11, 39. Ita certe non opus est conjecturis Lambini « agere quisquam quidquam » et Ernest. qui, intellecto verbo *oportet*, legit « quidquam possis ». Illud vero non mirandum est, eamdem proponi hujus officii definitionem, quæ est *medii officii*, cap. 3, 8, et Fin. l. l. Illa est enim ex Stoicorum tricis repetita, hæc ex rationis vi et natura ducitur. Atque non expellendum hunc locum esse docet etiam § 103, ubi *ad formam* (descriptionem) *officii* revertitur. Ut autem hic, qualis ratio esse debeat, præscribitur, sic deinceps de coercendis appetitibus idem fere præcipi non mirandum est. Gern.—Sch. dedit *ratio*. — *Omnis autem ratio.* Gernhardo, perimportune comparanti II, § 39 pr. dici videtur pro « homine rationis participe ». Quasi vero tum addi potuisset *omnis!* An sunt plures *rationes* ac singulæ? Nec offendere debet v. *actio*, quod sequitur *debet agere*. Ipse Gern. comparat § 134, « sermo ..... in sermone communi vicissitudinem non putet iniquam ». Verum tamen *actio* glossa videtur v. *ratio*, quæ est in bonæ notæ et MSS et edd. vett. Intellige « ratio agendi », ut cap. 7 pr. et Fin. V, 21, 58, ubi quatuor actionum genera honesta dicuntur « prudens, temperans, fortis et justa ratio ». Errat Gernhardus etiam in eo, quod hoc loco aliam, quam *medii* aut *communis officii* definitionem proponi opinatur. Ostendit auctor, quo modo « generali decoro », quod « in omni officio » cernitur, contineatur *pars* illa *generi subjecta*. Vid. § 96 extr. Itaque describit primum hujus officii genus, tum *formam*, cujus vocis vim § 103 pr. neque *Dubois*, neque Mich. Heusinger. satis perspexisse videtur. Equidem accipio pro *differentia specifica* vel *proprietate*. Beier.

2. *Agere quidquam.* Gesnerus conj. *agere quisquam.*

3. *Non possit.* Ern. conj. *non possis* ob præcedens *actio*, et sic est in Exc. Eybi et Bedæ.

4. *Neque præcurrant, nec propter pigritiam, aut ignaviam deserant.* Alii dant « neque præc. propter temeritatem nec propter pigr. » Non, inquit Gern. sine codicum auctoritate. Atque efficiunt hæc quamdam utriusque enuntiationis æquabilitatem. Ex quo auspicari possis juxta *temeritatem* aliud substantivum scriptum fuisse, ut *aut cupiditatem*. Vide cap. 38 pr. Græv. Oliv. Ernest. et Heusinger. duo illa verba tacito post Fr. Fabricium omiserunt. Minus necessaria sunt propter verbum *præcurrere*, in quo est per se temeritatis quædam significatio. — Hæc Gernhard. qui vv. *propter temer.* uncis inclusit. In Beiero non apparent. Schützius ea restituit.

tranquilli, atque omni perturbatione animi[5] careant.
Ex quo elucebit omnis constantia, omnisque mode-
ratio. Nam qui appetitus longius evagantur, et tam-
quam exsultantes[6] sive cupiendo, sive fugiendo, non
satis a[7] ratione retinentur, hi sine dubio finem et mo-
dum transeunt. Relinquunt enim, et abjiciunt obe-
dientiam, nec rationi parent, cui sunt subjecti lege
naturæ: a quibus non modo animi perturbantur, sed
etiam corpora. Licet ora ipsa cernere iratorum[8], aut
eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu commoti
sunt, aut voluptate nimia gestiunt: quorum omnium
vultus[9], voces, motus, statusque mutantur. Ex qui- 103
bus illud intelligitur (ut ad officii formam[10] reverta-
mur), appetitus omnes contrahendos, sedandosque,
excitandamque animadversionem et diligentiam, ut
ne quid temere ac fortuitu[11], inconsiderate, negli-
genterque agamus. Neque enim[12] ita generati a na-
tura sumus, ut ad ludum et jocum[13] facti esse videa-

5. *Omni perturbatione animi.* Facc. delet *animi*, notatque: Nonne appetitus quoque pars animi est? Fortasse vox *animi* irrepsit ex incauta iteratione vocis *omni*: quod non est infrequens in codicibus MSS. — Gernhard. *animi* uncis inclusit.

6. *Tamquam exsultantes*, etc. Qui nihil certi propositum habent, quod cupiant et fugiant. Facc. — Verbum hoc ut alia h. l. ab equis ferocibus, domandisque translata sunt. Gern.

7. *A ratione.* Plurimi libb. omittunt *a*.

8. *Iratorum.* Citat Toup. ad Suidam, p. 324. Hoc me monuit Erfurdt. Gern.

9. *Vultus... statusque.* Reizius: Sic Toup. l. l. hinc illustrans et firmans locum Ciceronis, Tuscul. Quæst. III, 32: « eo enim erat vultu, oratione, omni reliquo motu et statu, etc. » Adde Fin. V, 17, § 47. Gern. — Beier. scribit antique *voltus*, quam solam veram orthographiam declarat.

10. *Ad officii formam. Forma* est descriptio, depicta alicujus rei imago. Ait ergo se rediturum ad exprimendam officii formam, id est, ad illud describendum, ad ea, quæ officio conveniunt, explicanda. M. Heus.

11. *Fortuitu.* Alii, *fortuito.*

12. *Neque enim*, etc. Quo refertur particula *enim*? Si nihil deest, dicendum est, causam afferri, cur nihil temere negligenterque agere debeamus; videlicet quod ad seria, non ad ludum facti simus. Facc.

13. *Et jocum.* Hensingerus e duobus libris Gu. 3 et 4 cum Ascensio interponit præpositionem *ad*, quæ quum ante *severitatem* et *quædam* de-

mur, sed ad severitatem [14] potius, et ad quædam studia graviora atque majora. Ludo autem et joco uti illo quidem [15] licet; sed sicut somno, et quietibus ceteris [16], tum quum gravibus seriisque rebus satisfecerimus. Ipsumque genus jocandi non profusum, nec immodestum, sed ingenuum et facetum [17] esse debet. Ut enim pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam, quæ ab honestis actionibus [18] non sit aliena; sic in ipso joco aliquod probi ingenii lumen eluceat.

104 Duplex omnino est jocandi genus; unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum; alterum, elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. Quo genere non modo Plautus noster [19], et Atticorum antiqua comœdia [20], sed etiam philosophorum Socraticorum [21] libri referti sunt; multaque multorum facete dicta, ut ea, quæ a sene Catone [22] collecta sunt; quæ vocant ἀπο-

beat repeti, non idcirco erat opus ante *jocum*, qui cum voce *ludum* proverbii speciem referre videatur. Cf. in Verr. act. II, lib. I, 60, 155. In reliquis libris omnibus legitur *et jocum*. Vide c: 14 pr. Gern. — Beierus Gernhardo assentitur.

14. *Sed ad severitatem*. Gernhard. delevit *sed*. Sic, inquit, glossatores nimirum sensum explere sæpe conati sunt. — Nobis melius videtur plurium libb. auctoritatem sequi.

15. *Illo quidem*. Al. « illis quidem ». Facc.

16. *Quietibus ceteris*. Casus pluralis duriusculus fecit, ut alii legerent *quietis;* alii aliter. Sed nihil variandum. Ita enim loquutus est etiam Sallustius in bello Catil. cap. 15 (4). Facc. — Vide cap. 36, 131. Gern.

17. *Facetum*. Quintil. lib. VI, 3, 20, *facetum*, ait, citra ridiculum consistere, et esse decoris magis et excultæ cujusdam elegantiæ appellationem. Vide Horat. Sat. I, 10, 44. M. Heus.

18. *Honestis actionibus*. Cum aliis Facciolatus « honestatis actionibus ». Gern.

19. *Plautus et antiqua comœdia*. De Plauti et antiquæ comœdiæ salibus in varias opiniones antiqui scriptores abiere. Alii summopere extollunt, alii contemnunt. Facc. — Vide Horat. ad Pisones, v. 270; Quintil. lib. X, cap. 1, ibique Burmannum: et vid. Vavassor. de lud. dict. sect. II, cap. 1, p. 175 ed. Lips.

20. *Atticorum antiqua comœdia*. Præcipue notat *Aristophanem*. In quo Ciceroni adversatur Aristoteles, Eth. ad Nicomed. VI, 8. Vide Vavassor. de lud. dict. sect. I, cap. 5.

21. *Philosophorum Socraticorum*. In primis Plato et Xenophon notantur.

22. *A sene Catone*. Ex Catonis Censorini libro, exempli causa, multa ponuntur II de Orat. Vide præ ceteris

φθέγματα. Facilis igitur est distinctio ingenui et illiberalis joci. Alter est, si tempore fit, ac remisso[23] animo, libero dignus; alter ne homine quidem, si rerum turpitudini adhibetur verborum obscœnitas[24]. Ludendi etiam est quidam modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus[25], elatique voluptate in aliquam

cap. 67, 6. Multa a Græcis mutuaverat, teste Plutarcho in ejus vita, c. 2 extr. Exstant etiam Plutarchi ἀποφθέγματα: in quibus multa ipsius Catonis dicta referuntur. Hujusmodi sylloge a nostratibus vulgo inscribuntur *Vademecum*, *Anekdotenschatz*, aliisve titulis exornantur. Beier. — Qui statim transp. « facilis est igitur ».

23. *Ac remisso animo.* Non agitato, quieto ad laboris et curarum levamen. Facc. — *Libero dignus; alter ne homine quidem.* Al. « homine dignus »: postea vero « ne libero quidem ». Sed nihil mutandum. Ait enim, jocum honestum tempore adhibitum libero homine dignum esse, obscœnum ne homine quidem. Facc. — At *libero* quis *hominem* opposuerit? Servum scio: *hominem* vereor ut Cicero uspiam dixerit pro homine haud ingenuo. Nam c. 45 extr. errant qui scribunt « nihil homine, nihil libero dignius ». Deinde omnium codd. et imprr. et Nonii constans hæc lectio est « homine dignus; alter ne libero quidem ». Scrib. « remisso homine dignus; alter ne libero quidem ». *Remisso* opponitur *liber:* et *liberum* non intelligo ingenuum, quem Heusingeri volunt, sed qui libere loquitur, non nimis verecundus. Vid. de Orat. II, 62: « Obscœnitas non solum foro digna, sed vix convivio liberorum ». Nat. Deor. I, 44, 123. Laudat Hotting. Quintil. Inst. V, 13, 26, et Martial. I, ep. 68. Huic rationi assentitur etiam vir D. in Ephemer. Jenens. 1801, n. 112. Gern. — Gernhardo Schützius atque Beierus assentiuntur.

24. *Si rerum turpitudini adhibetur verborum obscœnitas.* Gern. post Heusingeros « si rerum turpitudo adhibetur aut verborum obscœnitas ». Non enim, inquit, debet omitti *aut*. Illiberales enim joci versantur aut in rebus turpibus, quum sunt verba honesta, aut in rerum per se non turpium, sed occultandarum commemoratione. Non solum autem utrumque conjunctim non adhibendum est, sed ne alterum quidem. Vide Epist. IX, 22. Cf. de Orat. II, 59. — Gernhardum Beierus sequitur, idemque in seqq. transpon. « ludendi est etiam ».

25. *Ut ne nimis omnia profundamus.* Ut jocus non debet esse profusus, ita neque ludus. Facc. — J. F. Heusingeri lectio, quam unus Lamb. cod. tuetur, « ut ne mimis », Wyttenbachio placuit et Hottingero. Lambini correctio *joca* pro *omnia* miror placuisse Erfurdtio meo. Nunc enim agitur de ludo, postquam de joco satis dictum est. Vir quidam D. in Eph. Jen. 1801, n. 112, corrigit « ut ne nimis nos in omnia profundamus ». Sed quæ sunt ista *omnia?* Ernest. intelligit risum, clamorem, motum corporis, etc. Si *omnia profundamus* retinendum est, nescio an Cicero scripserit « ut ne nimis inania profundamus », oppositis ludendi exemplis honestis. Vid. Tusc. IV, 6, 13. Gern. —Sensus esse potest « ne quovis ludo nimis profuso utamur ». Sed *omnia* interpretari malim « futilissima » vel « ineptissima quæ-

turpitudinem delabamur[26]. Suppeditant autem et campus noster[27], et studia venandi[28], honesta exempla ludendi.

105 XXX. Sed pertinet ad omnem officii quæstionem, semper in promptu habere, quantum natura hominis pecudibus, reliquisque belluis antecedat[1]. Illæ nihil sentiunt, nisi voluptatem[2], ad eamque feruntur omni impetu; hominis autem mens discendo alitur[3], et cogitando, semper aliquid aut anquirit, aut agit[4], videndique et audiendi[5] delectatione ducitur. Quin etiam, si quis est paullo ad voluptates propensior, modo ne sit ex pecudum genere (sunt enim quidam

que», etiam si cum C. G. Lenzio scribere placuerit, «ut ne nimis nos in omnia profundamus», quam cum ipso conjectore intelligere «ludendi genera». Lenior tamen foret medela, «ut ne nimii in o. profundamur», id est, «etiam in nugas et ineptias». Beier.

26. *Delabamur.* Imprr. vett. et multi *dilabamur.*

27. *Campus noster.* Campus Martius, ubi juventus, pila, disco, currendo, luctando, jaculando, equitando, aurigando, et natando corpora exercebat. M. Heus.

28. *Studia venandi.* Venatio, cui Romani admodum dediti erant. Unde Horat. lib. I, Epist. xviii, 48, eam vocat «Romanis solemne viris opus». Plin. Paneg. cap. 81, «experientiam juventutis et voluptatem». M. Heus.

XXX. 1. *Reliquisque belluis antecedat.* Al. *bestiis* et *antecellat.* — De hac hominis præstantia cf. § 11 et ad 50 extr. cl. Aristot. Hist. Animal. I, 1 extr. et de Part. Anim. II, 10, ubi dicitur τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος μόνον μετέχειν τοῦ θείου τῶν ἡμῖν γνωρίμων ζώων, nimirum τοῦ νοεῖν καὶ φρονεῖν, id enim ἔργον τοῦ θειοτάτου esse prædicatur lib. IV, cap. 10, post initium. Beier.

2. *Nisi voluptatem.* Hac voce significatur blandus corporis motus, qui ad gustum et tactum pertinet. Facc.

3. *Discendo alitur.* Ernest. conjec. «quia discendo alitur», nulla ratione, ut nobis videtur: nam sine *quia* omnia coeunt.

4. *Semper aliquid aut anquirit, aut agit.* Totum hoc membrum vacat; et formatum puto ex eo, quod est in cap. 36 de duplici animorum motu. Duo tamen priora verba *semper aliquid* retineri possunt, si conjungantur cum *cogitando.* Facc. — Nihil excludendum. Delectatur Cicero quum ceteris naturæ indiciis et elementis, tum hac parte, ut Fin. V, 15, 43, 20, 55; Tusc. V, 23, 66. *Inquirit* recte tuentur quatuor MSS Gu. Ascens. et Bald. Mentis enim agitatio intelligenda est, non rerum utilium comparatio. Vide not. ad cap. 3, § 9. Rell. *anquirit.* Gern. — Hæc Gern. cujus tamen contextus offert *anquirit*, et sic Beierus.

5. *Videndique et audiendi.* Qui duo sensus referuntur ad cognitionem. Facc.

homines non re, sed nomine), sed si quis[6] est paullo erectior[7], quamvis voluptate capiatur, occultat et dissimulat appetitum voluptatis, propter verecundiam[8]. Ex quo intelligitur, corporis voluptatem non 106 satis esse dignam hominis præstantia, eamque contemni et rejici oportere; sin sit quispiam, qui aliquid tribuat[9] voluptati, diligenter ei tenendum esse ejus fruendæ modum[10]. Itaque victus cultusque corporis ad valitudinem referantur[11], et ad vires, non ad voluptatem. Atque etiam, si considerare volumus, quæ sit in natura[12] excellentia et dignitas, intelligemus[13], quam sit turpe, diffluere luxuria, et delicate ac molliter vivere; quamque honestum, parce, continenter, severe, sobrie.

Intelligendum est etiam[14], duabus quasi nos a na- 107 tura indutos esse personis: quarum una est communis, ex eo, quod omnes participes sumus rationis, præstantiæque ejus, qua antecellimus bestiis, a qua

6. *Sed si quis. Sed* interruptam parenthesi orationem continuat. Conf. lib. II ad Quint. fr. ep. 3. Vid. Cort. ad Cic. lib. XV, epist. 10 princ. Plin. lib. V, epist. 3, 5. M. Heusing.

7. *Paullo erectior.* Si quis ex iis, qui propensi ad voluptates sunt, supra pecudum naturam paullo est erectior. Facc.

8. *Propter verecundiam.* Verecundia est ejus qui veretur et dubitat omnia facere, omni tempore, et omni loco et omnibus præsentibus. Born.

9. *Qui aliquid tribuat*, etc. Qui nolit voluptatem prorsus abjicere, saltem ejus fruendæ modum teneat. Facc.

10. *Ejus fruendæ modum.* Imprr. vett. « modum ejus fruendæ ».

11. *Referantur.* Gern. *referatur*, quia, inquit, *victus cultusque* quasi unum genus efficiunt. — Schütz. sequitur Gernhardum. — Curandum est corpus, est pascendum, ut valeat, et ad ferendum laborem firmum sit; isque debet esse finis victus et cultus, non voluptas. M. Heus.

12. *In natura.* Gern. « in natura hominis ». Genitivum, inquit, egregie addunt nonnulli libri. Intelligenda est enim natura humana, bestiarum naturæ opposita; vid. quæ monui ad cap. 14 pr. — Gernhardo Beierus assentitur.

13. *Intelligemus.* J. F. Heusingerus e libris nonnullis et Nonio in voce *luxuria* scripsit *intelligimus*; quem Sch. sequitur.

14. *Intellig. est etiam.* J. F. Heus. e Gu. sec. « Intelligendum etiam est ». Beier. « Intelligendum est autem » e Gu. 3, qui habet « Intelligendum est autem etiam ».

omne honestum decorumque trahitur, et ex[15] qua ratio inveniendi officii exquiritur; altera autem, quæ proprie singulis est tributa[16]. Ut enim in corporibus magnæ dissimilitudines sunt (alios enim videmus velocitate ad cursum, alios viribus ad luctandum valere; itemque in formis aliis dignitatem[17] inesse, aliis venustatem), sic in animis[18] exsistunt etiam[19] majores
108 varietates. Erat in L. Crasso[20], et in L. Philippo[21] multus lepos; major etiam, magisque de[22] industria, in C. Cæsare[23], L. F. At iisdem temporibus in M. Scauro[24], et in M. Druso[25] adolescente, singularis severitas; in C. Lælio[26] multa hilaritas; in ejus familiari Scipione ambitio major[27], vita tristior. De Græcis autem, dul-

15. *Et ex qua*. Copula non est in Gu. tert. nec in Goth. qui præbet *ex quo*, quod Ernest. recepit. Sed quomodo ex ratione atque ea præstantia, qua antecellimus bestiis, «ratio inveniendi officii» exquiratur, Cic. ostendit supra cap. 4. J. F. Heus.

16. *Tributa*. Gern. post Facciolat. *attributa*. Hoc est, inquit, descripta et destinata (vid. pro Sext. cap. 30, 66). Quod cap. 4 pr. dicitur *tributum*, omnium animalium commune est: hoc cujusque proprium.

17. *Aliis dignitatem*, etc. Aliis pulchritudinem virilem, aliis muliebrem. Facc.

18. *Sic in animis*. Gu. quart. impress. vett. «sic et in animis».

19. *Etiam majores*. J. F. Heusing. e suis libris quibusdam *majores etiam*.

20. *In L. Crasso*. De quo vide Ciceronem in Bruto, c. 40, «non enim fere quisquam, etc.» et in de Orat. II, 54.

21. *Philippo*. De eo vid. Brut. cap. 47; de Orat. II, 78.

22. *De industria*. Id est, quæsitus. In Crasso enim et Philippo lepos erat potius a natura. Facc. — De C. Julio Cæsare Strabone vide Brut. cap. 48. Gern.

23. *In C. Cæsare*. Is fuit C. Cæsar Strabo, quo et filio negat quemquam in Bruto Cicero sale et lepore conditiorem fuisse. Hinc in lib. II de Orat. ipsum induxit de facetiis disputantem. Græv.

24. *In M. Scauro*. Quanta fuerit in illo gravitas quum multis aliis locis Cicero testatur, tum in primis in Brut. cap. 29. Græv.

25. *In M. Druso*. Is fuit M. Drusus C. filius, qui in tribunatu C. Gracchum collegam iterum tribun. fregit, «vir et oratione gravis et auctoritate», ut de illo Tullius testatur in Bruto, cap. 28. Græv.

26. *Lælio*. Quem de amicitia Cicero disputantem fecit in Lælio. Vid. etiam pro Mur. cap. 31, et Brut. cap. 21.

27. *Ambitio major*. Placendi studium majus; quod refertur ad ambitionem et honorum petitionem. Facc. — Hæc interpretatio, J. F. Heusing. probata, placet etiam Hottingero in nota ad h. l. p. 144 et seq. ita, ut *am-*

cem et facetum, festivique sermonis, atque in omni oratione simulatorem[28], quem εἴρωνα Græci nominaverunt, Socratem accepimus: contra, Pythagoram[29] et Periclem[30] summam auctoritatem consequutos, sine ulla hilaritate. Callidum Hannibalem, ex[31] Pœnorum; ex nostris ducibus Q. Maximum accepimus: facile celare, tacere, dissimulare, insidiari, præcipere[32] hostium

bitionem doceat non esse honoris cupiditatem (vid. Læl. cap. 3, 11, « qui consulatum petivit numquam, factus est consul bis »), sed hilaritatem magis de industria, quum natura esset tristior. Grævio et Ern. sine ratione *ambitio* videtur esse Græcorum σεμνότης, gravitas quædam ac velut majestas. Gern.—Equidem parum absum, quin « de specie atque pompa in dicendo » accipiam: quo sensu Horatius, Art. Poet. 447 seq. « ambitiosa ornamenta » dixisse videtur pro « ambitiose quæsitis ». Nam Lælius in oratione « lenitatem, Africanus gravitatem » habuisse dicitur Orat. III, cap. 7, et posuit auctor hic maxime oratorii ingenii virtutes in exemplis, ut doceat, id maxime decere « quo sua quemque natura maxime ferre videatur » (ibid. cap. 9; cf. infra § 113 extr.) Beier.

28. *Simulatorem*. Hoc loco *simulator* ad laudem refertur. Alii tamen legunt *dissimulatorem*. Facc. — *Dissimulatorem* est proba Lambini et Pearcii conjectura. Quamquam Socrates, « qui se omnium rerum inscium fingit et rudem » (vid. Brut. cap. 81), quidni pari jure dicatur simulasse ignorantiam, ac scientiam dissimulasse? Nihilo minus statim recipiam *dissimulatorem*, si modo unius libri fide confirmatum sit. Vid. Orat. II, 67, et Academ. IV, 5, quos l. laudat Heusing. Gern. — *Simulatorem*. Non, ut Sch. perhibet, *dissimulatorem* corrigi voluit Aldus; sed librorum lectionem ab hac mutatione vindicavit, quia εἴρων, interprete Quintiliano, IX, 2, 46, est « agens imperitum et admirator aliorum tamquam sapientum ». Cicero in Bruto, 85, 292; Seneca de Benef. V, 6 extr. Timon apud Diogen. Laert. II, 19; Plutarch. in Caton. Maj. cap. 7; *Fraguier, sur l'ironie de Socrate* in *Mém. de l'Académ. des Inscriptions*, tom. IV, et G. F. Sievers. de Methodo Socratica, Slesvici 1810, p. 44 seq. Beier.

29. *Pythagoram*. Ex insula Samo, discipulus Pherecidis et Thaletis, auctor scholæ Italicæ, dein obiit Crotonæ in Græcia Magna. Barb. — Pythagoras autem ἀπείχετο καταγέλωτος καὶ πάσης ἀρεσκείας, οἷον σκωμμάτων, teste Diogen. Laert. VIII, § 20 pr. Ejus *auctoritas* prædicatur Tuscul. I, cap. 16 extr. et Nat. Deor. I, 5, 10 extr. Justin. XX, 4. Conf. Brockhausii *Real-Encyklopädie*, tom. VII, p. 291 seq. ed. V. Beier.

30. *Periclem*. Vid. Plutarch. in Pericle; Thucydid. lib. II; Cic. de Orat. lib. III, cap. 34; Val. Max. VIII, 9 extr. 2.

31. *Ex Pœnorum*. Quidam libb. addunt *gente*, al. *ducibus* ex glossa. — *Callidum Hannibalem*. Cf. multorum instar Liv. XXI, 4; Æmil. Prob. XV pr. Lucian. Dial. Mort. XII, § 6 pr. De Q. Maximo vid. ad 84, pag. 193. Beier.

32. *Præcipere*. Al. *præripere*. *Præcipere* post C. Langium, F. Fabric.

consilia. In quo genere Græci Themistoclem[33], et Pheræum Jasonem ceteris anteponunt: in primisque versutum et callidum factum Solonis[34]: qui, quo et tutior vita ejus esset, et plus aliquando[35] reipublicæ
109 prodesset, furere se simulavit. Sunt his alii multum dispares, simplices et aperti: qui nihil ex occulto, nihil ex insidiis[36] agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimici. Itemque alii, qui quidvis perpetiantur, cuivis deserviant, dum, quod velint, consequantur: ut Sullæ M. Crassum[37] videbamus. Quo in genere versutissimum et patientissimum Lacedæmonium Lysandrum[38] accepimus; contraque Callicratidam[39], qui præfectus classi[40] proximus post Lysandrum fuit:

Græv. Oliv. Ern. receperunt Heusingeri e Goth. Gu. 4, et uno Ox. Idem legitur in λ et μ, favetque in Gu. 5 a prima m. *percipere*. Vid. cap. 23 versus finem « præcipere cogitatione futura ». Gern.

33. *Themistoclem*. Imprr. vett. addunt *Atheniensem*. — De *Themistoclis calliditate* vid. maxime Æm. Prob. II, 4, 4, cap. 5, 2, cl. Plutarcho in vita cap. 12, 16 extr. *Jason* autem intelligitur ille, qui Pheris in Thessalia regnavit, cujus post Thebanorum victoriam Leuctricam res gestas attingit Xenophon, Hellen. VI, 4, 20 seqq. Cf. Diod. Sicul. XV. Beier.

34. *Factum Solonis*. Quum capitale esset apud Athenienses ferre legem de vindicanda a Megarensibus Salamina, Solon, simulata stultitia, id suasit, quod vetabatur, resque prospere cessit. Facc. — Vide Plutarch. Sol. c. 8; Justin. lib. II, 7. Gern.

35. *Aliquando*. Sic et cod. Gothofr. reposuit. Ern. ceteri et libri et critici *aliquanto*, quod J. F. Heusinger. interpretatur *plus multo*.

36. *Ex insidiis*. Gern. qui habet in contextu « ex insidiis », dare voluisse videtur « de insidiis »; quod edidere Schütz. et Beier.

37. *Sullæ M. Crassum*. Hoc Grævius edidit ex uno suo codice. Ernest. sequutus est. Ceteri omnes critici ex libris omnibus dederunt « Sullam et M. Crassum », quod egregie defendunt Heusingeri, jubentque videre Sallust. Jug. cap. 95 et 96; Plutarch. Sulla, p. 453 sqq. Fr. et Heusingeros Gern. Schütz. et Beier. nuper sequuti sunt. Vid. Plutarch. in Crasso, cap. 1, 3, ejusque compar. cum Nicia, cap. 1, 2 pr.

38. *Lysandrum*. Vide Cornel. Nep. in ejus vita, et Plutarch. in ejus vita, cap. 6 et 7.

39. *Callicratidam*. De hoc et Lysandro vide Xenophon. Ἑλληνικ. lib. I sub fin. de *Callicratida* vide supra cap. 24.

40. *Præfectus classi*. Alii, *classis*. Facc. — Schütz. optimorum librorum lectioni hic prætulit dativum *classi*. Sed v. præter Schelleri Lex. tom. IV, p. 8281; Verr. V, 34, 88 extr. Plin. Hist. Nat. VI, cap. 17. Velleius, II,

Itemque in sermonibus alium[41], quamvis præpotens sit, efficere, ut unus de multis[42] esse videatur. Quod in Catulo, et in patre, et in filio; idemque[43] in Q. Mucio Mancia[44] vidimus. Audivi ex majoribus natu, hoc idem fuisse in P. Scipione Nasica; contraque patrem ejus, illum, qui Tib. Gracchi conatus perditos vindicavit, nullam comitatem[45] habuisse sermonis: ne Xenocratem quidem[46], severissimum philosophorum;

73, 3, dicit « præfectos classium ». Beier.

41. *Alium, quamvis.* Gern. scribit *alium quem*, notatque: Hæc structura pendet ab *accepimus*, in quo est *scimus*. Quare in nonnullis libris glossema adscriptum est *videmus* vel *accepimus*. Orat. II, 22, 90. Pronomen *quem*, a Græv. Facciol. et Ernest. exclusum, Heusingeri restituerunt. In libris Lang. et Græv. est « alium quemque ». Al. « alium quidem ». — Pearc. et Heumann. conjic. *aliquem*, quod Beier. dedit.

42. *Unus de multis.* Minime ceteros dignitate præstare videatur, adeo comis est in sermonibus, adeo nihil præ aliis sibi arrogat. — Facciolatus junxisse videtur « in sermonibus præpotens », perperam hæc postrema interpretatus: « dissimulet facundiam »: immo nobilitatem et dignitatem! Beier.

43. *Idemque.* Gernhardus *itemque* scribit. Ita, inquit, Pearcium cum MSS Angl. Ven. 4 (Ascens. *itemque et*), Ernest. et Heumann. præferunt. *Itemque* scripsit Grævius e MSS in V. L. in textu, ut reliqui, *idemque*. Gern. — Beier. cum Gernhard. facit.

44. *Q. Mucio Mancia. Mancia*, quod ignoti hominis nomen in quibusdam libris corruptum est, in veteribus se reperisse ait Turnebus, Advers. XXVIII, 39. P. Corn. Scipio Nasica est ille in consulatu a. U. 642 mortuus. Vid. Wetzelii Exc. ad Caton. Maj. § 8, 5, p. 504, 506 de « patre, Serapione », cl. Brut. cap. 58; Phil. VIII, 3, 13 extr. vide supra ad § 76 extr. Beier.

45. *Nullam comitatem.* Nullas sermonis blanditias, quibus caruit Xenocrates: ob hoc autem ipsum celebratus est. Facc.

46. *Ne Xenocratem quidem.* Gern. delet *ne*, notatque: Hoc unus defendit Goth. (*equidem* corrupte pro *quidem*) hoc sensu: Quid? quod Xenocratem audivi severissimum philosophum fuisse ob eamque severitatem magnum et clarum. Vid. II, 17, 59, « L. quidem Philippus », et supra cap. 26, 90, « Panætius quidem ». Reliqui libri, ut Fabricii, Grævii, et nonnulli Heusing. « ne Xenocratem quidem », quod omnibus, quos scio, recentior. editor. placuit. Intelligunt enim « comitatem habuisse sermonis »; verba autem « severissimum philos. » esse in appositione. Verum enim, si Xenocrates fuit severissimus, quis miretur eumdem non comem fuisse? Immo hoc animadvertendum erat, Xenocratem severitate clarum fuisse. Ad hunc enim pertinet illud Platonis: θύε ταῖς Χάρισι, apud Diog. Laert. lib. IV. Heumannus autem parerg. crit. p. 55, hæc omnia « nec non X. q. sev. phil. » delenda censuit. Tum autem Nasica

ob eamque rem ipsam magnum clarumque[47] fuisse. Innumerabiles aliæ dissimilitudines sunt naturæ morumque, minime tamen vituperandorum[48].

110 XXXI. Admodum autem tenenda[1] sunt sua cuique, non vitiosa, sed tamen propria, quo facilius decorum illud, quod quærimus, retineatur. Sic enim est faciendum, ut contra universam naturam[2] nihil contendamus; ea tamen conservata, propriam[3] naturam sequamur: ut, etiam si sint alia graviora atque meliora, tamen nos studia nostra[4] nostræ naturæ regula[5] metiamur. Neque enim attinet repugnare naturæ, nec

diceretur magnus et clarus fuisse, quod nullam habuerit comitatem, qui est Gracchi cæde gloriam adeptus. Vid. cap. 22 med. — Beierus cum Gernhardo facit. Heumannus exemplum Xenocratis insititium putabat, non improbante M. Heus.

47. *Magnum clarumque fuisse.* Quia hexametri versus finem hæc verba præbent, J. F. Heusinger. ex Gu. omnibus et Gryph. mutavit in « magnum et clarum », quem Schütz. sequutus est cum Beiero.

48. *Minime vituperandorum.* Quia in variis formis est sua cuique laus. Facc.

XXXI. 1. *Tenenda.* Facc. cum impr. vett. et quibusdam libb. *tuenda. Tenenda* stabilitur codicibus Victorii, Lang. Lamb. J. F. Heusingeri, exceptis libris imprr. Gern.

2. *Contra universam naturam.* Sic fere omnes critici e suis libris. Facc. cum impr. vett. « contra naturam universam ». Huic opponit *propriam*, quam sequi licet, nisi illa universæ naturæ, quæ omnibus communis est, repugnet, id est, nisi fuerit vitiosa, honesto et decoro adversaria. M. Heus.

3. *Propriam naturam.* Al. non probantes *naturam*, legunt *nostram*. Ego existimo sive *nostram*, sive *naturam* ex margine irrepsisse. Facc. — *Nostram* male apposuerunt in codd. Guilielmi, Grut. et uno Grævii, omissa voce *naturam*, quæ est in imprr. vett. neque debebat omitti, quum primum fieret hæc utriusque naturæ oppositio. Gern.

4. *Studia nostra nostræ naturæ regula.* Hunc locum Ern. et J. M. Heusing. restituerunt, quum plurimi libri, pronomine *nostra* omisso, *nostræ* retinuerunt: contra Nonius, sub voce *Grave*, *nostra* scripsit, alterum expulit. Nonium sequuntur Facciolatus et Oliv. *Nostræ* abesse non debet, quod non universæ naturæ regula intelligenda est, sed propriæ. Pearcii correctionem *nostra studia nostræ nat. r. m.* præfert Erfurdt. Pearcius etiam omittit *nos*. Vis est autem quædam in pronomine *nos*, oppositis *aliis*, qui latent in *alia*: major etiam in *nostræ*, a quo facile potuit *nostra* obliterari, quod minus, quam illud, habet gravitatis. Gern.

5. *Naturæ regula.* Ea quisque sequatur studia, ad quæ idoneus est et suapte natura fertur. Facc.

quidquam sequi, quod assequi nequeas. Ex quo magis emergit, quale sit decorum illud, ideo[6], quia nihil decet invita, ut aiunt, Minerva[7], id est, adversante et repugnante natura. Omnino si quidquam est deco- 111
rum, nihil est profecto magis, quam æquabilitas universæ vitæ[8], tum singularum actionum: quam conservare non possis, si aliorum naturam imitans[9], omittas tuam. Ut enim sermone eo debemus uti, qui notus[10] est nobis, ne, ut quidam, græca verba inculcantes jure optimo irrideamur[11]: sic in actiones, omnemque vitam, nullam discrepantiam conferre debemus. Atque hæc differentia naturarum tantam 112
habet vim, ut nonnumquam mortem sibi ipse consciscere alius debeat[12], alius in eadem causa non debeat[13]. Num enim[14] alia in causa M. Cato[15] fuit, alia

6. *Ideo, quia nihil.* Nonnulli libb. «ideoque nihil».

7. *Invita, ut aiunt, Minerva.* Horat. ad Pisones, v. 385: «Tu nihil invita dices faciesve Minerva».

8. *Æquabilitas vitæ.* Al. «æqualitas vitæ». Facc.—Vid. cap. 26 pr.

9. *Imitans.* Facc. cum sat multis libb. scribit *imiteris*. — *Imitans* optimorum et plurimorum librorum consensu comprobatur. Gern.

10. *Qui notus.* Gern. *natus.* Hoc, inquit, F. Heusinger. recte recepit, i. e. in quo nati sumus. Vid. Orat. III, 32, 131, quem dicit Curt. VI, 10, 23, «nativum sermonem». Cic. Lucull. cap. 25, de communibus locis: «domi nobis ista nascuntur». Altero loco, quem Heusinger. laudavit, Orat. III, 38. Schützius *verba nata* mutavit in *verba nativa*, et Schütz. dedit *natus*, cum Beiero.

11. *Irrideamur.* Gernhardus exhibet *rideamur*.

12. *Alius debeat.* Al. «aliquis debeat». Stoici, quos maxime sequitur in hoc opere Cicero, ne vitam quidem ipsam inter bona ponebant; ideoque deserendam arbitrabantur, si forte cum virtute ac dignitate retineri non posset. Facc. — Vid. Fin. III, 10, 60—61. Gern.—*Aliquis* pro vulgato *alius*, auctore Gœrenzio ad Fin. III, 16, 63 pr. ubi Tusc. IV, 28, 60, comparat, Beierus restituit e duobus ll. MSS et ed. Magont. Venet. 1498, Lips. 1507 et 1513, et Lugd. 1527.

13. *Alius in eadem causa non debeat.* Hæc a multis libris absunt: et in multis magna varietas scripturæ.

14. *Num enim.* Sat multi libri *non enim*, quod sequens *atqui* vitiosum esse ostendit.

15. *M. Cato.* Cato Uticensis sibi mortem conscivit, ne vitam Cæsari deberet: quod reprehenditur a D. Augustino, in lib. I de Civ. Dei, c. 18. Videtur in causa fuisse, non «honestas turpia præcavens, sed infirmitas adversa non sustinens». Facc.

ceteri[16], qui se in Africa Cæsari tradiderunt? Atqui[17]
ceteris forsitan vitio datum esset, si se interemissent,
propterea quod eorum vita lenior[18], et mores fuerant
faciliores: Catoni autem quum[19] incredibilem tribuisset
natura gravitatem, eamque ipse perpetua constantia
roboravisset, semperque in proposito, susceptoque
consilio permansisset, moriundum potius, quam ty-
113 ranni vultus adspiciendus[20] fuit. Quam multa passus
est Ulysses[21] in illo errore diuturno, quum et mu-

16. *Alia ceteri.* Gern. scribit « in alia ceteri » cum Gu. 5, Ascens. et Anem. Conferrique jubet c. 34, 127. Alii, *atque ceteri.* — Beierus Gernhardum h. l. reprehendit.

17. *Atqui.* Ald. Manut. cum quibusdam libb. *atque.*

18. *Quod eorum vita lenior.* Gern. transponit « quod lenior eorum vita ». Hunc ordinem, inquit, Cicerone dignum Heusinger. sequutus est fide omnium Gu. et Gryphii. — Et Schützius J. F. Heus. sequitur : nobis melius sibi respondere videtur adjectivus in clausula utriusque membri.

19. *Catoni autem quum.* Gern. delere voluit *autem*, quamquam in contextu remanserit.—Satis aperta autem est Catonis oppositio. Idcirco Heusingerum sequutus sum, hic ut paullo post, ubi *roborasset* quum scripsit pro *roboravisset*, quod juxta *tribuisset* et *permansisset* ingratum sonum efficere sensisse videtur etiam Ascensius. Gern. — Nobis *autem* vim addere videtur per asseverationem : et nimium Gernhardus auctoritate J. F. Heusingeri tribuit, quum eam complurium librorum consensui præponit. Schütz. h. l. eum non sequutus est, tenuitque *autem* et *roboravisset.* Beierus autem Gernhardum sequitur.

20. *Quam tyranni vultus adspiciendus fuit.* Gern. post J. F. Heus. « q. t. vultum adspiciendum fuit ». Gerundium, inquit, cum accusativo hoc quidem loco placuisse Ciceroni videtur propter similitudinem verbi *moriendum.* Heusingerus laudat epist. V, 17 extr. Gern.—Nobis nominativus longe elegantior videtur, quod Gernhardum aures monere debuissent, si fere omnium libb. consensus, a J. F. Heus. vestigiis eum non deterruisset. Certum est hanc alteram lect. scribis deberi, qui secundum sententiæ membrum primo simile esse voluerint. Schütz. vulg. retinuit cum Beiero.—De Catonis morte cf. Horat. Carm. III, 21, 11; II, 1, 24; Epist. I, 19, 12. In ejus laude concinunt Sallust. Cat. 54, et Velleius, II, 35, 2, cum Cicerone, qui *hoc lumen* (III, § 66) cælo æquaverat libro singulari, quem memorant Tacit. Annal. IV, 34; Gellius, XIII, 18, et Plutarch. in Cic. c. 39, eique laudationi Cæsar opposuerat duos libros Anticatones, in quibus collegerat vitia Catonis. Vid. Att. XII, ep. 40, 1; Quintil. III, 7, cum Colomesii ibi nota permemorabili. Beier.

21. *Ulysses.* Ulyssem memorat et Ajacem; quia tamquam adversarii ab Homero inducuntur. Facc. — Gern. cum Heusing. et Schütz. scribit *Ulixes*, quod forte verius est.

lieribus (si Circe et Calypso[22] mulieres appellandæ sunt) inserviret, et in omni sermone omnibus affabilem[23] se esse vellet! Domi vero[24] etiam contumelias servorum ancillarumque pertulit, ut ad id aliquando, quod cupiebat, perveniret[25]. At Ajax[26], quo[27] animo traditur, millies[28] oppetere mortem[29], quam illa perpeti, maluisset. Quæ contemplantes expendere oportebit, quid quisque habeat sui[30]; eaque moderari, nec velle experiri, quam se aliena deceant[31]. Id enim maxime quemque decet, quod est cujusque[32] maxime

22. *Circe et Calypso*. De Circe, Solis filia, et Calypso, filia sive Atlantis, sive Oceani, ad quas Ulysses delatus est, vide Hyginum, Fab. 125. Facc. — De ejus apud Circen hospitio Homer. Od. K, a v. 261, itemque apud Calypso H. 255 sqq. et Priapeium carmen, LXIX, 11 sqq. Beier.

23. *Affabilem*. Gern. addit *et jucundum*, notatque: Absunt hæc verba ab Ernestii et Heuss. libris scriptt. et imprr. restituta autem sunt ab Anemœcio, Victor. Gruter. e Palat. pr. Oliv. et rell. vid. II, 14 pr. In Ascensiana legitur «jucundum omnibus se et affab. esse vellet». — Schütz. Gernhardum sequitur.

24. *Domi vero*. Domi ignotus mansit, ut procos occideret. Facc.

25. *Perveniret*. Gern. *veniret* scribit, vulgatamque ortam putat e voce *pertulit*. Sed quæ est illa cum Heus. mutandi libido, quum soni ratio suadet *perveniret*, et aures acutæ necessario desiderant?

26. *Ajax*. Telamonius, qui, quod Achillis arma abjudicata fuissent, in furorem actus se ipsum occidit. Facc.

27. *Quo animo*. Pro, eo animo, quo fuisse traditur. Facc.

28. *Millies*. Gern. scripsit *milies* cum quibusdam MSS et imprr.

29. *Oppetere mortem, quam illa perpeti, maluisset*. Ex uno Gu. 2, J. F. Heusing. temerarie addit *potius* post *mortem*, quod exemplis confirmat: et Gern. quamquam in textum non intulit, in nota approbat; nobis inane videtur lect. mutandæ causas quærere, quum vulgata et probe latina est, et omnibus libb. confirmata. Gernhardum tamen Beierus sequitur, non autem Schütz.

30. *Habeat sui*. Suæ naturæ proprium. Facc.

31. *Aliena deceant*. Al. ut Gu. 2, et quidam imprr. vett. «aliena dedeceant». Gern. — *Aliena deceant*. Nihil mutandum: sensus est: An recte et decore alios sui dissimiles imitari posset. M. Heus.

32. *Cujusque maxime suum*. Hic verborum ordo Langio, Grævio, Ernestio et Heusingero placuit. Plerique libri Heuss. et Facciolatus «cujusque suum maxime». In Ascens. «suum cujusque maxime», ut c. 7, 21, et III, 12 extr. At enim hic locus propter vim pronominis *suum* alium ordinem, eumque quem dedimus, postulat, ut alterum *suum*, quod sequitur, auctoritate Nonii in v. *acre*, tum etiam Gothani, qui *suum* omittit, primum locum sibi vindicavit. Gern.

114 suum. Suum igitur quisque[33] noscat ingenium, acremque se et bonorum et vitiorum[34] suorum judicem præbeat: ne scenici[35] plus, quam nos, videantur habere prudentiæ. Illi enim non optimas, sed sibi accommodatissimas fabulas eligunt. Qui voce freti sunt, Epigonos[36], Medumque[37]; qui gestu, Menalippam, Clytæmnestram[38]; semper Rupilius[39], quem ego memini, Antiopam[40]; non sæpe Æsopus[41] Ajacem[42]. Ergo histrio hoc videbit in scena, non videbit vir sapiens in vita[43]? Ad quas igitur res aptissimi erimus,

33. *Igitur quisque*. Gernhard. cum J. F. Heus. Beiero sequente, ex Gu. 1, 5, et Nonio l. l. « quisque igitur noscat ingenium ».

34. *Et vitiorum*. Facc. e Nonio scribit *et malorum*.—*Mala* aliis locis recte opponuntur *bonis*. Hic tamen recte placuit editoribus, quod in Gothano legitur, quum reliqui libri transponant « et vitiorum et bonorum suorum ». Gern.

35. *Scenici*. Histriones, qui fabulas in scenis agunt.

36. *Epigonos*. Accii tragœdiam. Sunt autem Epigoni auctores secundi belli Thebani, quorum nomine Euripides tragœdiam scripsit. Hanc imitatus est Accius. Facc.

37. *Medumque*. Pacuvii tragœdiam a Nonio et Charisio citatam. Alii leg. *Medeamque*. Medum autem esse volunt Medeæ filium. Facc.—Suffragantur MSS Victorii, Balduini, Gu. omnes cum Goth. et Magont. Gern.

38. *Clytæmnestram*. Quæ maritum Agamemnonem Ægisthi amoribus implicita necavit. Hanc quoque Accius ex Græcis in scenam induxit, itemque Menalippam. Facc. — In hac fabula (ap. Hygin. 280) sequutus fuerat Euripidem, e cujus Melanippa plura servata sunt fragmenta. Citari vides e. c. in Platon. Sympos. p. 1077 B. et in Erotiani Lex. Hippocrat. s. v. Ἀλάστορος. Beier.

39. *Rupilius*. Imprr. vett. *Rutilius*.

40. *Antiopam*. Pacuvii vel Livii Andronici. Vide Fabr. Bibl. latin. vol. I, p. 668 sq. — *Antiopam*. Pacuvii, cui præiverat Euripides (Fin. I, 2, 4; de opt. gen. or. c. 6), e cujus tragœdia exstant fragmenta in ed. Barnesii et Musgravii. Vid. Valkenarii diatribe de fragmm. Eurip. c. 7 et 8. Apud Hygin. in fabulæ 8 inscriptione nescio an ex errore scribatur Antiopa Euripidis, quam scribit Ennius. Hanc igitur agebat Rupilius. Beier.

41. *Æsopus*. Vid. lib. VII, epist. 1, 5 et 14; lib. I, ad Quint. fr. ep. II, 4; Macrob. Sat. lib. II, c. 10. M. Heus. —*Æsopus*. Roscio lentior, sed gravior, tragœdias egisse memoratur Quintiliano, XI, 3, p. 706 extr. ed. Capperonner. Horat. II, epist. 1, 82; Plutarch. in Cicer. c. 5. Sed prius jam de scena decesserat propter ætatem. Beier.

42. *Æsopus Ajacem*. Ennii vel Livii. M. Heus.

43. *Non videbit vir sapiens in vita?* Facciolatus et Ernestius « vir sapiens ». Sed *sapiens* solet substantivi vim habere, ut III, 9, 38, aptius-

in iis potissimum elaborabimus. Sin aliquando necessitas nos ad ea detruserit, quæ nostri ingenii non erunt : omnis adhibenda erit cura, meditatio[44], diligentia, ut ea, si non decore, at quam minimum[45] indecore facere possimus. Nec tam est[46] enitendum, ut bona, quæ nobis data non sint[47], sequamur[48], quam ut vitia fugiamus.

XXXII. Ac duabus iis personis, quas supra dixi, tertia adjungitur, quam casus aliqui[1], aut tempus imponit; quarta etiam[2], quam nobismet ipsi judicio nostro accommodamus[3]. Nam regna, imperia, nobi- 115

que opponitur *histrioni*. Gern. — Ex his videtur Gern v. *vir* abjicere voluisse, quæ tamen ejus in textu remansit. Schütz. eam abjecit. Præterea Grut. Gron. Oliv. scribunt cum quibusdam libris, « quod non videbit ».

44. *Meditatio* dicitur de præparatione et exercitatione quasi ludicra prædiscentium ea, quæ aliquando serio agenda sunt. Plinio, Paneg. 13, 1, armorum tractatio dicitur « meditatio campestris », et Xenophonti, Cyrop. I, 2, 10, venatio μελέτη τῶν πρὸς τὸν πόλεμον, et supra, p. 15, innuimus, cur tota philosophorum vita dicatur « meditatio moriendi », nimirum quatenus illi, ut ait Plato in Phædone, § 9, οὐδὲν ἄλλο ἐπιτηδεύουσι ἢ ἀποθνήσκειν τε καὶ τεθνάναι· et 12, τὸ μελέτημα... ἐστὶ τῶν φιλοσόφων λύσις καὶ χωρισμὸς ἀπὸ τοῦ σώματος. Beier.

45. *Quam minimum*. Gern. scribit « quam minime ». Hoc, inquit, recepit etiam Heusinger. post Facc. ex MSS Gu. Goth. excerpt. Bedæ atque Eybi, et imprr. vett. A nostra autem ratione mirum quantum discrepat Anemœcii lectio, « si non optime; at non indecore f. p. » quæ pro interpretamento habenda est.

46. *Nec tam est*, etc. Qui ea suscipere coguntur, quæ non sunt ingenii sui, et aliorum personam induere, non tam curare debent, ut bona sequantur, quam ut vitia fugiant. Facc.

47. *Non sint*. Alii *sunt;* sed meliores libri cum Ern. defendunt *sint*. Recte. Sensus est: si qua bona nobis data non sunt, ut § 110, « quod assequi non queas ». Gern.

48. *Sequamur*. Gern. *assequamur* scribit, notatque : Anemœc. *consequamur*, quod placet J. F. Heusingero. Mihi arridet *assequamur*, ut huj. cap. § 110, et cap. 28, 100, 36, 131. Simplex verbum *sequi* repudiant proxima *data* et *enitendum*.

XXXII. 1. *Casus aliqui*. Alii, *aliquis* cum imprr. vett.

2. *Quarta etiam*. Oppositionis ratio hæc est : *quarta etiam* (persona adjungitur), quam non natura (conf. 107 pr.), non casus aliqui aut tempus imponit, sed, « quam nobismet ipsi... accommodamus ». Beier.

3. *Nobismet ipsi..... accommodamus*. Al. *accommodabimus*. Facc. — Idem cum plurimis libris retinuit « nobismet ipsis », quod et loci natura et fides codicum jubent mutare in « nobismet ipsi ». Opponitur enim casus aut tempus, quod, ut natura primam

litates, honores, divitiæ[4], opes, eaque, quæ sunt his contraria, in casu sita[5], temporibus gubernantur[6]. Ipsi autem gerere quam personam[7] velimus, a nostra voluntate proficiscitur. Itaque se alii ad philosophiam, alii ad jus civile, alii ad eloquentiam applicant; ipsa-
116 rumque virtutum in alia alius[8] mavult excellere. Quorum vero patres, aut majores aliqua gloria præstiterunt, ii student plerumque eodem in genere laudis excellere[9]: ut Q. Mucius[10], P. F. in jure civili; Paulli filius[11] Africanus in re militari. Quidam autem ad eas laudes, quas a patribus acceperunt, addunt aliquam suam: ut hic idem Africanus eloquentia cumulavit bellicam gloriam. Quod idem fecit Timotheus[12], Cononis filius, qui, quum belli laude non inferior fuisset,

personam et secundam, sic tertiam nobis imponit, quartam ipsi eligimus. Ex oppositione autem potissimum petendum est hujus pronominis referendi judicium. Vide notata ad cap. 38 extr. Gern.

4. *Divitiæ.* Non contemnendum videtur *divitias*, quod MSS quidem tuentur, qui iidem legunt *nobilitatem*, quod quamquam in hac pluralis frequentia non præferendum est, indicium tamen est accusativi, cujus causa non, ut Heusing. suadet exemplis parum idoneis, intelligendum est *quod ad*, sed mutata videbitur locutio, quum accusativi exspectarent *tempora gubernant*, quod perspicuitatis causa neglexit. Vid. cap. 5, 15. Gern.—Cujus conj. Beierus non favet.

5. *In casu sita.* Quæ non in nostra, sed in fortunæ potestate sunt.

6. *Gubernantur.* Quidam libb. « reguntur et gubernantur ».

7. *Gerere quam personam.* Nonnulli libri apud Heus. « quam personam gerere ».

8. *In alia alius.* Ex ipsis quoque virtutibus alius aliam sibi magis idoneam putat. Facc.

9. *Ii student plerumque eodem in genere laudis excellere.* Sic optimi codd. Impressi autem vett. quos Facciolatus sequutus est « eorum plerique in hoc genere laudis student excellere ». Beierus delet v. *ii*, quæ in quibusdam loco movetur vel mutatur in *hi* vel *hii*.

10. *Q. Mucius.* Scævolæ jurisconsulti filius, patris laudem æmulatus. Facc. — De quo vid. Læl. cap. 1, 3; Brut. cap. 39 et 40; Quint. lib. XII, cap. 3, 9.

11. *Paulli filius.* A P. Scipione adoptatus; *vir*, ut ait Paterculus in lib. I, cap. 12, « avitis P. Africani, paternisque L. Paulli virtutibus simillimus ». Facc. — De ejus eloquentia vid. Brut. cap. 21, 54, 8, 10; Orat. III, c. 7, extr.

12. *Quod idem fecit Timotheus.* Felix copiarum dux, idemque disertus ex schola Isocratis. Facc. — Cf. Orat. lib. III, cap. 34, 139; Cornel. Nep. in Timoth.

quam pater, ad eam laudem, doctrinæ et ingenii glo-
riam adjecit. Fit autem interdum, ut nonnulli, omissa
imitatione majorum, suum quoddam institutum con-
sequantur[13]: maximeque in eo plerumque elaborant
ii, qui magna sibi proponunt, obscuris orti majori-
bus[14]. Hæc igitur omnia, quum quærimus, quid de- 117
ceat, complecti animo et cogitatione debemus.

In primis autem constituendum est, quos nos, et
quales esse velimus, et in quo genere vitæ: quæ de-
liberatio est omnium difficillima. Ineunte enim ado-
lescentia, quum est maxima imbecillitas consilii,
tum id sibi quisque genus ætatis degendæ constituit,
quod maxime adamavit. Itaque ante implicatur aliquo
certo genere, cursuque vivendi, quam potuit[15], quod
optimum esset[16], judicare. Nam quod Herculem Pro- 118
dicium dicunt[17], ut est apud Xenophontem, quum
primum pubesceret (quod tempus a natura ad deli-

13. *Consequantur.* Legere malim *sequantur*. Facc. — Hæc correctio legitur in Gu. 3 et ψ. Idem visum est Heumanno. Nihil mutandum. *Consequi* pro *sequi*, *consectari* legitur etiam in Brut. c. 82, 284', «exilitatem de industria consequi». Gern. — Pro *majoribus* in fine §. Vin. et edd. vett. *parentibus*. Sed receptam lectionem agnoscit etiam Nonius, IV, 336. Respicit autem Noster homo novus ad suum ipsius exemplum. Vid. ad § 138. Beier.

14. *Majoribus.* *Parentibus* est in quibusdam libb. sed *majoribus* in ceteris et apud Nonium, IV, cap. 336. Mox vitio operarum apud Gernhard. est *quod nos* pro *quos nos*.

15. *Quam potuit.* Al. «quam potuerit». Facc. — Nexus hic est: «Proponunt quidem et commendant Herculis exemplum. Sed hoc nihil efficitur, Hercules enim Jovis fuit filius. Ergo comparatio nobis homunculis non convenit». Multa de Prodici allegoria h. l. disserit Beier. quæ operæ pretium est apud eum videre.

16. *Quod optimum esset.* Hieron. Wolfio et Pearcio, qui ediderunt *quid*, nullus meorum adstipulatur. J. F. Heus.

17. *Herculem Prodicium dicunt.* Facc. scribit «Prodicus dicit», notatque: Prodicus Ceus, qui librum de Hercule scripsit. Alii leg. «Prodicium dicunt». Existimant autem hoc loco Herculem dici a Cicerone *Prodicium*, quemadmodum dicitur *Xenophontius* in lib. V Epist. 15 (12) ad Fam. quod fabula hæc referatur a Xenophonte in lib. II (cap. 1) Memorabil. ut etiam «Terentianus Phormio», pro Cæcin. cap. 10; «Terentianus Chremes», supra cap. 9; «senex Cæcilianus», pro Rosc. Amer. cap. 16.

gendum, quam quisque viam vivendi sit ingressurus, datum est), exisse in solitudinem, atque ibi sedentem, diu secum multumque dubitasse, quum duas cerneret vias, unam Voluptatis[18], alteram Virtutis, utram ingredi melius esset: hoc Herculi, Jovis satu edito[19], potuit fortasse contingere; nobis non[20] item, qui imitamur, quos cuique visum est, atque ad eorum studia institutaque impellimur. Plerique autem[21] parentium præceptis imbuti, ad eorum consuetudinem moremque[22] deducimur. Alii multitudinis judicio feruntur, quæque majori parti pulcherrima videntur[23], ea maxime exoptant[24]. Nonnulli tamen sive felicitate quadam, sive bonitate naturæ, sive parentium[25] disciplina, rectam vitæ sequuti sunt viam.

119 XXXIII. Illud autem maxime rarum genus est eorum, qui aut excellentis[1] ingenii magnitudine, aut præclara eruditione atque doctrina, aut utraque re ornati, spatium deliberandi habuerunt, quem potissimum vitæ cursum sequi vellent: in qua delibera-

18. *Voluptatis.* Hanc etiam Silius, XV, 18-128, et Quintil. IX, 2, 36, substituunt Κακίᾳ apud Xenophont. § 21, 26, id est, « pravitati universæ »: *Lilie* autem ad h. l. Commentat. lib. I, p. 52 extr. accipit pro *ignavia*, quæ latius regnet et ipsam *voluptatem* finibus suis comprehendat. Beier.

19. *Jovis satu edito.* Urbane ex veteri aliquo poeta, ea tempestate novo. Alii malunt leg. « Jove edito », perperam veriti, ne modus hic poeticus Ciceronem dedeceat. Facc. — *Satu* pro *semine* dicitur.

20. *Non item.* Plurimi libb. et impress. vett. « non idem ».

21. *Plerique autem.* Sic Facciolat. Græv. Ernest. cum Nonio Gothofredi. Gern. dedit *plerumque autem.*

22. *Moremque.* Facc. cum Nonio et Pith. *moresque*, probante Grævio. Ceteri omnes, ut dedimus.

23. *Videntur.* Hanc exemplarium Ciceronis lectionem edidit etiam Mercerus apud Nonium in voce *optare.* MSS vero Nonii, Gu. atque ed. Gothofr. *videantur.* J. F. Heus.

24. *Exoptant.* J. F. Heus. e Nonio sub v. *optare*, recepit *optant.* Vid. ad Quint. fratr. I, 2, 5, « Nunc ea cognosce, quæ maxime exoptas ». Gern. — *Optant* auribus omnino displicet, quæ in varietate lectionis maxime apud Ciceronem in judicando adhibendæ sunt.

25. *Sive parentium.* Omnes Gu. et impr. vett. « sive parentum ».

XXXIII. 1. *Excellentis.* Al. *excellente.* Facc.

tione[2] ad suam cujusque naturam consilium est omne revocandum. Nam quum in omnibus, quæ aguntur, ex eo modo, quo quisque natus est[3], ut supra dictum est, quid deceat, exquirimus; tum in tota vita constituenda, multo est cura major[4] adhibenda, ut constare in vitæ perpetuitate[5] possimus nobismet ipsis[6], nec in ullo officio claudicare. Ad hanc autem[7] rationem 120
quoniam maximam vim natura habet, fortuna proximam : utriusque omnino ratio habenda est[8] in deligendo genere vitæ, sed naturæ magis. Multo enim et firmior est, et constantior : ut fortuna nonnumquam, tamquam ipsa mortalis[9], cum immortali natura pu-

2. *In qua delib.* Schützius et Beier. e cod. Lubec. et ed. Lips. 1513, transponunt « qua in delib. » propter repetitionem notionis primariæ *deliberandi*, ut ait Beierus.

3. *Ex eo modo, quo quisque natus est.* Gernhard. cum Schützio scribit, « ex eo, quo modo quisque natus est », notatque : Facc. cum Pith. et quibusdam editt. vett. « ex eo modo quem quisque est nactus ». J. F. Hensing. Anemœcium sequutus dedit « ex eo, quomodo quisque est natus ». Quamquam, quum in Gu. 3, 4, Gryph. et plerisque impress. vett. legatur « ex eo modo, quo quisque natus (al. *nactus*) est », in Goth. autem, quod Lambino placet, « ex eo, quo quisque modo n. est », vehementer suspicor *modo* bis scriptum fuisse, « ex eo modo, quo quisque modo n. est », ut Epist. XIII, 58 : « Is causam habet, quam causam ad te deferet ». — Sed tum Cicero non de *ingenio* (conf. § 110 pr. 113 seq.), sed, velut artis obstetriciæ magister quidam, de modo, quo infans ex utero elapsum excidit, loqui videretur. Beier.—Hæc Beierus, qui cum F. Heus. et Anemœcio scribit « quo modo quisque est natus ». Sensus est : Nam quum in iis omnibus quæ aguntur, si judicare velimus an deceant, exquirimus quis sit naturalis cujusque modus, atque ex eo modo considerato videmus deceantne, an non, ea quæ aguntur, etc.

4. *Multo est cura major.* Facciolat. « multo est ei cura maj. » Gern. « multo est ei rei cura ». Sequor, inquit, optimum lib. Græv. 1, qui *ei rei* integrum servavit. Idem placuit Oliv. et Heusingeris. In plurimis libris legitur *rei*, omisso pronomine.

5. *In vitæ perpetuitate.* Omnes Gu. « in perpetuitate vitæ ».

6. *Nobismet ipsis.* Langius, Gron. Pearc. « nobismet ipsi ».

7. *Ad hanc autem rationem.* In hac re deliberanda et constituenda, quod vitæ genus nobis eligendum sit.

8. *Ratio habenda est.* Gern. et Sch. post Heusing. « habenda ratio est » ex Gu. 1, 2.

9. *Ut fortuna nonnumquam, tamquam ipsa mortalis, cum immortali natura pugnare videatur.* Gernhard. omittit *tamquam* sequutus J. F. Heusingerum, qui, commate posito post

gnare videatur. Qui igitur ad naturæ suæ non vitiosæ genus consilium vivendi omne contulerit, is constantiam teneat[10]. Id enim[11] maxime decet: nisi forte se intellexerit errasse in deligendo genere vitæ. Quod si acciderit (potest autem accidere), facienda morum institutorumque mutatio est. Eam[12] mutationem, si tempora adjuvabunt, facilius commodiusque faciemus; sin minus, sensim erit, pedetentimque facienda: ut amicitias, quæ minus delectent, et minus proben-

ipsa, huic loco suam reddidit gravitatem, exemplo Parad. V, 1, 7: « Cui quidem (voluntati sapientis) etiam, quæ vim habere maximam dicitur, fortuna ipsa cedit ». Quamquam suspicor inquit, *tamquam* esse a proximo *nonnumquam* obliteratum, postquam erat pronomini præpositum ab iis, qui putarent *ipsa* opponi voci *natura*, quum Cicero scripsisset « ut fortuna nonnumquam ipsa, tamquam mortalis cum immortali natura pugnare videatur ». Ita non opus est Pearcii correctione, « constantior est, quam fortuna, ut nonnumquam tamquam ipsa mortalis, cum immortali, cum natura pugnare videatur ». J. F. Heusingerus mavult: « ipsa tamq. mort. cum imm. pugnare, cum natura videatur ». Transponit enim Goth. « pugnare natura vid. » Grævii conjectura Ernestio probata hæc est: « ut nonnumquam cum natura, tamquam mort. cum immort. pugn. vid. » Hæ quidem sunt interpretandi magis rationes, quam emendandi. — Schützius Gernhardum sequutus est, et nobis non displicet ea ratio, qua *tamquam* deletur: sic oppositio magis enitet. — *Ut fortuna non umquam ipsa ... mortalis*, etc. Est elegans similitudinis cum ipsis rebus comparatis confusio et præterea ὀξύμωρον, quod Heuss. bene exposuerunt in hunc fere modum: Fortuna, quæ mutabilis est, interdum, licet rerum humanarum domina habeatur, immutabilem *mortalis* hominis naturam, quamvis pertinaciter, frustra tamen oppugnat, adeo, ut contemplanti, naturam ex isto cum dea potentissima certamine superiorem discedere, jam non infirma ac mortalis illa, sed non minus, quam a Gigantibus dii, invicta atque immortalis esse videatur: cl. Parad. V, 1, 5 extr. (§ 34 extr.) Ceterum nullus liber sic transponit, quo modo, Schützius ait vulgo legi, *ut nonnumquam fortuna*. Beier.

10. *Is constantiam teneat*. Hæc M. Heusing. interpretatur quasi conjunctivus *teneat*, pro futuro positus sit: nobis pro imperativo esse videtur, ita ut vv. « is constantiam ten. » ad superiora referendæ sint, « tum in tota vita constituenda ». Concludit auctor: et in vitæ genere eligendo cujusque natura propria inspicienda est, et in tota vita constanter naturæ nostræ propria ratio habenda est. Quid plura? sequens *enim* manifeste ostendit imperativum præcessisse.

11. *Id enim*. In hoc maxime decori ratio posita est, ut sibi quisque semper constet. Facc.

12. *Eam mut*. Sat multi libb. interponunt *igitur*.

tur, magis decere censent sapientes[13] sensim dissuere[14],
quam repente præcidere. Commutato autem genere 121
vitæ, omni ratione curandum est, ut id bono consilio
fecisse videamur.

Sed quoniam paullo ante dictum est, imitandos esse majores[15], primum illud exceptum sit, ne vitia sint imitanda; deinde[16], si natura non feret, ut quædam imitari possint[17], ut superioris Africani filius, qui hunc Paullo natum[18] adoptavit, propter infirmitatem valitudinis non tam potuit patris similis[19] esse, quam ille fuerat sui. Si igitur non poterit sive causas defensitare, sive populum concionibus tenere[20], sive bella gerere; illa tamen[21] præstare debebit, quæ erunt in ipsius potestate, justitiam, fidem, liberalitatem, modestiam, temperantiam, quo minus ab eo id, quod desit, requiratur. Optima autem hereditas a patribus traditur

13. *Censent sapientes.* Dictum hoc Catoni tribuitur in lib. de Amicitia, cap. 21 : « Tales amicitiæ sunt remissione usus eluendæ; et ut Catonem dicere audivi, dissuendæ magis, quam discindendæ ». Facc.

14. *Dissuere.* Al. *diluere* : qua significatione verbum *diluo* usurpatur etiam a Gellio, lib. XII, cap. 1, sed nihil mutandum. Facc.

15. *Imitandos esse majores.* Nam hoc quoque ad constantiam vitæ pertinet domesticis præceptis et exemplis imbutæ. Facc.

16. *Deinde.* Subaudi : « illud exceptum sit, ne imitandi sint ». M. Heus.

17. *Imitari possint.* Gernhard. post Heusingeros scripsit ex Gu. 5 a prima manu, et Ven. 1498, *possit*, sic jamdudum corrigente Pearcio. Idem et fecit Schützius : sic non opus est conj. Facciolati infra corrigentis « si quis igitur non poterit, etc. » Sed facile post *possint*, *homines*, ut sæpissime subaudiri potest, dum contra *possit* indigeat subjecto : sane *aliqui* subaudiri potest : sed nobis hoc durum videtur ineunte sententia, quod facilius in sqq. « si igitur non poterit » tolerabimus, ut in cursu orationis.

18. *Paullo natum.* Filium Æmilii Paulli, de quo in capite superiore, adoptatum a Scipione Majoris Africani filio. Facc.

19. *Patris similis.* Filius Africani Majoris non tam potuit patri similis esse, quam Africanus ipse suo fuerat; quod esset valitudine infirma et ad bellicos labores minus idonea. Facc.

20. *Populum concionibus tenere.* Populi aures concionando oblectare, easque sibi attentas facere. M. Heus.

21. *Illa tamen*, etc. Aliarum virtutum splendore infirmitatem suam tegere debet, ne appareat, quod deest. Facc.

liberis, omnique patrimonio præstantior, gloria virtutis, rerumque gestarum : cui dedecori esse, nefas et impium[22] judicandum est.

122 XXXIV. Et quoniam officia non eadem disparibus ætatibus tribuuntur, aliaque sunt juvenum, alia seniorum; aliquid etiam de hac distinctione dicendum est. Est igitur adolescentis, majores natu vereri, exque[1] his deligere optimos et probatissimos[2], quorum consilio atque auctoritate nitatur. Ineuntis enim ætatis inscitia[3], senum constituenda[4] et regenda prudentia est. Maxime autem hæc ætas a libidinibus arcenda est, exercendaque in labore patientiaque animi et corporis[5], ut eorum et in bellicis, et in civilibus[6] officiis

22. *Impium*. Non imitari parentum laudem, quum possis, contra officium est; agere aliquid, quod sit illis dedecori, est contra pietatem : ideoque *impium* dicit, non *vitium*, ut alii legunt. Facc.

XXXIV. 1. *Exque his*. Pro quo Facciolatus cum plurimis Heuss. libris dedit *ex hisque*, J. F. Heusingerus reperit in Gu. 1 et 2, et cum patruo defendit : item Gœrenz. ad Leg. III, 3, 10. Gern.

2. *Deligere optimos et probatissimos*. Hoc in morem verterat apud Romanos, ut adolescentes nobiles et magna spectantes eos adsectarentur viros, qui optimi et probatissimi haberentur. Cf. pro Cœl. cap. 4; lib. XIII, Epist. 10; Læl. cap. 1, etc. M. Heus.

3. *Ætatis inscitia*. Alii, *inscientia*. Dissentiunt ubique fere in hac voce et codices et editores. Quæ lis videtur sic dirimenda, ut *inscitia* dici putetur aut stultitia, quæ naturæ vitio tribuitur, aut temeritas, quæ est in ingenii vel levitate, vel pravitate. *Inscientia* autem est rerum vel omnium vel singularum, quarum ediscendarum nulla fuit opportunitas, itemque illa ignorantia, quæ est Academicorum, de qua Ernest. in Clavi Cic. Vid. Leg. I, cap. 2, « ad antiquorum languorem atque inscitiam ». Off. I, cap. 40, 145, « inscitia temporis ». Contra Invent. lib. I, cap. 2, « hominum in agris vagantium dicitur error et inscientia ». J. Cæs. Bell. Gall. lib. I, cap. 9 et 13. Gern.

4. *Constituenda*. Malim leg. *instituenda*. Facc. — Hæc conjectura reperitur in Gothof. « Constituendaque est prud. » Gu. 4 verbis « et regenda » omissis, pro quibus Nonii ed. Plant. 1565 « constit. exercendaque est pr. » J. F. Heusinger. Nonio eam lectionem tribuit, quæ est in Gu. 5, « const. et reg. est prud. » In Ascens. « regenda scientia est ». Gern.

5. *Patientiaque animi et corporis*. Patientia animi sita est in labore eo, quo animus exercetur, in dolore, injuriis, aliorum vitiis ferendis : corporis patientia, in tolerandis fame, siti, æstu, frigore, etc.

6. *Et in civilibus*. Olim aberat *in*, quod Facc. Heuss. Vict. Lang. Gron.

vigeat industria. Atque etiam quum relaxare animos, et dare se jucunditati volent, caveant intemperantiam, meminerint verecundiæ: quod erit facilius, si in ejusmodi[7] quidem rebus majores natu interesse velint.

Senibus autem labores corporis minuendi[8], exerci- 123
tationes animi etiam augendæ videntur; danda vero opera, ut et amicos, et juventutem, et maxime rempublicam consilio et prudentia quam plurimum adjuvent. Nihil autem magis cavendum est senectuti, quam ne languori se desidiæque[9] dedat. Luxuria[10] vero quum omni ætati turpis, tum senectuti fœdissima est. Sin autem libidinum etiam intemperantia[11] accesserit, duplex malum est; quod et ipsa senectus concipit dedecus, et facit adolescentium impudentiorem intemperantiam.

Ac ne illud[12] quidem alienum est, de magistra- 124

Pearc. Gern. ex optimis codd. restituerunt.

7. *Si in ejusmodi..... interesse velint.* Gern. transp. « velint interesse », notatque: Locus hic variis lectionibus jactatur. Pro *quidem* malim leg. *quoque:* nec desunt alii, qui ita legendum putent. Facc. —*Quoque* in Gu. 5 librisque imprr. vett. legitur et probatur Erfurdtio. Utramque voc. recte, opinor, excludunt liber Parmens. et C. Lang. — Beierus, qui cum Gern. transp. « velint interesse », addit: Recepi et ipse prætereaque e Gu 5 omnibusque codd. vett. *quoque*, probatam Facciolato et Erfurdt. Utramque part. cum libro Parmensi et C. Langio excludi mavult Gern. Sed non commode abesse videtur, quum « majorum natu auctoritas » jam antea commendata esset, sed dubitari posse videretur de horum facilitate, ut dignarentur etiam adolescentulorum « in conviviis interesse »: de qua dictione cf. Rosc. Am. 14, 39.

8. *Minuendi.* Gu. 4, 5, omnesque imprr. vett. « sunt minuendi », quod forsitan verum est, quia certum est minui debere labores corporis in senibus; dum contra videntur tantum augeri debere exercitationes animi, quia accidere potest ut non augeri possint. Cf. de Senect. cap. 9 sqq.

9. *Desidiæque.* Nonnulli libb. « desidiæque se ».

10. *Luxuria.* Sumitur hic pro luxu et mollitie. Facc.

11. *Sin autem lib. etiam intemper.* Nonnulli libb. « Si autem et libidinum intemperantia ». Alii, « Sin autem et libidinum intemperantia ». Alii omnino abjiciunt *etiam.*

12. *Ac ne illud*, etc. Explicatis officiis pro ætatum distinctione, nunc

tuum, de privatorum, de civium[13], de peregrinorum officiis dicere. Est igitur proprium munus magistratus, intelligere, se gerere personam civitatis, debereque ejus dignitatem et decus sustinere, servare leges, jura describere[14], ea fidei[15] suæ commissa meminisse. Privatum autem oportet æquo et pari cum civibus jure vivere, neque submissum et abjectum[16], neque se efferentem; tum in republica ea velle, quæ tranquilla et honesta sint[17]. Talem enim et sentire bonum civem,
125 et dicere solemus[18]. Peregrini[19] autem et incolæ[20]

statum et conditionem personarum examinat. Facc.

13. *De privatorum, de civium.* Sic scriptum est in plurimis et optimis codd. a quibus dissentiunt præter reliquos imprr. vett. qui posteriorem præpositionem delent conjunguntque « de privatorum civium ». Duo autem Oxx. Pearcius atque Ernestius hæc duo « de civium » ut otiosa abjecerunt. J. F. Heusing. arridet H. Wolfii correctio, qui verba « de privatorum » omittit. In errorem duxisse videtur tum id, quod privati iidem cives sunt, tum quod paullo post civium et privatorum officia conjunguntur. Sed tamen hoc loco aptius erat magistratibus opponere privatos, peregrinis cives. Certe privatos vix opposuerit peregrinis, nec tamen illos omissos esse credam propter sequentia « Privatum autem, etc. » Comp. cap. 41, 149, « cedere iis qui magistratum habebunt : habere delectum civis et peregrini : in ipsoque peregrino, privatimne an publice venerit ». Gern. — Beierus Gernhardo assentitur : sed Schützius scribit « de privatorum civium ».

14. *Jura describere.* Non est leges ferre, seu condere, sed jus suum cuique tribuere, jus dicere. Conf. Cic. in Verr. V, cap. 11 ; pro Quint. cap. 14 pr. Græv.

15. *Ea fidei.* Cum libb. imprr. vett. Facciolatus præponit *et*, quod est codicum auctoritate a Grævio, Ernest. et Heuss. merito rejectum. De munere magistratuum comp. Leg. III, 1, 2. Gern.

16. *Neque submissum et abjectum.* Spectant hæc ad eos, qui in suffragiis ferendis ad aliorum nutum se accommodant aliove modo « in rebus urbanis invidiæ metu peccant ». Beier.

17. *Et honesta sint.* Gern. scribit « et honesta sunt ». Indicativum, inquit, e Gu. 1, 3 (5 *sunt et h.*) restituendum putavi. Vid. cap. 9, 28, cap. 35, 128, et III, 18 extr. « Quum autem in amicitia, quæ honesta non sunt, postulabuntur », 35, 128. Rell. « et honesta sint ». —Beierus vulgatam defendit, qui mox e quatuor Gu. et Gryph. cum Pearc. scribit « atque incolæ ».

18. *Dicere solemus.* Plurimi codd. transp. *solemus* post *talem enim*.

19. *Peregrini.* Peregrinus est qui aliunde in aliquam civitatem venit, non perpetuo, ac ne diu quidem ibi moraturus. M. Heus.

20. *Incolæ.* Qui in civitate, cujus civis non est, domicilium habet.

officium est, nihil præter suum negotium agere, nihil de alieno anquirere[21], minimeque in aliena esse republica[22] curiosum. Ita fere officia reperientur, quum quæretur, quid deceat, et quid aptum sit personis, temporibus, ætatibus. Nihil est autem, quod tam deceat, quam in omni re gerenda, consilioque capiendo servare constantiam[23].

XXXV. Sed quoniam[1] decorum illud in omnibus 126
factis, et dictis[2], in corporis denique motu, et statu cernitur, idque positum est in tribus rebus, formositate, ordine, ornatu ad actionem apto, difficilibus[3]

21. *De alieno anquirere.* Sic est in Ven. tert. Gu. tert. et ed. Gryph. et placuit Vict. Lambin. Græv. Pearc. Oliv. Ernest. Gern. scribit *de alio inquirere.* Ita, inquit, vide cap. 3, 9. Alii « de alieno anquirere ». Heusing. cum cod. script. Balduini et Ernestio « de alio anquirere ». — Schütz. « de alio anquirere ». — Sed verbum *inquirere* minus commode post se haberet præpositionem *de*. Non magis hoc loco repudiari debuit lectio Gu. 3 et ed. Venet. 1506, Gryph. Victor. Lamb. Græv. Pearc. Oliv. *de alieno*, nempe *negotio*. Opponitur enim « suum negotium agere ». Beier.

22. *Minimeque in aliena esse rep.* Gernhard. transp. « minimeque esse in aliena rep. » Hunc, inquit, verborum ordinem Heusingerus optavit. Ascens. « curiosum esse ». Cum reliquis Facc. « in aliena esse », quod Schützius retinuit.

23. *Servare constantiam.* Sibi constare. Nemo enim in societate magis vitatur, quam qui varius est et inconstans. Facc.

XXXV. 1. *Sed quoniam*, etc. Explicato decoro illo, quod pertinet ad genera personarum, nunc docet, quid peculiarem personam deceat in dictis, factis, totoque corporis habitu. Ad tria capita revocat, formositatem, ordinem, ornatum actionibus aptum. Incipit autem a formositate, postea agit de ornatu, postremo de ordine in c. 61 (cap. 40). Facc. — Vide Wyttenbachium, Biblioth. Crit. II, 8, pag. 79. Non videntur, inquit, in hac distributione ad unam formulam consensisse Stoici. Diogenes Laertius, VII, 126, duas fecit *temperantiæ* formas, εὐταξίαν et κοσμιότητα, *ordinem* et *ornatum*: Stobæus, Eclog. II, pag. 167, 168, quatuor, duas illas, ac præterea αἰδημοσύνην et ἐγκράτειαν. Forte Panætius tres fecerat, ut duabus illis adjungeret εὐσχημοσύνην. Gern.

2. *Factis, et dictis.* Gernhard. delevit *et*. Hanc, inquit, copulam, quam *denique* minus ferre videtur, post Balduinum et Wolf. excludit Heusinger. jubentibus MSS Gu. 1, 2, 3, 4, impress. Magont. et Gryph. Idem fecit Beierus.

3. *Difficilibus.* Rebus scilicet difficilibus ad explicandum et intelligendum: sed satis est, inquit, eas intelligi. Alii legunt *difficilius*, et quidem plerique, sed perperam. Facc. — Nostram lectionem confirmant Palat. 1, Græv. 1, ed. Rom. Adde MS Balduini,

ad eloquendum; sed satis erit intelligi; in his[4] autem tribus continetur cura etiam illa, ut probemur iis, quibuscum, apud quosque[5] vivamus: his quoque de rebus pauca dicantur.

Principio, corporis nostri magnam natura ipsa videtur habuisse rationem: quæ formam nostram, reliquamque figuram, in qua esset species honesta, eam posuit in promptu[6]; quæ partes autem corporis, ad naturæ necessitatem datæ, adspectum essent deformem habituræ atque turpem[7], eas contexit atque abdidit.
127 Hanc naturæ tam diligentem fabricam imitata est[8] hominum verecundia[9]. Quæ enim natura occultavit, eadem omnes, qui sana mente sunt, removent ab oculis; ipsique necessitati, dant operam, ut quam occultissime pareant: quarumque partium corporis usus sunt necessarii, eas neque partes, neque earum usus suis nominibus[10] appellant: quodque facere turpe

in quo non admissum est interpretamentum *rebus*, quod illi post *eloquendum* adjiciunt. Gern.

4. *In his autem.* Placendi cura in his ipsis rebus continetur. Facc. — Structura verborum impeditior est propter interposita verba «sed satis... vivamus». Vide cap. 37, 133, «sed et alii: hi autem, etc.» Gern. — Sic totius loci nexus est: Sed quoniam decorum illud non solum in factis et dictis, sed etiam in corporis motu cernitur et statu, qui certis regulis regi debent, de his quoque rebus pauca dicenda sunt.

5. *Quibuscum, apud quosque.* Ita MSS plures. Reliquorum lectionem «quibuscum et apud quos» Facciolat. cum Grævio retinuit. Gern. — Cod. Vin. Goth. Ven. 1, «quibuscum apud quos vivamus». Magont. «cum quibus, apud quos».

6. *In promptu.* In aperto, ut in oculos incurrat.

7. *Deformem habituræ atque turpem.* Alii exhibent, *ac turpem.* Multi libri et MSS Gu. *ac formam*, vel *atque formam.*

8. *Imitata est.* Vid. Leg. I, 8, 26. Gern.

9. *Hominum verecundia.* Homines, qui naturam sequi debent, ad præscripta naturæ verecundiam suam temperant. Facc. — De verecundiæ vi et potestate, quæ in hominis natura et in communi sensu pulchri et decori, non in opinione et consuetudine mollium et effeminatorum hominum posita est, contra Garvium disputavit Hottingerus in nota ad h. l. p. 150-173. Gern.

10. *Neque earum usus suis nominibus appellant.* Utuntur enim vocibus translatis. Facc.

non est[11], modo occulte; id dicere obscœnum est.
Itaque nec aperta actio rerum illarum[12] petulantia
vacat, nec orationis obscœnitas[13]. Nec vero audiendi 128
sunt cynici, aut si qui fuerunt stoici pæne[14] cynici,
qui reprehendunt et irrident, quod ea, quæ turpia
re non sint[15], nominibus ac[16] verbis flagitiosa duca-

11. *Turpe non est.* Impress. vett. *non est turpe.*

12. *Nec aperta actio rerum illarum.* Omnes Gu. et imprr. vett. mei « actio rerum illarum aperta ».

13. *Nec orationis obscœnitas.* Gern. scribit « nec oratio obscœnitate ». Nostram, inquit, lectionem defendit unus Gu. 3, et præter Aldum, Lambinum, Fabric. Gruter. et Facc. Wyttenbach. in Biblioth. Crit. I, 3, p. 25, et II, 8, p. 76: « Nam ut actioni, inquit, petulantia, sic orationi peculiare quid et quidem obscœnitas, tribuendum videtur. Supra 29, *si rerum turpitudini abhibetur verborum obscœnitas.* Hoc ipso cap. *quodque facere turpe non est, id dicere obscœnum est :* nostri tres libri in vulgata lectione consentiunt. Infra cap. 45, *ita obscœna, ut dictu quoque videantur turpia :* hoc loco vim habet, nec transponendum. Nam, quamquam *obscœnitas* et *turpitudo* tam de rebus, quam de verbis dicitur; tamen turpitudo et per se de re et consilio magis dicitur, et in oppositione ejus *obscœnitas* ad verba refertur. Hoc ut aliunde, ita ex illa ad Pætum elegantissima Div. IV, 23, et Nonio, p. 356, colligere licet ». Reliqui « orationis obscœnitas ». — Sic et Schützius recenter dedit, et sic subaudiendum est « petulantia vacat », ut notat Beierus, qui hanc lectionem retinuit.

14. *Stoici pæne Cynici.* Ex eadem schola manarunt; multaque sunt philosophandi principia utrisque communia. Facc. — Stoicorum princeps, Zeno Cittieus, quum Cratetis Cynici discipulus fuisset, Cynismum mitigavit temperavitque Academiæ decretis. Or. III, cap. 16 pr. Atque etiam proximi Stoici, « Cynicorum rationem atque vitam cadere in sapientem », dicebant. Fin. III, 20, 68 extr. Diogen. Laert. VII, 121, cl. VI, 104 extr. Stobæus, Eclog. Eth. p. 184; Arrian. Diss. III, cap. 22. Hinc « Stoica dogmata a Cynicis tunica distantia » dicuntur Juvenali XIII, 121 seq. Vid. Lipsii Manuduct. ad Philos. Stoic. I, Diss. 13. *Cynici* autem nomen invenerunt a Cynosarge, gymnasio, in quo horum princeps Antisthenes docere cœpit; Lactantio autem interprete, Instt. III, 15, 20, « a canibus, quorum vitam imitarentur ». Cf. h. l. infra § 148 extr. Lactant. Epitom. 39, 6, et Augustin. Civ. Dei, XIV, 20. Beier.

15. *Quæ turpia re non sint.* Gern. scribit « quæ re turpia non sunt », notatque: Ablativum *re*, quem MSS quidam excludunt, post *adulterare* autem magnam partem admittunt, malui cum Grævio post pronomen ponere, quo loco facilius potuit obliterari, quam post *turpia.* — Beier. hic et infra *sunt* retinet, sed transposuit « re turpia ».

16. *Nominibus ac.* Verba « nominibus ac » Schützius delevit jam suspecta J. F. Heusinger. quia absunt a MSS Gu. uno excepto, ab imprr. vett. et

mus; illa autem, quæ turpia sint[17], nominibus appellemus suis. Latrocinari, fraudare, adulterare[18], re turpe est; sed dicitur non obscœne[19]: liberis dare operam[20], re honestum est, nomine obscœnum: pluraque[21] in eam sententiam ab eisdem contra verecundiam disputantur. Nos autem naturam[22] sequamur, et ab omni, quod abhorret ab oculorum auriumque approbatione, fugiamus[23]. Status, incessus, sessio, accubitio[24], vultus, oculi, manuum motus, teneant illud decorum.

129 Quibus in rebus duo maxime sunt[25] fugienda: ne quid effeminatum[26], aut molle, et ne quid durum, aut rusticum sit. Nec vero histrionibus[27] oratoribusque

ed. Gryph. Accesserunt autem e bonis Anemœcii et Grut. libris.

17. *Sint.* Iterum Gern. dedit *sunt*, ex iisdem fere libb. quibus supra, probante J. F. Heusing.

18. *Adulterare.* Alii, *adulterari.* Facc. — Activa forma, ut Leg. I, 16, omnium librorum consensu legitur, sic hoc loco in libris scriptis plerisque, non item in imprr. vett. servatur. Gern.

19. *Sed dicitur non obscœne.* Sed his in verbis pronuntiandis nulla inest obscœnitas.

20. *Liberis dare operam.* De euphemismo, qui est in « liberis dare operam », reique honestatem præ se fert, proprii nominis offensione vitata, vid. Hottingerum, l. l. Gern. — Ex hac verecundia circa τεκνοποιΐαν P. Charron *sur la Sagesse* statim a principio disputationis festivæ de miseria generis humani lepide argumentatur, « nostri nosmet pœnitere et pudere ». Beier.

21. *Pluraque.* Al. *pleraque.*

22. *Naturam sequamur.* Cynici quoque aiebant, se naturam sequi, sed ipsi belluinam, nos rationalem sequimur. Facc.

23. *Ab omni...fugiamus.* Alii, « et omne refugiamus ». — *Et ab omni* libri scripti et plerique imprr. Heus. postulant; tum nescio an perspicuitas etiam et elegantia orationis hanc structuræ varietatem suadeant. Vid. Nat. Deor. III, 13, 33. Grævius suum cod. 1 sequutus, cum Anemœcio et Facc. dedit *et omne.* Pro *approbatione* Facciolatus *probatione*, et impress. vett. *comprobatione.* Alii addunt *ipsa* ante *oculorum.* Gern.

24. *Accubitio.* Præter sessionem etiam accubitionem memorat, quia veteres in lectis cubantes cibum sumebant. Alii leg. *accubitatio.* Facc.

25. *Maxime sunt.* Facc. cum imprr. vett. « sunt maxime ».

26. *Effeminatum, aut molle.* Sic in Bruto, § 225, Titius notatur fuisse « solutus et mollis in gestu », ut apud Juvenal. VI, 63, « mollis Bathyllus ». Cf. ibid. II, 165. Ante « ne quid durum » cum Goth. expunxi *et*, quam omnes edd. vett. mutant in *aut.* Beier.

27. *Nec vero histrionibus*, etc. Non est permittendum, ut hæc apta sint histrionibus et probe accommodata, nobis soluta ac libera. Gern. — Hæc

concedendum est, ut iis hæc apta sint, nobis dissoluta. Scenicorum quidem mos tantam habet veteri disciplina [28] verecundiam, ut in scenam sine [29] subligaculo prodeat nemo. Verentur enim, ne, si quo casu evenerit, ut corporis partes quædam aperiantur, adspiciantur non decore. Nostro quidem more cum parentibus puberes filii, cum soceris generi non [30] lavantur. Retinenda est igitur [31] hujus generis verecundia, præsertim natura ipsa magistra et duce.

XXXVI. Quum autem pulchritudinis duo genera 130
sint, quorum in altero venustas sit [1], in altero dignitas; venustatem muliebrem ducere [2] debemus; dignitatem virilem. Ergo et a forma removeatur omnis viro non dignus ornatus; et huic simile vitium in gestu motu-

Facciolatus, qui delevit seq. pronomen *iis*, nulla, ut videtur, auctoritate, et improbantibus Heusingeris et Gern. Addit Beierus v. *concedendum* non posse ita poni absolute.

28. *Veteri disciplina*. Gern. scribit *vetere*. Ita, inquit, post Balduinum J. F. Heusinger. e Nonio in voc. *Subligaclum*. Cum reliquis Facciolatus «veteri disciplina». Vid. cap. 7, 21. Quod in multis libris scriptis et imprr. Heuss. legitur «veteris disciplinæ», id sensum reddit ambiguum. — Schütz. dedit *vetere*.

29. *Sine subligaculo*. In Nonii cod. Gu. atque edit. Merceri Heusingerus vidit esse *subligaclo*, quod, ut III, 5, 23, *vinclis*, probatur Heusingero, quin ausus sit recipere. Gern. — Subligaculis utebantur, verecundiæ causa, quibus pudendæ corporis partes tegebantur, ut Nonius interpretatur, cap. 1, 121.

30. *Non lavantur*. Al. *non lavant*. Facc. — De hoc intt. laudant Or. II, cap. 55 med. (cl. Cluent. 51, 230 pr.) Plutarch. in Cat. Maj. pag. 348 (cap. 20 p. m.) Capitolin. in Gordiano, cap. 6 med. Beier.

31. *Retinenda est igitur*. Gernhard. transponit, «retinenda igitur est». Beierus vulgatam servavit cum Schützio, Gœrenzio præeunte ad Fin. lib. V, cap. 24, 72.

XXXVI. 1. *Venustas sit*. Gern. post Facc. ex illius codice dedit *est venustas*. Hanc, inquit, egregiam lectionem Heusingerus haud memoravit, retinuitque conjunctivum, cujus vix idonea causa est.—Beier. qui transp. *sit venustas*, notat: *Quorum in altero sit v.* i. e. «eorumque i. a.» Itaque *sit* pendet a *quum* in priori membro, ut § 152 extr. Veremur igitur, ut non satis circumspecte Facciol. cum eoque Gern. uno ex cod. reposuerit *est*.

2. *Ducere*. Hoc est ap. Nonium in voc. «dignitas et venustas», idemque servaverunt imprr. Venet. 1498, uterque Lips. ac Lugd. 1527. Priores imprr. cum codd. Gu. solemni aberratione dederunt *dicere*. J. F. Heus.

que caveatur. Nam et palæstrici motus[3], sæpe sunt odiosiores; et histrionum nonnulli gestus inepti non vacant offensione[4]: et in utroque genere, quæ sunt recta et simplicia, laudantur. Formæ autem dignitas, coloris bonitate[5] tuenda est; color, exercitationibus corporis. Adhibenda est[6] præterea munditia non odiosa, neque exquisita nimis; tantum quæ fugiat agrestem et inhumanam negligentiam. Eadem ratio est habenda vestitus; in quo, sicut in plerisque rebus, mediocritas
131 optima est. Cavendum est autem[7], ne aut tarditatibus

3. *Palæstrici motus*. Motus ipsi palæstrici et gestus scenici, quamvis studio atque arte formati, interdum offendunt, quia minus recti et decori sunt. Facc. — Qui sunt autem palæstrici motus, eleganter docet Quintil. Institut. lib. XI, « Ne illos quidem reprehendendos putem, qui paullum etiam palæstricis vacaverint ». Nimirum ut paullo post dicit, « ut recta sint brachia, ne indoctæ rusticæve manus, ne status indecorus, ne qua in proferendis pedibus inscitia, ne caput oculique ab alia corporis inclinatione dissideant ». Vide ibi plura. Quod olim palæstra, hoc nunc docet orchestra. Græv. — Ita, inquit, M. Heus. palæstrici motus sunt ad leges numerosque compositi. Cf. Horat. lib. I, Od. 10, 4, de Mercurio.

4. *Inepti non vacant offensione*. Facc. post Pearc. cum multis codd. Oxx. Lond. et iis quos M. Heusing. vidit et etiam Guelf. dedit « ineptiis non vacant ». Si sunt inepti, inquit Facc. quid mirum quod offendant? Hæc quidem argutius. In inepti proprie non est offensionis significatio, sed causa offensionis. Quare non dubitavi eam lectionem recipere, quam Anemœcius ex Augustano prodidit, quæque in Pal. 1 et Græv. 1 reperitur, probaturque post Gruterum Grævio et Heusingeris. Gern. — Dicit histrionum gestus, si sint inepti, molestos esse spectatoribus. Sunt autem *inepti*, non inconcinni solum, sed etiam qui multi sunt et nimis exquisiti. J. F. Heus. — Quid si, utraque lectione conjuncta, legatur « ineptiis n. vacant et offensione... »? Cf. zeugma illud § 127, extr. et cum sententia Fin. III, 7, 24 pr. Heuss. citant Quintil. XI, 1 pr. et de vi voc. *ineptus*, Orat. lib. II, cap. 4, 11. Beier.

5. *Coloris bonitate*. Pallor umbratilem vitam, desidiam et mollitiem arguere creditur. Horat. lib. II, Sat. II, 21. Romani multum sole utebantur, et in sole ungebantur, unde fuscus color ducebatur. Vid. Cic. lib. I, epist. 46; Plin. lib. III, epist. 1, 8, ep. V, 10; Corn. Cels. lib. I, c. 1, princ. cap. 2, post med. M. Heus.

6. *Adhibenda est præt. munditia*. J. F. Heus. ex quatuor Gu. et ed. Gryph. « adhibenda præterea munditia est », quod nemo est, quin videat quam male auribus placeat ob sonum ter similiter cadentem.

7. *Cavendum est autem*. Hier. Wolfius et J. F. Heusing. cum Gu. 1 et 2, *Cavendum autem est*, sequente Gernhardo.

utamur in gressu[8] mollioribus, ut pomparum ferculis[9] similes esse videamur; aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates, quæ quum fiunt, anhelitus moventur[10], vultus mutantur[11], ora torquentur: ex quibus magna significatio fit[12], non adesse constantiam. Sed multo etiam magis[13] elaborandum est, ne animi motus a natura recedant: quod assequemur, si cavebimus, ne in perturbationes, atque exanimationes[14] incidamus; et, si attentos animos[15] ad decoris[16] conservationem tenebimus. Motus autem animorum duplices sunt: alteri cogitationis; alteri appe- 132

8. *In gressu*. *Ingressu* conjuncte MSS Gu. unde J. F. Heus. cum Gu. quart. et exc. Bedæ dedit «in ingressu», et eum sequuntur Gern. et Schütz.

9. *Ferculis*. Mich. Heus. et Schütz. in Lex. Cic. sic interpretantur, ut Circensi pompa nihil aliud fuisse videantur, quam *tensæ*. Utrumque conjungitur in Suetonii Cæs. c. 76, et c. 37 extr. res in triumpho gestatæ ostentatæque dicuntur «pompæ fercula». Equidem hic acceperim pro ipsis deorum simulacris in tensis: nisi tamen malueris cum aliis pro hominibus fercula ferentibus. Turneb. in Advers. XIII, 16, comp. Horat. Sat. I, 3, 10, sq. observat, sacra omnia propter pompam tardo ingressu ferri solita. Totum l. imitatus est Ambrosius, I, c. 18: Hieron. epist. IV, ad Rusticum. «Pomparum ferculis similes procedunt in publicum». Beier.—Horat. lib. I, Sat. 3, 9, «sæpe velut qui Currebat fugiens hostem; persæpe velut qui Junonis sacra ferret».

10. *Moventur*. Palat. prim. et Græv. scrips. *movetur*.

11. *Mutantur*. Beda *mutatur*.

12. *Significatio fit*. Mutatio enim externa significat mutationem internam. Facc.

13. *Sed multo etiam magis*, etc. Transit ad motus animi, quorum significatio pendet a motibus corporis. Facc.

14. *Ne in perturbationes, atque exanimationes incidamus*. Ne animum præter modum concuti turbarique patiamur, ut a natura sua recessisse videatur, quasique exanimari. Facc. — Conf. Tusc. lib. IV, cap. 6, 8, et 38 pr.

15. *Si attentos animos*, etc. Quum proxime animum singulari numero dixerit, constructionis ratio poscebat, «animumque ipsum attentum, etc.» Præterquam quod monitum nimis commune est, nec sine idiotismo expressum: ac proinde inter suspecta rejeci. Videtur, ut alia multa, ex margine traductum. Facc.—Non urgendum est illud *animos*, a singulari remotius. «Si attentos animos tenebimus» est, si attenti erimus; totumque hoc præceptum non latius patet, quam id, quod caveri jubemur, «ne... incidamus» et § 133 sequentis cap. «si ... exquirimus». Gern.

16. *Decoris* pro *decori*, quod Facciolatus recepit, e suis libris ediderunt Gruterus et Græv. quos sequuntur Heusingeri. Gern.

titus. Cogitatio in vero exquirendo maxime versatur; appetitus impellit ad agendum. Curandum est igitur, ut cogitatione ad res quam optimas utamur; appetitum rationi obedientem præbeamus.

XXXVII. Et quoniam magna vis[1] orationis est, ea-
que duplex, altera contentionis[2], altera sermonis:
contentio disceptationibus tribuatur judiciorum, con-
cionum, senatus; sermo in circulis, disputationibus,
congressionibus familiarium versetur, persequatur[3]
etiam convivia. Contentionis præcepta rhetorum[4] sunt;
nulla sermonis: quamquam haud scio, an possint hæc
quoque esse. Sed discentium studiis[5] inveniuntur ma-
gistri: huic autem qui studeant, sunt nulli; rhetorum
turba referta omnia: quamquam quæ verborum, sen-
tentiarumque præcepta sunt, eadem ad sermonem
133 pertinebunt. Sed quum orationis indicem, vocem ha-
beamus; in voce autem duo sequamur[6], ut clara sit,

XXXVII. 1. *Magna vis*. Id est, hac in parte plurimum valet oratio. Facc.—In Ascens. transponitur, « vis est orationis », quasi *eaque* ad orationem referendum sit. Sed vid. II, 14 pr. Gern. — Sed cuinam, obsecro, hoc in mentem venire potest, nisi scribatur « ejusque duplicis »? Ascensianam lectionem veram esse, apparet, cl. II, c. 4 pr. Vid. etiam ad I, § 23 pr. 53; III, 102. Beier.

2. *Altera contentionis, altera sermonis. Contentionem* vocat, quæ *actio* est aliis, sive oratio in judicio, concione, senatu habenda (quæ quod adversariam sententiam plerumque oppugnat, vehemens et contentiosa est), *sermonem*, quo in congressibus utimur familiaribus. M. Heus.

3. *Persequatur.* Gern. post Facc. *sequatur.* Schütz. revocavit « persequatur e. convivia », nullo idoneo sensu, qui hic esse debet: « insit etiam convivia, adhibeatur etiam in conviviis eaque condiat ». Vid. Ernesti Clavis in voc. *sequor*. Beier.

4. *Præcepta rhetorum sunt*. Sat multi codd. addunt *multa* post *sunt*. —Opponitur h. l. *contentioni*, i. e. orationi meditatæ, sermo ex tempore fusus. Cf. § 133 extr. Hinc oratio philosophorum, quia hi sententias quidem, sed non ipsa verba meditantur, neque id agunt, ut animos incitent, in Orat. cap. 19, « sermo potius, quam oratio » dicitur. Beier.

5. *Discentium studiis*. Inveniuntur scholæ ac magistri earum rerum, quæ addiscuntur: at sermonem discendum nemo putat. Facc.—Frustra Pearcius substituit *dicentium*.

6. *In voce autem duo sequamur*, etc. Affectemus, consequi studeamus. M. Heus.

ut suavis: utrumque omnino a natura petendum[7] est; verum alterum exercitatio augebit, alterum imitatio presse[8] loquentium, et leniter. Nihil aliud fuit in Catulis[9], ut eos exquisito judicio putares uti literarum; quamquam erant literati: sed et alii; hi autem optime uti lingua latina putabantur. Sonus erat dulcis; literæ neque expressæ[10], neque oppressæ, ne aut obscu-

7. *A natura petendum est.* Wyttenbach. in Biblioth. crit. II, 8, p. 77, conjicit « a natura optandum est », quamquam in nullo libro repertum, laudatque Orat. c. 18, 59; Nat. D. III, 24, 61. At recte vulgatam Heus. patr. interpretatur: « A natura id cuique tributum sit necesse est ». Vide Tuscul. V, 2 pr. Garn.

8. *Presse.* Adverbium hoc, quod ceteroquin ad stylum pertinet, hic ad pronuntiationem refertur; qua ratione dixit in lib. III de Orat. cap. 11, « lenitate vocis, atque ipso oris pressu ». Facc.—*Presse loquent.* Qui ita clare loquitur, ut omnes audiantur literæ, sed tanta lenitate, ut nullius aures offendat. Conf. Cic. lib. III de Oratore, cap. 2, cap. 12; Quintil. Inst. Orat. lib. II, 8. Graev.

9. *Nihil aliud fuit in Catulis.* Gern. delet *aliud;* hoc, inquit, ferri nequit etiam propter sententiam. Nam si *aliud* cum Ernestio ad claritatem et suavit. vocis refertur; otiosa sunt, quæ sequuntur, *hi autem,* etc. Atque horum quidem verborum structura accommodata est ad interposita verba *sed alii* (hæc et proxima « quamquam erant literati » propterea nolui cum Heusingero parentheseos signis includere) aut, ut J. F. Heusingerus egregie conjicit, « sed ut alii ». Hoc enim interest scire, Catulos non magis fuisse literatos, quam alios, non illud, præter Catulos fuisse literatos alios. Garn.—Vocem *aliud* puto non posse a phrasi abesse; nam hoc vult, ni fallor, Tullius: Nihil aliud præter suavitatem vocis, et pronuntiandi venustatem in Catulis fuisse, cur putarentur « exquisito uti judicio literarum ». Tum quasi corrigens aut molliens quod dixerat, subjungit: Non quod literati non fuerint, sed erant quoque alii tunc temporis, illa eadem ætate literati, de quibus tamen non eadem erat hominum opinio, « uti eos exquisito judicio literarum ». Cur vero eam non adepti sunt famam? Nimirum deerat illis illud *aliud*, quod in Catulis erat, « qui optime uti lingua latina putabantur ». Otiosis liceat, et curiosis adire Janum Parrasium in Quæsitis per epistolam, Epistol. 17. Oliv. — Cui M. Heus. assentitur. Schütz. *aliud* delevit. Idem fecit Beier. qui propterea scribit *sed ut alii,* vocesque *quamquam* ... *alii* parenthesi includit. Nobis « sed et alii » vera lectio videtur. Satis est dicere auctorem *et alios* tam fuisse literatos, ita ut in hoc genere minime Catuli excellerent. De his vide Orat. III, 11, 12.

10. *Sonus erat dulcis; literæ neque expressæ, neque.* Legendum censeo « expresse nimis ». Particula autem *nimis*, quæ in multis editionibus invenitur ante *putidum*, huc est transferenda. Nulla abesse ratione potest: quia literæ exprimi debent, ut Cicero ipse alibi monet, non tamen *putidius,*

rum[11] esset, aut putidum[12]. Sine contentione vox, nec languens, nec canora[13]. Uberior oratio L. Crassi, nec minus faceta; sed bene loquendi de Catulis opinio non minor[14]. Sale vero et facetiis Cæsar[15], Catuli pa-

id est, affectatius. FACC.—Cf. Quintil. XI, 3. —*Nimis* in libris imprr. plerisque legitur, abest autem a MSS. GERN. —*Literæ neque expressæ, neque oppressæ*. Quid sit «exprimere» et «opprimere literas» optime docet Quintil. Inst. I, 11, 4: «In primis vitia, si qua sunt oris, emendet: ut expressa sint verba, ut suis quæque literæ sonis enuntientur. Quarumdam enim vel exilitate, vel pinguedine nimia laboramus: quasdam velut acriores parum efflamus, et aliis non dissimilibus, sed quasi hebetioribus permutamus». Sequuntur ibi plura in hanc sententiam. GRÆV.

11. *Aut obscurum*. Fortasse deest *quid*. Si quis igitur literas opprimat, id est, negligenter exprimat, «obscurum quid» erit in ejus voce. *Nolo* (inquit in lib. III de Orat. c. 11) «exprimi literas putidius, nolo obscurari negligentius». FACC.—Is ipse locus docet, *nimis* non apponendum esse voci *expressæ*. Ut enim *obscurare literas* per se vituperandum, tamen additum habet adverbium *negligentius*, sic «exprimere literas», id est, ingrato oris flatu literas singulatim efferre, in vitio est, quod majus esse apparet, quum adjunctum sit *putidius*. Quorum adverbiorum loco hic legitur *ne aut obsc.* etc. Quamquam me offendit et prius *aut* ante *obscurum*, quod proximo *oppressæ* respondet, et adjectivum ægre carens pronomine. Quare suspicor, scriptum fuisse «ne quid obscurum esset aut putidum», ut l. l. de Orat. «et ea sic conservemus, ut ne quid perturbatum ac discrepans, aut præposterum sit». *Quid*, *quod* facile mutari potuit in *aut*, vel potius ab hoc glossemate expelli. Cum Facciol. Pearce «aut obscurum quid». GERN.

12. *Aut putidum*. Quid sit *putidum* in pronuntiatione, docet Nonius Marcellus. «Putidum non solum ab ore fœtido et gravi, quod naribus præbetur, sed et quod auribus triste, et insuave, austerum, et rancidum, id putidum dici posse auctoritas vetustatis admisit». GRÆV.

13. *Sine contentione vox, nec languens, nec canora*. Cantilenam in pronuntiando notat: de qua Quintil. lib. II, 11, § 3. Ceterum vocem canoram in Hortensio Cicero laudavit: et sane laudari potest, si sit intra modum et dignitatem. FACC.

14. *Non minor*. Non minorem dicit, quia ipsi quoque L. Crasso, præter laudes ceteras, latine loquendi laudem tribuit in Bruto, cap. 38. FACC.—Melius, ut nobis videtur, intp. M. Heus. nihilo tamen minus Catuli latinius loqui credebantur.

15. *Sale vero et facetiis Cæsar*. MS Goth. «sale autem facetiis conditus Cæsar». Tres Oxx. cum edd. aliquot vett. «sale vero conditus et facetiis». MS Lubec. «sale autem conditus et facetiis C.» GERN. — *Cæsar*. Non auctor Commentariorum, sed C. Julius Cæsar Lucii filius, Catuli senis frater patruelis, cui disputationem de facetiis Cicero tribuit in lib. I de Orat. FACC.—Non fratrem patruelem, sed uterinum intelligendum esse contendit J. M. Heusinger ad h. l. GERN.

tris frater, vicit omnes; ut in ipso illo forensi genere dicendi contentiones aliorum sermone vinceret.

In omnibus igitur his elaborandum est, si in omni re[16], quid deceat, exquirimus. Sit igitur[17] hic sermo, 134
in quo Socratici[18] maxime excellunt, lenis minimeque pertinax: insit in eo lepos. Nec vero, tamquam in possessionem venerit[19], excludat alios[20]; sed quum reliquis in rebus, tum in sermone communi, vicissitudinem non iniquam[21] putet. Ac videat in primis, quibus de rebus loquatur: si seriis[22], severitatem adhibeat; si jocosis, leporem: in primisque provideat, ne sermo vitium aliquod indicet inesse in[23] moribus:

16. *Si in omni re.* Grævius *in omni sine re*, quod ipse in secunda editione 1691 mutavit. Sed plerique lib. apud Heusingeros habent *re*, quod ceteri critici receperunt. Edd. vett. multæ « in omnibus ».

17. *Sit igitur.* Gern. post J. F. Heus. ex Gu. omnibus *sit ergo*. Sequitur Beierus, quia *igitur* modo præcessit.

18. *Socratici.* Socratici philosophi, quum rerum omnium ignorationem simularent, minime erant contentiosi, minimeque pertinaces. Facc. — Inter eos eminent Plato et Xenophon.

19. *In possessionem venerit.* Gern. scribit « in poss. suam ven. ». Pronomen, inquit, quod Anemœcius in suo cod. non invenit, Ernesti, quum esset in libris nonnullis omissum, delevit. Non minus autem *suam* retinendum est, quam II, 19, 65, « quam (juris cognitionem) in possessione sua principes retinuerunt ». Gern.—Sermo non excludat alios, id est, qui in circulis et conviviis loquetur, non sibi soli loquendi jus arroget, quasi in re sibi propria versetur. M. Heus.

20. *Excludat alios.* Notat garrulos et blaterones. Facc.

21. *Vicissitudinem non iniquam.* Al. « vicissitudine nonnumquam utendum ». Facc.—Suffragantur MSS Bald. Gu. 1, 2, λ, μ, Anemœcius, Lang. Lambin. Ernest. Heusingg. Al. *utendum* omittunt. Gern.

22. *Si seriis.* Particulam *de* addidi ex meo codice. Facc. — Idem, nescio an ejusdem cod. fide, scripsit « si de jocosis ». Intelligendum autem est *de rebus :* certe non verisimile est, præpositionem, ne in uno quidem reliquorum codicum repetitam, post *si* bis excidisse. Verba autem, quæ ad hominem sermocinantem proprie pertinent, « excludat... putet... videat, etc. » sermoni tribuuntur. Hujus prosopopœiæ exempla vide c. 33, 121; II, 11, 39, « omnis ratio atque institutio vitæ... desiderat... ut habeat, quibuscum possit familiares conferre sermones ». Gern.

23. *Ne sermo vitium aliquod indicet inesse in moribus.* Præpositionem *in*, quam Heusingeri, post alios, e quatuor Ox. et Gu. 1, 4 et 5, a prima manu dederunt, Grævius in suis libris non repertam et Facciolatus abesse passi sunt. Gern.

quod maxime tum solet evenire, quum studiose de absentibus, detrahendi causa [24], aut per ridiculum [25], aut severe, maledice contumelioseque dicitur. Ha-
135 bentur autem plerumque sermones aut de domesticis negotiis, aut de republica, aut de artium studiis atque doctrina. Danda igitur opera est, ut etiam si aberrare ad alia cœperit, ad hæc revocetur oratio: sed, utcumque aderunt [26]; neque enim omnes iisdem de rebus [27], nec omni tempore, nec similiter delectamur. Animadvertendum est etiam [28], quatenus sermo delectationem habeat; et, ut incipiendi ratio fuerit, ita sit desinendi modus.

136 XXXVIII. Sed quomodo [1] in omni vita rectissime

24. *Detrahendi causa. Detrahere* absolute ponitur pro *obtrectare*. Plenius Orat. I, cap. 9, « ne... de hujus... aut arte aut gloria detraham ». Cf. Schütz. in Lex. Cic. s. v. p. 82, n. 4, et de re ipsa Theophrast. Char. 28 περὶ κακολογίας. Beier.

25. *Per ridiculum*. Ven. quart. « per ridicule ».

26. *Utcumque aderunt*. Ad verba *utcumque aderunt* vocem *res* sive addas, sive, quum a plurimis libris absit, intelligas; certe minus bene dicuntur *res* adesse, de quibus loquaris, quam *homines*, qui audiant, ut c. 38 extr. eosque Gronov. Pearc. Olivet. Ernest. et Heuss. intelligunt, hoc sensu, « prout homines aderunt ». Gern. — In primis videndum, quibuscum sermones serimus. Nam velle apud nautas de re rustica loqui, aut apud milites de navibus, et instrumento nautico, ineptum esset. Itaque ad eorum ingenium est accommodandus sermo, cum quibus seritur. Græv.

27. *Iisdem de rebus*. Præpositionem *de* septem lib. Manut. unus Ox. una Venet. Gryph. Bald. Lamb. Pearc. et Facciol. expellunt. Non assentior. Verbum *delectamur* ad proxima *omni tempore* et *similiter* accommodatum est, non item ad « iisdem de rebus », quæ aliud verbum exspectabant. Mox Vin. Ven. omnes, Arg. Ald. Lamb. « in omni tempore » et sic etiam nonnullæ edd. vett. MSS Gu. refragantibus, et quidem codd. omittunt *nec* ante *similiter*, probante Pearc.

28. *Animadvertendum est etiam*. Anemœcius, Bald. Facc. et Heusingeri e Venetis et Argent. post *oratio* plene interpungunt. Verba *neque enim... delectamur* parentheseos signis includunt, struuntque « Sed... animadvertendum, etc. » Verum enim non solum in finiendo sermone ratio habenda erit eorum, quibuscum versamur, sed multo etiam magis, si loqui incipimus. Deinde verba « Animadvertendum est etiam » fere semper periodi faciunt initium, neque bene in medio loco post parenthesin ponuntur. Gern.

XXXVIII. 1. *Quomodo*. Nonnulli libri *quoniam*. Græv. 1, *quemadmodum*. MSS Balduini *quomodo*. Vid. Fin. III, 20, 66, « Quemadmodum

præcipitur, ut perturbationes fugiamus, id est, motus animi nimios, rationi non obtemperantes : sic ejusmodi motibus sermo debet vacare, ne aut ira exsistat, aut cupiditas aliqua, aut pigritia, aut ignavia, aut tale aliquid[2] appareat: maximeque curandum est, ut eos, quibuscum sermonem conferimus[3], et vereri, et diligere videamur. Objurgationes etiam nonnumquam incidunt necessariæ, in quibus utendum est fortasse et vocis contentione majore, et verborum gravitate acriore. Id agendum etiam, ut ne ea facere videamur irati[4]: sed, ut ad urendum, et secandum[5], sic et ad hoc[6] genus castigandi, raro invitique veniemus[7], nec umquam, nisi necessario, si nulla reperietur alia me-

igitur... et quomodo... sic, etc.» Gern.—Beier vv. «in omni vita» inter virgulas ponit, ut referantur ad *fugiamus*. Sed minime ista subtili distinctione opus est.

2. *Tale aliquid.* Alii libri «aliquid tale». Alii, «quid tale».

3. *Conferimus.* Gern. *conferemus.* Hanc, inquit, optimorum codd. lectionem post Victorium, Lang. et Græv. receperunt etiam Heusingeri. Ernesti *conferimus*. Edit. Ascensii *conferamus*. Gern. — Beierus, qui cum Gern. facit, notat: Schütz. tacito reduxit Ernesti lectionem *conferimus*, incongrue : nisi forte ipse V. D. perpetuum cum aliis sermonem confert. Hic jocus magis ridiculus quam ridendus videtur; nam perfutilis est ipsa Beieri in Schütz. lect. observatio.

4. *Ut ne ea facere videamur irati.* Gern. delet *ne*, notatque : Veram lectionem, a Fabricio e J. F. Heusing. receptam, integram servant Facciol. codex et Langii libri, et Gu. 1, qui tollunt negationem, quam qui scripserunt, haud animadverterunt, non præcipi, ut irascamur, sed ut in objurgando iram simulemus, quo segnes audientium animi concitentur, ut ait Seneca de Ira, II, 14. Accedit, quod illud *ne* vel *non* in libris aliis alio loco legitur. Egregie etiam monet Hottinger in not. ad h. l. p. 173 sqq. si *ne* retineatur, pro *etiam* post *agendum* scribi debere *tamen* : quod olim Grut. conjecerat libris repugnantibus: at vel sic eamdem sententiam bis legi : vide, quæ sequuntur, «sed tamen ira procul absit». Gern. — Et Schütz. delevit *ne*.

5. *Secandum.* Sumpta similitudo a medicorum more. Quidam veriti, ne id satis non intelligeretur, post *secandum* addidere *medici*. Facc. — In his est Ald. et Lamb. cum duobus Ox. Gern.

6. *Sic et ad hoc genus castigandi.* *Et* abest a Gu. pr. sec. tert. Nonio, in voce *rarum*, impress. vett. multis et Pearcio.

7. *Veniemus.* Goth. unus, Ox. Gu. sec. quint. a manu pr. Nonius l. l. *veniamus*, quod Henricus Saganensis et Gothofredus dederunt, probante Pearcio.

dicina. Sed tamen ira procul absit, cum qua nihil
137 recte fieri, nihil considerate potest. Magna autem parte[8] clementi castigatione licet uti, gravitate tamen adjuncta, ut et severitas adhibeatur, et contumelia repellatur. Atque etiam illud ipsum, quod acerbitatis habet objurgatio, significandum est, ipsius[9] causa, qui objurgetur, susceptum esse. Rectum est[10] autem, etiam in illis contentionibus, quæ cum inimicissimis fiunt, etiam si nobis indigna[11] audiamus, tamen gravitatem retinere, iracundiam repellere[12]. Quæ enim cum aliqua perturbatione fiunt, nec constanter[13] fieri possunt, nec ab iis, qui adsunt, probari. Deforme etiam est[14], de se ipso[15] prædicare, falsa præsertim,

8. *Magna autem parte*. Al. «magnam partem»; al. «magna ex parte». Facc.—Favent libri Langii et Heuss. cum Græv. 1, excepto uno Ox. et Manut. qui leg. «magna autem ex p.» quod Hier. Volfius, Henricus Saganensis et Gothofredus dederunt. Accusativus placet Langio, Lamb. et Pearc. Gern. — Beierus accusativum tuetur; quo sublato, dicit præp. *ex* esse necessariam. Int. «sed plerumque uti licet, etc.»

9. *Ipsius causa*. Gern. «ipsius id causa». Pronomen, inquit, post Anemœcium, Gryph. et Bald. Heusingerus recepit e Gu. 1, 2, 4, 5, et quinque Ox. ut III, 3, 9 seq. Gern. — Schütz. etiam addidit *id*. — Int. ideo ut ejus saluti et utilitati consulatur. M. Heus.

10. *Rectum est autem, etiam. Autem*, quod vulgo ante *etiam*, in Gu. 3, ante *est* legitur, in Goth. et Gu. 1, ut II, 18, 64, male omittitur. Gern.

11. *Nobis indigna*. Probra immerentibus et vix tolerabilia. M. Heus.

12. *Repellere. Pellere* pro *repellere* Pearc. scripsit, et Gern. ipse dedit. —Schützius idem fecit.

13. *Nec constanter*. J. F. Heusing. assumpsit «ea nec constanter» e Gu. 2, 3, 4, 5, exc. Bedæ atque Eybi, et ed. Gryph. quibus accedit cod. Lubec. et sic Schütz. edidit. Imprr. vett. multi «neque ea constanter», quod nobis apte respondere videtur sqq. «nec ab iis», præsertim si cum J. F. Heusing. et Schütz. scribas «neque iis» e Gu. 1, 2, 3, ed. Gryph. et quibusdam qui scribunt «neque hiis». Beier. scribit «nec iis». — *Nec constanter*. Quia qui facit aliquid perturbatus, non constat sibi, nec modum tenet, pro susceptæ personæ dignitate. Facc.

14. *Deforme etiam est*, etc. Gern. transp. *etiam est*, improbante Beiero. Multi enim aliorum objurgationibus immiscent laudes suas, quasi per comparationem. Sed vix ullum tempus est, quo istiusmodi prædicationes probentur. Facc.

15. *De se ipso*. Gern. «de se ipsum». Ita, inquit, Heusingerus e Gu. 1 et 2. Reliqui «de se ipso». Quod non pro-

et, cum irrisione audientium, imitari militem gloriosum[16].

XXXIX. Et quoniam omnia persequimur[1], volumus quidem certe[2], dicendum est etiam, qualem hominis honorati[3] et principis domum placeat esse: cujus finis est usus[4]; ad quem accommodanda est ædificandi descriptio; et tamen adhibenda dignitatis commoditatisque[5] diligentia. Cn. Octavio[6], qui primus ex illa familia consul factus est, honori fuisse accepimus, quod præclaram ædificasset in Palatio[7], et plenam dignitatis domum: quæ quum vulgo viseretur[8], suffragata domino, novo homini[9], ad consulatum puta- 138

bandum est ad similitudinem II, 19, 67, « ni vererer, ne de me ipso aliquid viderer queri ». In his enim intelligitur: quum deberem queri de eloquentia et de aliis. « De se ipsum prædicare deforme est », quod exspectandum est, dum alii te laudent. Gern.—Vide Dukeri adnotat. ad Flor. III, 18, 7. Schütz. *ipsum* scripsit. Contra Beier. Revocavimus antiquam lectionem propter hæc Cat. Maj. 9, 12, « Nihil necesse est mihi, de me ipso dicere », i. e. (10, 1) « de virtutibus meis prædicare »; 23, 2 (82), « ut de me ipso aliquid more senum glorier ».

16. *Miles gloriosus* intelligitur in cognomine comœdia Plautina Pyrgopolinices, cui geminissimus est Thraso in Terentii Eunucho, act III, sc. 1, et act. IV, sc. 7. Cf. Theophrast. XXIII, περὶ ἀλαζονείας, § 2. Beier.

XXXIX. 1. *Omnia persequimur.* Quæ ad descriptionem omnium officiorum pertinent.

2. *Volumus quidem c.* Sc. omnia persequi. Hæc per parenthesin dicuntur, modestiæ causa.

3. *Honorati.* Honorum titulis ornati. Facc

4. *Cujus... est usus*, non ostentatio.

5. *Dignitatis commoditatisque....* Gern. transp. « comm. dignitatisque ». Sic, inquit, Heusinger, jubentibus omnib. MSS Gu. post Gryphium, Bald. H. Wolf. et Pearc.

6. *Cn. Octavio.* De Perseo rege Macedoniæ triumphavit post præturam, sed navali triumpho. Consul fuit anno U. C. 628. De hoc cf. Cic. Philippic. IX. Græv.

7. *Palatio.* Quidam codd. *Palateo*, quod Grut. recepit, improbantibus ceteris. Vide Sigon. et Drakenb. ad Liv. I, 6, 4. — *Palatium* pars urbis celeberrima, principum fere domibus occupata.

8. *Vulgo viseretur.* Quum in populi oculis esset, ac probaretur, domino petenti consulatum auxilio fuit. Porro urbane dicitur domus suffragata domino. Facc.—Male interpt. Facciol. « in populi oculis esset »; non solum videbatur, sed ejus admirandæ causa populus eam invisebat. Bene vertit intp. gallicus: *comme elle était l'objet de la curiosité publique.*

9. *Novo homini.* Non *novus* dicitur Octavius, quatenus respicitur familiæ

batur. Hanc Scaurus[10] demolitus, accessionem adjunxit
ædibus. Itaque ille in suam domum consulatum primus
attulit; hic, summi et clarissimi viri filius, in domum
multiplicatam[11], non repulsam[12] solum retulit, sed
139 ignominiam, etiam calamitatem[13]. Ornanda est enim
dignitas domo, non ex domo tota quærenda; nec
domo dominus, sed domino domus honestanda est.
Et ut in ceteris habenda ratio non sua solum[14], sed
etiam aliorum: sic in domo clari hominis, in quam
et hospites multi recipiendi, et admittenda hominum
cujusque modi[15] multitudo, adhibenda est cura[16] laxi-

origo, quam jamdudum Numa civitate donaverat: sed quod ante id tempus majores nullum magistratum populi suffragio datum gesserant. Anonym.

10. *Scaurus*. M. Æmilii, viri triumphalis et principis senatus (de quo vid. cap. 28), filius ex hac domo eversa auxit ædes suas: unde invidia, et ex invidia repulsa. Facc.

11. *In domum multiplicatam*. Accessione Octaviana amplificatam.

12. *Repulsam*. Quum consulatum peteret. Vulgo intp. « repulsam tulisset », i. e. si in campo victus esset a competitoribus. Sed jam ante comitia Scaurum a Q. Pompeio abjectum esse, scribitur III, ad Q. fr. ep. 8, sect. 3, quin etiam reum factum, ep. 2 extr. Beier.

13. *Etiam calamitatem*. Sic post Langium, Ernest. Oliv. Schütz. Gern. autem scribit *et calam*. Facciol. a. 699, retulit « ignominiam et calamitatem ». Schütz. tacito revocavit « etiam calamitatem »: quæ lectio corrupta videtur ex ea, quæ est in Ven. 1498, utraque Lips. alia s. l. et a. Lugd. 1527. — Scaurus intra paucos dies a P. Triario repetundarum ob præturam in Sicilia gestam, et ambitus accusatus, bis a Cicerone defensus est; in priore judicio repetundarum absolutum eum esse constat, in altero condemnatum esse, indicia valde probabilia sunt. Et Facc. post Manut. dicit eum sua sponte exsulasse. — De ornatissimæ orationis prioris parte quam pro Scauro Cicero habuit, ante hos sex annos ab Ang. Maio edita, nihil innotuisse videtur Degenio. Vid. apud Schütz. t. XVI, part. II, p. 37 sqq. cum Asconii argumento, p. 232 sqq. Beier.

14. *Non sua solum*. Sic Heuss. cum suis plerisque codd. Alii, ut Facc. Oliv. Pearc. *hic*, quod in duobus Ven. et Argent. legitur, probantibus Erasmo et Aldo. Cf. ep. XVI, 12, 4. Gern. et Schütz. *sua*.

15. *Cujusque modi*. Ita cum Nonio in voc. *laxum* Lange, Fabric. Græv. Reliqui fere omnes tenent « cujusque generis ». Gern.

16. *Adhibenda est cura laxit*. Gern. « adhibenda cura est laxit. » Ita, inquit, Heusinger. e Gu. 1, 2, Magont. Inc. Lugd. 1527, et Nonio, ut par erat, transposuit. — Cum Gern. Beierus facit, sicut in sqq. « dedecori sæpe dom. fit ».

tatis. Aliter[17] ampla domus dedecori domino sæpe fit[18], si est in ea solitudo; et maxime, si aliquando, alio domino, solita est frequentari. Odiosum est enim, quum a prætereuntibus dicitur:

O domus antiqua[19], heu, quam dispari dominare domino!

quod quidem his temporibus in multis[20] licet dicere. Cavendum autem est[21], præsertim si ipse ædifices, ne extra modum sumptu, et magnificentia prodeas: quo in genere multum mali etiam[22] in exemplo est. Studiose enim plerique, præsertim in hanc[23] partem, facta principum[24] imitantur: ut L. Luculli[25], summi

17. *Aliter.* Alioqui si ea laxitatis causa non est, quam dixi. M. Heus. — Vertit intp. gallicus : *d'une autre côté*, quem sensum meliorem putamus : nam non accidere potest, ut ea laxitatis causa in domo clari hominis non exsistat : sed dicit auctor : in altera parte cavendum est ne nimis ampla sit; nam, etc.

18. *Ded. dom. sæpe fit.* Gern. post Heusing. e Gu. tribus « dedecori sæpe domino fit ».

19. *O domus antiqua.* Al. « O domus Anci ». Carmen ex veteri poeta sumptum, de quo vide Erasmum in Chiliadibus. Facc. — Alteram lectionem retinuerunt editores fragmentt. Enn. versu dactyl. hexam. sed omissa interjectione *heu*. Videtur hic integer adhiberi veteris poetæ locus; quum Philipp. II, 41, non nisi « quam dispari domino » legatur, et cetera sint ad illius loci rationem accommodata. Verbi *dominari* passivi usus veterum imitatori Lactantio placuit Mort. Persec. c. 16, 7 : « Hic est verus triumphus, quum dominatio dominatur », et Iren. Hær. V, 9. Ceterum assentior Grævio ex suis et Heusingero e Gu. 2 et 4 transponentibus. Alii, « domino dominare ». Alii, *dominaris*. Gern. — Gern. cum F. Heus. versus hos ut iambicos sic disposuit : « o domus antiqua, heu, quam dispari Dominare domino ! » — Plank ad fragmenta Ennii Medeæ subjecta, p. 104, ad Ennii Annal. I, refert et cum Mich. Heus. suam tamen orthographiam sequutus, scripsit : « ... o domus Ancei Anteiqua ! heu quam disparilei domino dominare »! Beier.

20. *In multis.* Hæc duo in Laurentii codice recte excludi judicat C. Lange. Non debent autem abesse. Gern. — Significat Pompeii et ceterorum domos, post Cæsaris victoriam, ad indignos translatas esse.

21. *Cavendum autem est. Cavendum est autem* Beier. scribit e Goth. et Gu. 3, quo ordine servato Vin. duo Oxon. Gu. 5, et edd vett. substituunt *etiam*.

22. *Etiam.* Int. etiamsi in re ipsa malum non esset, exemplum perniciosum est ob injectam æmulandæ magnificentiæ cupiditatem.

23. *In hanc partem.* Multi imprr. vett. « in hac parte ».

24. *Principum.* Heusingeri cum quibusdam codd. *principium*. Vide Drakenb. Liv. II, 27, 12.

25. *L. Luculli... virtutem.* Quæ

viri, virtutem, quis? at quam[26] multi villarum magnificentiam imitati sunt? quarum quidem certe est adhibendus modus, ad mediocritatemque revocandus. Eademque mediocritas[27] ad usum[28], cultumque vitæ transferenda est. Sed hæc hactenus[29].

In omni autem actione suscipienda[30], tria sunt tenenda primum, ut appetitus rationi pareat; quo nihil est ad officia conservanda accommodatius: deinde, ut animadvertatur, quanta illa res sit, quam efficere

copiose et eleganter describitur initio Academici quarti. Facc.—*L. Luculli, summi viri, virtutem* dilaudat Cicero Acad. lib. II, pr. et Manil. 8, 20 sq. De hujus Xerxis togati, cujus vitam enarrat Plut. villis vid. Varro de Re rust. I, 2, 10, 7, « cum Metelli ac Luculli villis, pessimo publico ædificatis, certant ». Columella, I, 4, 6; Plin. H. N. IX, cap. 54; Phædr. II, fab. 5, 9 sq. Beier.

26. *At quam multi villarum*, etc. *Quam* abest a quibusdam libb. *at*, ab aliis.

27. *Eademque mediocritas*. Facc. vellet « ipsaque mediocritas », quod ceteris placuit.

28. *Eademque medioc. ad usum, cultumque vitæ transferenda est.* Alii, « ad communem usum »; alii, « ad omnem usum. Itaque sensus erit, eamdem mediocritatem, quæ in villis ædificandis adhiberi debet, ad omnem vitam esse transferendam, ut nihil fiat, nisi intra modum. Facc. — Beier. *omnem* edidit.

29. *Sed hæc hactenus*. Id est, de iis, quæ ad temperantiam pertinent, quatenus modum in omni vitæ usu præscribit. Deinceps de hujus virtutis officiis, quæ ex loco et tempore ducuntur, in cap. 41 (c. 40). Facc.

30. *In omni autem actione suscipienda*. Quomodo cohærent hæc? suntne Ciceronis? Si conjungenda sunt cum postremis verbis capitis superioris, non habent locum illa: « Sed hæc hactenus ». Quicumque sit auctor, per quamdam veluti epitomen colligit in tria capita, quæ hactenus de ornatu ad actionem apto sunt explicata, vel explicata fuisse putat. Facc.—Gottleber. suspicatur, his breviter repetitis Ciceronem filii ingenio subvenire voluisse, fortasse etiam moribus Ciceronis paullo senioris aliquid tribuendum esse. Potius equidem illud esse putem, in quo consentientem habeo J. F. Heusingerum, quum verba *hæc hactenus* ad vestitum, sermonem, aliasque vitæ partes, de quibus disputavit, referenda sint, paucis his collectis et comparatis de omni actione præcipiendum fuisse. Ita hic locus de ornatu ad omnem actionem apto, vid. cap. 35, 126, concluditur. Deinceps de ordine. Similis ratio est c. 26, 92. Beier. expositis variis criticorum sententiis, addit: Quid igitur censebimus? scilicet toti superiori loco de decoro hæc corollarii instar adjici; ut solet Noster, e. g. § 160 pr. Idque etiam Gern. agnoscere videtur, comparans rationem illam § 92 pr. Beier. — Schütz. ita J. F. Heus. assentitur, ut tamen ea abesse malit.

velimus; ut neve major[31], neve minor cura, et opera suscipiatur[32], quam causa postulet: tertium est [ut caveamus[33]], ut ea, quæ pertinent ad liberalem speciem et dignitatem[34] moderata sint. Modus autem est optimus, decus ipsum tenere[35], de quo ante diximus, nec progredi longius. Horum tamen trium[36] præstantissimum est, appetitum obtemperare[37] rationi.

XL. Deinceps[1] de ordine rerum, et temporum[2] op- 142

31. *Ut neve major.* Exc. Bedæ atque Eybi et imprr. vett. ap. J. F. Heus. *ut* omittunt; et nonnullæ edd. vett. *neu major.*

32. *Opera suscipiatur.* Cicero dixisset, « opera adhibeatur », quum proxima sit vox *suscipienda.* Facc. —Vir D. Ciceronem suum in verborum ornatu et varietate quærenda fingit nimis diligentem. Quamquam Facciolatus non ipsam hanc phrasin reprehendit, quod M. Heusingero visum est et Gottlebero, qui eam docet legi in epistola Balbi ad Attic. VIII, 15. Satius erat laudare ipsum Ciceronem pro Balbo, c. 17. Ceterum vide cap. 21, 71, *concedere* bis positum.

33. *Tertium est ut cav.* etc. Totum hoc membrum variis lectionibus vexatur, quarum nulla satis probabilis est et apta loco. Facc.—Verba *ut caveamus*, quæ post Gruterum Ernestio displicuerunt, defendit J. F. Heusingerus. Addo c. 14, 42: « Videndum est, ne... ut... tribuatur ». Gern.—Sic hæc verba Gern. et Schütz. uncis liberaverunt. — In quibusdam edd. *est* post *tertium* abest.

34. *Liberalem speciem et dignitatem.* Alii cum Anemoec. « liberalitatem specie et dignitate ». Gern.

35. *Decus ipsum tenere.* Decorum, non *decus*, dicendum videbatur, quemadmodum hactenus dixit. Decus enim significat honestatem, ut in libro III, cap. 17 (c. 26), vel cum honestate conjungitur, ut in lib. I, c. 4 (c. 5), tametsi discrimen est aliquod inter utramque vocem, ut inter honestatem et decorum, quod magis intelligi, quam explicari potest. Cui porro satis probatur hæc loquendi ratio, « modus est optimus tenere decus »? Facc. — Cui resp. J. F. Heus. Gern. assentiente: Si noster, quod mihi quidem persuasum est, in præceptis decori tradendis hoc loco versatur, stolide fecisset, si, ut decorum servetur, modum tenendum, ut modus teneatur, decorum servandum esse præcepisset. Aliud quid in his *decus* significat: ornatum scilicet amplitudini ac dignitati cujusque rei vel hominis convenientem.

36. *Horum tamen trium.* Gu. tres et imprr. vett. apud J. F. Heus. « horum autem trium ».

37. *Obtemperare.* Hic infinitus modus sic positus offendit Facciol. de totius loci veritate dubitantem: sed recte infin. defendit J. F. Heusingerus, laudato cap. 38, 137: nec saltem defensione eget.

XL. 1. *Deinceps de ordine*, etc. Transit ad explicandum ultimum ex tribus, quæ cap. 36 (cap. 35) proposita sunt, id est, ordinem. Facc.

2. *Et temporum opportunitate.* Sic plerique. Gern. et Schützius scribunt « et de opportunitate tempor. » cum

portunitate dicendum est. Hac autem scientia[3] continetur ea, quam Græci εὐταξίαν nominant, non[4] hæc quam interpretamur modestiam; quo in verbo modus inest: sed illa est εὐταξία, in qua intelligitur ordinis conservatio. Itaque, ut eamdem nos modestiam appellemus, sic definitur a stoicis, ut modestia sit scientia earum rerum[5], quæ agentur, aut dicentur, loco suo collocandarum. Itaque videtur[6] eadem vis[7]

quatuor MSS Gu. ed. Magont. Gryph. Ascens. (Bald. H. Wolf. omissa præpositione) Pearc. et Heusingg. Beier. « et de temp. opport. »

3. *Hac autem scientia*. Gernhard. et Schütz. scribunt « hæc autem » (sc. ordo rerum et temporum opportun.) « scientia continentur ea ». Hanc, inquit Gernhardus, egregiam lectionem J. F. Heusingerus restituit e Gu. 1 et 2, quibus suffragatur MS Balduini. In Gu. 3 et 4 leg. « Hæc... continetur ». In Goth. « Hac... continentur ». Alii « Hæc autem scientia continet eam ». Gruterus, Græv. Facc. Ern. Gottleb. sequuntur vulgatam « Hac... continetur », quæ est etiam in Duisb. Groning. Huydecoop. μ et ψ.

4. *Non hinc*. Facciolat. scribit *non hæc*, verbaque hæc usque ad εὐταξία spuria putat. — Non totum hunc locum, sed duo hæc, *est* εὐταξία, pro spuriis habet vir D. in Biblioth. crit. II, 8, pag. 78, ut reliqua struantur, Hæc autem continentur scientia ea... non hac... sed illa. Juvat autem locutionis mutatio sequentium verborum *Itaque*, etc. perspicuitatem, neque in his libris rara est. Vid. cap. 7, 22. Etenim *non hanc* pendet a verbo *nominant* cum brevitate quadam, pro « quæ (εὐταξία) non hæc est, quam interpr.... sed illa, in qua ». Priore autem hujus locutionis parte ad proximum εὐταξίαν accommodata, in posteriore non poterat non scribere, *sed illa est* εὐτ. Verbum *nominant* abest a MS Balduini, in Huydekoop. mutatur in *vocant*. Definitiones εὐταξίας vide apud Stob. Ecl. II, et Casaubon. ad Theophrast. Char. XII. — Schütz. retinuit vulgatam Gu. 5, λ, ψ, duorum MSS apud Græv. in V. L. editionis vet. s. l. et a. et forte paucorum aliorum ll. lectionem: *non hæc*. Post *non* (*n̄*) facile excidere potuit compendium *n*, id est, *enim*. Liceat ergo periculum facere conjecturæ: « q. Græci εὐταξίαν: non enim, quam interpretamur modestiam (quo in verbo modus inest), sed illa est εὐταξία ». Proprie *modestia*, quo in verbo *modus* (τὸ μέτρον) spectatur, græce dicitur μετριότης, id est, loci nobis ipsis convenientis scientia ejusque servandi verecundia. Sed quum non ferret latini sermonis penuria, ut Cicero alterum εὐταξίας genus alio verbo interpretaretur: *modestiæ* verbum nova significatione usurpat excusatius: « ut eamdem nos modestiam appellemus », id est, « si eam quoque rem nobis licet hoc nomine comprehendere ». Beier.

5. *Earum rerum, quæ agentur, aut dicentur*. Nonnulli libri transp. « rerum earum »: alii, « aguntur, dicuntur », probante Casaub.

6. *Itaque videtur*. Gern. et Schütz. « ita videtur ».

7. *Eadem vis*, etc. Idem videtur

ordinis et collocationis fore. Nam et ordinem[8] sic definiunt, compositionem rerum aptis et accommodatis locis. Locum autem actionis[9], opportunitatem temporis esse dicunt. Tempus autem actionis opportunum, græce εὐκαιρία, latine appellatur occasio. Sic fit, ut modestia hæc, quam ita interpretamur[10], ut dixi, scientia sit opportunitatis idoneorum ad agendum temporum. Sed potest eadem esse[11] prudentiæ definitio, 143
de qua principio diximus. Hoc autem loco de moderatione et temperantia, et earum similibus[12] virtutibus quærimus. Itaque, quæ erant prudentiæ propria, suo loco[13] dicta sunt. Quæ autem harum virtutum, de quibus jamdiu[14] loquimur, quæ pertinent ad ve-

esse ordinare et collocare, id est, suo loco ponere. Facc.

8. *Nam et ordinem.* Copulam *et* J. F. Heusingerus a glossatore inculcatam esse recte judicat. Est ea quidem hic non minus inepta, quam cap. 38, 136, ubi vulg. leg. « sic et ad hoc genus ». Idem statuit Gœrenz. ad Leg. II, 12, 29. Gern. — Beierus part. *et* tuitus est. — Schütz. delevit *et*.

9. *Locum... actionis.* Locus actionis est ipsum actionis tempus; et loco agere aliquid, vel agere in loco, est agere pro temporis ratione et opportunitate. Facc.

10. *Hæc, quam ita interpretamur.* Hac significatione quam ei tribuimus. M. Heus. — Post substant. *modestia* pronomen *hæc* male habetur pro pleonasmo verborum seqq. Immo i. valet ac « quam quærimus, qua de agitur »: ut Orat. § 66. Beier.

11. *Sed potest eadem esse.* Gu. 1, et imprr. vett. omnes, apud J. F. Heusing. transp. « sed potest esse eadem ». Palat. 1, et unus Cockmanni « sed potest hæc eadem esse », probante Grutero. — *Sed potest eadem.* Hæc eadem esse potest prudentiæ definitio: sed de prudentia actum est jam supra; nunc autem versamur in temperantiæ officiis et aliarum virtutum, quæ temperantiam comitantur. Facc. — Poterat Cicero, et debebat, ne virtutum diversarum, modestiæ et prudentiæ, eadem videretur definitio, id significare, quo altera ab altera differret, quod Hottinger. adversus Garvium de hoc loco disputans, vidit esse in eo, quod modestia, quum opportunitatem temporum curet, non vult decori sensum offendere; prudentia, quidquid agit, id suscipit cum facillima et certissima ratione, tum tempore idoneo. Gern. — Hæc omnia usque ad *dicenda sunt* Schützius a glossatore interpolata putat, improbante Beiero.

12. *Et earum sim.* Ald. cum quibusdam libb. « et aliis sim. »

13. *Suo loco.* Quidam libb. habent « loco suo ».

14. *De quibus jamdiu.* A cap. 27, unde cœpit temperantiam explicare. Jamque partibus aliis explicatis, sequitur illa, quæ a decoro loci et temporis ducitur. Facc. — Impress. vett.

recundiam, et ad eorum approbationem, quibuscum vivimus, nunc dicenda sunt.

144 Talis est igitur ordo actionum adhibendus, ut, quemadmodum in oratione constanti [15], sic in vita omnia sint apta inter se [16] et convenientia. Turpe est enim, valdeque vitiosum, in re severa convivii [17] dicta, aut delicatum aliquem inferre sermonem. Bene Pericles, quum haberet collegam in prætura Sophoclem [18]

omnes apud J. F. Heusingerum habent *jamdudum*.

15. *In oratione constanti*. Id est, in oratione, quæ sibi constet, cujus partes omnes sibi inter se respondeant. Facc. — Rite laudatur « vita systematica », id est, non confusa, sed in qua idem conservatur ordo, qui in libris systematicis: de qua est singularis Meditatio philosophica auctore J. Christ. Bucky, Lips. 1731, in-4. Nam « quidquid peccatur, perturbatione peccari rationis atque ordinis », monetur Parad. III, 2, 26. Hoc sensu accipienda est Andronici Rhodii illa εὐταξίας definitio : ἐμπειρία περὶ τὰς πράξεις ἔχουσα τὸ βέβαιον : quem ad modum Seneca, ep. 20, præcipit, « ut ipsa inter se vita unius sine actionum dissensione coloris sit, etc. Unam semel, ad quam vivas, regulam prende et ad hanc omnem vitam tuam exæqua ». Et deinde : « Quid est sapientia? Semper idem velle atque idem nolle ». Plin. III, ep. 1 : « Ut certus siderum cursus, ita vita hominum disposita delectat ». Quamquam hæc magis etiam sunt constantiæ, de qua § 111 pr. 119 sq. 125 extr. Cf. Ludov. Mart. Kahlii Diss. philos. de Decoro. Halæ Magd. 1735, § 42 extr. Beier.

16. *Omnia sint apta inter se*. Omnes imprr. vett. apud J. F. Heusing. « sint omnia inter se apta ».

17. *Convivii dicta*. Eam lectionem misere corruperunt, qui genitivum interpretari conati sunt, ut Gu. 1, « convivio verba digna », Gu. 3, « convivio digna ». Plurimi, « convivio dignum », cum Facc. et Pearc.

18. *Sophoclem poetam*. Gernhard. et Schütz. scribunt *Sophoclen*, idem Gern. uncis includit *poetam*, quod Schützius omnino delevit, notatque : Scripturam *Sophoclen* in Gu. 1, 2, et Goth. repertam docte defendit Heus. Quamquam cap. 30, 12, retinuit *Themistoclem*. Post *Sophoclen* vulg. leg. *poetam*.—Rufus in Antexegemat. (in Gruter. Lamp. II, p. 599 seq.) notat errorem Pseudo-Plutarchi, qui in Isocratis vita, ab hoc Sophoclis illam intemperantiam repréhensam, scribit (in Isocrat. edit. H. Wolf. Basil. 1558, pag. 920 ima). Vide ipsum Plutarch. in Pericle, cap. 8 extr. p. 156 extr. Stob. S. XIII, et Val. Maxim. IV, 3 extr. 1, qui sua habet e nostro h. l. Sophocles autem, scriptor tragœdiarum, cum Pericle dux fuit adversus Lacedæmonios (Ol. 83, 3), teste Justino, III, 6 extr. cujus belli meminerunt Thucydid. I, 114, et Diodor. XII, 7, secundum Strabonem autem (XIV, cap. 1, pag. 171 edit. stereot. Lips.) Ol. 84, 4, bello Samio, de quo Thucydid. 115; Diod. cap. 27 sq. cui tempori magis convenit testimonium scriptoris vitæ Sophoclis, p. 22 seq. ed. Schæf. Beier.

poetam, hique[19] de communi officio[20] convenissent,
et casu formosus puer præteriret, dixissetque Sopho-
cles, O puerum pulchrum, Pericle! At enim prætorem,
Sophocle, decet non solum manus, sed etiam oculos
abstinentes habere. Atque hoc idem[21] Sophocles si in
athletarum probatione[22] dixisset, justa reprehensione
caruisset. Tanta vis est et loci, et temporis. Ut si
quis[23], quum causam sit acturus, in itinere, aut in
ambulatione secum ipse meditetur[24], aut si quid aliud
attentius cogitet, non reprehendatur : at hoc idem si
in convivio faciat, inhumanus videatur, inscientia[25]
temporis. Sed ea, quæ multum ab humanitate discre- 145
pant, ut, si quis[26] in foro cantet, aut si qua est alia
magna perversitas, facile apparent, nec[27] magnopere

19. *Hique*. J. F. Heusinger. e solo Gu. 3 dedit *iique*, quod Gern. improbat.

20. *De comm. officio convenissent*. Consultaturi. Facc.

21. *Atque hoc idem*. Victor. Pearc. et Gryph. *atqui*, quod Heusingeri, etsi verum putarent, contra MSS omnes reponere non ausi sunt.

22. *Probatione*. Quidam libb. et imprr. vett. omnes apud J. F. Heusingerum *approbatione*. *Probatio*, inquit M. Heusing. est exploratio, qua robur et ars athletarum experimentis cognoscitur.

23. *Ut si quis*. Gernhardus post J. F. Heusing. e Gu. 2 a man. pr. dedit « ut si qui », conferrique jubet cap. 16, 52. Sequitur eum Beierus, qui statim delet vv. « quum et sit », quia varie in libb. transponuntur.

24. *Meditetur*. Tacito murmure secum loquatur. Facc. — Dicit M. Heusinger. *meditari* de iis frequentissime usurpari, qui declamando exercentur, quod probat exemplis : sed hic sensus h. l. ineptus est, quia non putandus est in convivio declamans quis ab auctore induci; sed solam in convivio taciturnitatem reprehendit.

25. *Inscientia*. Gern. « inscitia temporis ». Vide annot. ad cap. 34, 122; III, 17, 72, et Bremium ad Fat. cap. 16. — Schützius dedit *inscitia* : nobis h. v. non satis bene videtur cum genitivo coire, quod contra est in *inscientia*, a *scientia* ductum. Melius *inscitia* absolute dicitur.

26. *Ut, si quis*. Hoc loco vulg. Gern. servat, at non Beierus, qui cum Grævio 1, ut supra, dedit *qui*.

27. *Nec magnopere*. Heusingerus scripsit *nec magno opere*. Sed C. Langius et F. Fabricius, quos Grævius sequutus cap. 26 pr. dederat *magno opere*, hic vulgatam retinent, nescio an propter negandi particulam, qua vis adverbii quodammodo imminuitur : id quod magis apparet de Senect. cap. 13 : « summa laus senectutis est, quod ea voluptates nullas magnopere desiderat ». Contra Invent. II, 1, 2 : « magno hic opere admiraretur ». Vide cap. 1, 3. Gern.

admonitionem et præcepta desiderant. Quæ autem parva videntur esse delicta, neque a multis intelligi possunt, ab iis est diligentius[28] declinandum : ut in fidibus, aut in tibiis[29], quamvis paullum discrepent, tamen id a sciente animadverti solet; sic videndum[30] est in vita, ne forte quid discrepet, vel multo etiam magis, quo major et melior actionum, quam sonorum concentus est.

146 XLI. Itaque, ut in fidibus musicorum aures vel minima sentiunt; sic nos, si acres ac diligentes esse volumus animadversores[1] vitiorum, magna sæpe intelligemus ex parvis. Ex oculorum obtutu, ex superciliorum aut remissione, aut contractione, ex mœstitia, ex hilaritate, ex risu, ex locutione, ex reticentia, ex contentione vocis, ex submissione[2], ex ceteris similibus, facile judicabimus[3], quid eorum apte fiat, quid ab officio, naturaque discrepet. Quo in genere non est incommodum, quale quodque[4] eorum sit, ex aliis judicare[5] : ut, si quid dedeceat in illis[6], vitemus et

28. *Est diligentius declinandum.* Quidam libb. « diligentius etiam declinandum ». Beierus v. *est* delet, quia varie ponitur in quibusdam libb.

29. *Aut in tibiis. In* delet Pearc. et sic Gu. 1, 2, 3, 4, et Gryph.

30. *Videndum.* Gu. omnes, sec. et quint. exceptis, atque impress. vett. omnes apud J. F. Heusingerum, « sic vivendum est ».

XLI. 1. *Animadversores.* Al. *animadversoresque.* Facc. — Copulam rejici non vult Grævius, sed « diligentes et acres » pro substantivis haberi, quod fieri nequit, quum nihil additum sit, in quo cernatur diligentia, exclusaque voce *judices*, quæ post *diligentes* in aliquot libris imprr. male legitur. Gern.

2. *Ex submissione.* Gern. scribit *et submissione.* Hoc, inquit, recte recepit J. F. Heusinger. ex Nonio in v. *contentio.*

3. *Facile judicabimus, quid eorum apte fiat.* Omnes impress. vett. apud J. F. Heusingerum, « facile judicamus, quid apte eorum fiat », dissentientibus et scriptis et Nonio.

4. *Quale quodque.* Gern. « quale quidque ». — Recte editur « quidque eorum » : habet enim substantivi vim, quam illi pronomini tribuit Gœr. ad Acad. II, 16, 49 extr. Non debebat igitur Schütz. reducere vulg. *quodque.* Beier.

5. *Ex aliis judicare.* Observare an quodque horum, quum illud in aliis videmus, nobis decorum videatur.

6. *Dedeceat in illis.* « In aliis » scripsit Facciolatus, non « in illis », quod Heusingeri ei tribuunt. Quamquam

ipsi[7]. Fit enim, nescio quo modo, ut magis in aliis cernamus[8], quam in nobismet ipsis, si quid delinquitur. Itaque facillime corriguntur in discendo, quorum vitia[9] imitantur, emendandi causa, magistri.

Nec vero[10] alienum est, ad ea eligenda, quæ du- 147
bitationem afferunt[11], adhibere doctos homines, vel
etiam usu peritos, et, quid his[12] de quoque officii
genere placeat, exquirere. Major enim pars[13] eo fere
deferri solet[14], quo a natura ipsa deducitur. In quibus

« In illis » præferendum videtur. « In aliis » videtur Facciolatus ipse conjecisse. Nos sequuti sumus Pearcium, Ernest. et Heuss. Gern.

7. *Vitemus et ipsi.* Gernhardus post J. F. Heusing. abjecit *et* cum Gu. 1, 2, 3, et Gryph. Beierus tamen Gern. sequitur, hoc notato: « Vitemus et ipsi » significaret: « item, ut illi vitant ». De præcepto comparantur Terent. Adelph. IV, 3, 60 seqq. Horat. Serm. I, 4, 105; Plin. II, ep. 6 extr. Male ergo Schütz. *et* restituit.

8. *Magis in aliis cernamus.* Senec. lib. II de Ira, cap. 28, « aliena vitia in oculis habemus, a tergo nostra sunt ». Vid. Phædr. lib. IX, fab. 9; Horat. lib. I, Sat. III, 24. Vid. etiam ad Pisones, ubi de comœdia agitur, et Bœlæi Art. Poetic. eodem loco. Christus apud Matth. 7, 3.

9. *Quorum vitia.* Construe « ii, quorum magistri..... imitantur, facillime corriguntur ». — Magistri, ut vitiorum turpitudinem iis ostendant, quos instituunt, vitia ipsa effingunt et imitantur. Facc.

10. *Nec vero.* In rebus dubiis consulendi sunt, qui doctrina et usu præstant. Facc.

11. *Afferunt.* Cum Ernest. Gottleb. mavult conjunctivum, invitis omnibus libris. Atque res dubiæ non solum possunt, sed solent cuique in vita accidere. Gern.

12. *Quid his de quoque officii*, etc. « Quid iis de quoque offic. » Heusing. dedit e Gu. 3, sed hic non magis opus est hac correctione quam paullo post ubi omnes leg. *hique*. Gern. — Et tamen Gern. in textu habet *iis*.

13. *Major enim pars.* Commune omnium judicium naturam ipsam et veritatem patefacit. Sed videndum est, ne nos decipiant, qui causas habent, cur aliter loquantur, ac sentiunt; aut etiam aliter sentiant, quam natura et veritas poscit. Facc. — Postquam Facc. assensus est, Beier. addit: Degen. hic oppositionem quamdam infert, ut non « majoris partis », sed *doctorum* tantum *hominum* atque *usu peritorum* judicium sequamur. Quam vere, patefacient vv. seqq. « si quid » (i. e. quidquid, ut bis 146 extr.) « reprehensum sit a pluribus, id corrigatur ».

14. *Eo deferri solet.* Sc. in judicio habendo de his quæ decora sunt, vel non, ut interpretatur M. Heusingerus: Quod igitur, inquit, optimis et doctissimis videbitur id maxime sequendum. Alii aliter interpretantur, quasi major pars suam tantum naturam sequens, in officio deligendo erret: sed nos alio ducunt ea quæ sequuntur. Fatendum est interpretationi Heusin-

videndum est, non modo quid quisque loquatur[15], sed
etiam, quid quisque sentiat, atque etiam, qua de causa
quisque sentiat[16]. Ut enim pictores, et ii, qui signa
fabricantur[17], et vero etiam[18] poetæ, suum quisque
opus a vulgo considerari vult, ut, si quid reprehen-
sum sit a pluribus[19], id corrigatur; hique et secum,
et cum aliis, quid in eo peccatum sit, exquirunt: sic
aliorum judicio permulta nobis et facienda, et non fa-
148 cienda, et mutanda, et corrigenda sunt. Quæ vero more
aguntur[20], institutisque civilibus, de iis nihil est præ-
cipiendum. Illa enim ipsa præcepta sunt: nec quem-
quam hoc errore duci oportet, ut, si quid Socrates[21],

geri hoc abesse, quod optimi et doctissimi non sunt major pars.

15. *Quid quisque loquatur.* Multa enim opinionum portenta afferri solebant a philosophis quæ vitæ acta ipsi minime probabant. M. Heus.

16. *Qua de causa quisque sentiat.* Post «qua de causa» additur vulgo «quisque sentiat». Schütz. cum Pearcio duorum codd. Regg. Angl. fide proscripsit *quisque:* Langius et Fabricius etiam *sentiat.* Repetitur quidem idem verbum cum vi, Fin. IV, 14, 38 extr. et gravius etiam hoc loco notio primaria notari videatur ὁμοιοτελεύτῳ: de quo cf. Parrhasii Epist. 17 in Grut. Lamp. I, p. 746. Sed ne ipsi quidem dubitavimus, ad similitudinem loci, Fin. II, 1, 3, pr. h. l. rejicere, addicentibus nonnullis MSS in V. L. apud Grævium. Ceterum vereor, ut hæc recte acceperit Degen. Monet auctor, ut videamus, ne «adulator et blandus id consilium det, quod deliberanti gratius fore suspicetur»: ut ait Seneca, Ep. 77. Seqq. citat Nonius in v. *fabricantur.* Videtur Cic. hic respicere consuetudinem in primis Apellis pictoris: de qua cf. Plin. XXXV, 10 ante med. (sect. 36, 12), et Val. Maxim. VIII, 12 extr. et de poetarum more Horat. Art. Poet. a v. 420, et Ep. I, 19, a v. 39; Persius, I, a v. 51. Alludit etiam Martial. VI, 48. Vid. Rupert. ad Juvenalem, I, 1. Beier.

17. *Fabricantur.* Nonnulli codd. et edd. vett. *fabricant.*

18. *Et vero etiam.* Male codd. et edd. complures vel «et vere etiam», vel «et veri etiam».

19. *A pluribus.* Quia ex pluribus oritur commune judicium, veritatis et naturæ index. Facc.

20. *Quæ more aguntur.* Gernhard. *agentur.* Vide cap. 40, 142 et § seq. «qui magistratum habebunt». Schütz. dedit *agentur.* — Non est imitanda eorum licentia, qui magnis ceteroquin ornati virtutibus, nova quædam et insolentia sibi permitti voluerunt. Facc. — Beierus mallet *aguntur*, id est, agi solent, quam *agentur.*

21. *Socrates*, de cujus petulantia linguæ vid. Tusc. I, cap. 30 pr. (al. 29, 71) Maximi Tyrii λόγος λθ' (39), et *Socrates von Wiggers* ed. alt. pag. 138 seq. 159 seq. de illa autem ibid. 125 seq. 141, 175. Omninoque is, in

aut Aristippus[22] contra morem[23] consuetudinemque civilem fecerint, loquutive sint, idem sibi arbitretur licere. Magnis illi et divinis bonis[24] hanc licentiam assequebantur. Cynicorum[25] vero ratio tota est ejicienda. Est enim inimica verecundiæ, sine qua nihil rectum esse potest, nihil honestum. Eos[26] autem, 149
quorum vita perspecta in rebus honestis atque magnis est, bene de republica sentientes, ac bene meritos, aut merentes, sic ut[27] aliquo honore, aut imperio affectos, observare et colere debemus; tribuere etiam multum senectuti; cedere iis, qui magistratum habebunt; habere delectum civis et peregrini; in ipsoque[28] peregrino, privatimne an publice venerit: ad summam, ne agam de singulis, communem totius generis hominum conciliationem et consociationem colere, tueri, servare debemus[29].

officinis disserere solitus, multos offenderat, quibus, ut Timoni, ἐνοχλῶν videbatur. Vid. perill. Wolfii præfat. ad Aristoph. Nub. p. 12 seq. et scriptores indicatos in Exc. Krugii *Geschichte d. Phil. alter Zeit* ad § 59. Beier.

22. *Aut Aristippus.* Pearcius *et* præferret, quia pluralis sequitur, qui male congruit cum *aut* particula disjunctiva: sed *aut* defendunt pluribus M. et J. F. Heusingg. — Aristippus, genere Cyrenaicus, Socratis quidem auditor, sed summus voluptatis defensor et amator, a quo Cyrenaici philosophi dicti sunt. Vide Diog. Laert. lib. II, 65 seqq.

23. *Contra morem consuetudinemque.* De religione dissentit a Græcis Socrates: Aristippus meretrices sectatus est, vixitque luxuriosius, quam philosophum decuit. M. Heus.

24. *Divinis bonis.* Ingenio, doctrina, eloquentia, magnitudine animi. M. Heus.

25. *Cynicorum.* Cynici omnia in propatulo faciebant, veluti canes, unde illis nomen. Facc.

26. *Eos*, etc. Explicat, quos sequi sine errore possimus, et suscipere debeamus. Eos autem in primis, quorum vita perspecta in rebus honestis est, non secus observare debemus, atque eos, qui in imperio sunt. Facc.

27. *Sic ut.* Omnes fere codd. hanc voc. ignorant, alii conjungunt *sicut*. Interpretatur M. Heusingerus, « non minus, quam », quia, quod iis imperio affectis debeamus postea docet auctor, quum ait: « cedere iis, qui mag. hab. »

28. *In ipsoque.* Omnes imprr. vett. apud J. F. Heus. « in ipso quoque ».

29. *Servare debemus.* Verbum *debemus*, Lamb. teste, non est in omnibus MSS, deletumque a Langio, cui

150 XLII. Jam de artificiis et quæstibus, qui liberales habendi, qui sordidi sint, hæc fere accepimus[1]. Primum improbantur ii quæstus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum[2], ut fœneratorum. Illiberales autem et sordidi quæstus mercenariorum, omniumque[3], quorum operæ[4], non quorum artes emuntur. Est enim illis[5] ipsa merces auctoramentum[6] servitutis. Sordidi etiam putandi[7], qui mercantur a mercatoribus, quod statim vendant. Nihil enim proficiunt[8],

assentitur Grævius in Suppl. ed. min. atque Erfurdtius in notis MSS. Verum in conclusione, *Ad summam*, etc. et quum multa sint inter superiores infinitivos et hos interposita, *debemus* bis scriptum nihil habebit offensionis. Gern.

XLII. 1. *Accepimus*, a majoribus: ab his institutum esse scimus.

2. *Portitorum..... fœneratorum.* Portitores erant, qui portoria exigebant, operamque publicanis in his exigendis locabant. M. Heus. — Fœneratores, qui fere quæstum immodicum faciunt, et pauperes occidunt. Facc. — Vide Salmas. de Usuris, cap. 18, p. 531.

3. *Mercenariorum, omniumque.* Gern. scribit *mercenariorum omnium*, deleto *que*. Sic, inquit, legitur in libris Grævii et Heusingerorum. In Palat. primo vox *omnium* deest. Facc. Oliv. atque Ernest. tuentur « mercenariorum, omniumque », quod ita videtur non contemnendum, ut *omniumque* sit *id est omnium*. De explicativa copula *que* vide Gœrenz. ad Leg. II, 4 pr. Probabilius autem est *omniumque* sic præponi ei enuntiationi quæ superiorem explicat, quam *omnium* pro *eorum* postponi, ut pæne redundet. Eodem enim sensu intelligere videtur *mercenarios*, quo Plato de Republ. II, p. 235 ex edit. Bip. οἱ δὴ πωλοῦντες τὴν τῆς ἰσχύος χρείαν, τὴν τιμὴν ταύτην μισθὸν καλοῦντες, κέκληνται..... μισθωτοί. Sensum autem verborum sequentium juvare conatus est Ernest. omittendo altero pronomine *quorum*, quam tamen correctionem contra librorum omnium fidem comprobare dubitavi. — Audacior fuit Beier. qui scribit simpliciter « quorum operæ, non artes, emuntur ».

4. *Operæ.* Nonnulli libri impress. vett. *opera*. Vide quæ annotavi ad II, 3, 11. Gern.

5. *Est enim illis ipsa merces.* Gern. scribit « in illis ». — *Ipsa merces.* Qui operam locant mercede conducti, tamquam ad servitutem emuntur. Facc.

6. *Auctoramentum*, interprete Turnebo, Advers. II, 20, etiam in opificiis obligatio quædam est, interposita mercede contracta, ipsaque merces *auctorati*, id est, ejus, qui suam operam mercede locavit et sponte se in servitutem addixit, ut gladiator ludo ad depugnandum, aut miles, qui stipendium sibi *auctorat*, i. e. sacramento quasi mercedem quærit. Velleius, II, 30, 1. Cf. Ern. in Schützii Lex. Cic. s. h. v. Beier.

7. *Putandi.* Plures libb. vett. *putantur*.

8. *Proficiunt.* Gernhard. *proficiant.*

nisi admodum mentiantur. Nec vero quidquam est turpius vanitate[9]: opificesque[10] omnes in sordida arte versantur. Nec enim quidquam ingenuum potest habere officina: minimeque artes hæ[11] probandæ, quæ ministræ sunt voluptatum, «cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores», ut ait Terentius[12]. Adde huc[13], si placet, unguentarios, saltatores[14], totumque ludum

Ita, inquit, Gu. 1, Palat. 1, Græv. 1, Nonius sub voce *vanum* teste Heusing. (in Nonii edit. Plantin. 1565, leg. *proficiunt*), ut cap. 40, 144, *inhumanus videatur*. Rell. *proficiunt*. At enim veretur, ne nihil proficiant.

9. *Vanitate*, mendacio.

10. *Opificesque*. Erfurdt. cum Heumanno pro *opificesque* mavult «opifices quoque». Non magis autem hic quidquam mutandum, quam cap. 29, 103, «Ipsumque genus jocandi, etc». Vide Hottingerum ad Divin. I, 3, 5. Particula *que* inservit transitioni pro *porro*. Vide Gœrenzium ad Leg. I, 11, 32, et II, 8, 20. Quod Heusingerus patruus ad h. l. dicit, apud Græcos quidem opifices honestos habitos esse, id locis sat multis refutat Heindorfius ad Plat. Theætet. 85, p. 402. Gern.— Conf. J. A. Ernestius de privat. Rom. disciplina in Opp. philoll. et critic. pag. 8, et de negotiatoribus Rom. De omni βαναυσίᾳ apud Roman. ad servos amandata testis citatur Dionysius Halic. II, cap. 28, et de opificiis etiam apud Græcos inhonestis Gern. conferre jubet Heindorfium ad Plat. Theætet. 85, pag. 402. Eadem improbabat Socrates, quod animum opificum debilitarent, ut scribit Xenophon in Œcon. 4, 2 seq. Cf. Garvium ad h. l. p. 276 seqq. Beier.

11. *Artes hæ*. Gern. *eæ*. Neutrum pronomen admisit Facciolatus cum editt. vett.

12. *Terentius*. Terentii versus est ex Eun. II, 2, 26, ubi intt. docent «avium fartores» dici «aviarios altiliarios», qui «anseres, gallinas, etc. farciunt», id est, turundis saginant. Vide Cat. R. R. 89. *Cetarii* non recentes, ut fere *piscatores*, sed muriaticos pisces vendunt et salsamenta, unde iidem *salsamentarii* vocantur. «Coquus vilissimum antiquis mancipium» dicitur Livio, XXXIX, 6 extr. Cf. Plaut. Aulul. II, 4, 1; Columell. Præfat. § 5, et Cic. pro Rosc. Amer. 44, 134, ubi describitur «officina nequitiæ». *Unguentarii* etiam apud Horat. Serm. II, 3, 228, iidem sunt qui græco nomine in Plauti Trin. II, 4, 7 (407) dicuntur *myropolæ*, Plutarcho in Pericle, 1, ubi de eorumdem contemptu, μυρεψοί. Delectabantur delicatiores homines præ ceteris «amomo, malobathro, myrrha et nardo»: de qua *merce Syra* vid. Mitscherlich. ad Hor. II, Carm. 2, 8. Beier.

13. *Adde huc*. Impress. vett. *his*. — Cetarios, coquos, etc. nominavit ex Terentio; nunc ipse aliquos nominat, quorum ars ad voluptatem refertur. Facc.

14. *Saltatores*. Pro varietate regionum et temporum saltatores modo probati sunt, modo improbati. Hic eos intelligit, qui sunt ex histrionum grege, vel saltatorium ludum aperiunt. Facc. — Describit «ludum saltatorium» Macrob. Sat. II, 10. Luculen-

151 talarium[15]. Quibus autem artibus aut prudentia[16] major inest, aut non mediocris utilitas[17] quæritur, ut medicina, ut architectura, ut doctrina rerum honestarum, hæ sunt iis, quorum ordini[18] conveniunt, honestæ. Mercatura[19] autem, si tenuis[20] est, sordida putanda est : sin magna et copiosa[21], multa undique apportans[22], multisque sine vanitate[23] impartiens[24]; non est admodum vituperanda[25]. Atque etiam, si sa-

tius de indecente hac et scurrili saltatione exposuit Grævius ad h. l. quem sequitur Birnbaum. de Natura ac Usu studii antiquitatum, p. 95. De infamia horum saltatorum vid. M. Heusinger. in Diss. de studiis juvent. apud Rom. n. 2, et ad Corn. Nep. Epam. cap. 1. Sed in primis adhibe *Abhandlung von den Pantomimen historisch und kritisch ausgeführt*. Hamburg. 1749, in-8. Beier.

15. *Ludum talarium*. Eos scilicet, qui ædes locabant ad ludendum et ex ludo quæstum sibi quærebant. Facc. — De hoc genere vide Casaubon. ad Suet. August. cap. 71. De reliquis artibus eumdem ad Theophr. Char. 6, 3. Gernhard.

16. *Prudentia major*. In quibus plus valet scientia. Facc.

17. *Non mediocris utilitas*. Nam in ipsis quoque rei literariæ exercitationibus lucellum turpe est. Facc.

18. *Quorum ordini conveniunt*. Quia illæ artes quas dixit non sunt erubescendæ iis qui plebeio genere nati sunt; sed minus iis decoræ, qui summo loco nati sunt, si artibus ex iis quæstus quæreretur. — Vide Senec. de Benef. III, 24; Plin. XXIX, 1, sect. 8 ; Sueton. in Calig. 8. Binkes, n. 74, ea de re laudat jurisconsultorum fragmenta, quæ collegit Weber. *von d. natürl. Verbindlichk.* § 17 sqq. p. 45 sqq. Heineccius, Syntagm. antiquitt. Rom. I, tit. 25, § 19. Beier.

19. *Mercatura*. Antiquis Romanis ignominiæ fuit. Vide Heineccium, l. c. lib. IV, tit. 7, §. 1. In causas inquirit G. Brender. a Brandis in *Vaderl. Magaz.* tom. II, pag. 377, quem laudat Binkes. n. 75; cl. *Montesquieu*, *Esprit des Lois*, XXI, 10 seq. Beier.

20. *Si tenuis*. V. g. qui emunt Patavii, quod vendant Patavii, et statim vendant, ut supra dixit. Ital. *rivenduglioli*. Facc.

21. *Sin magna et copiosa*. Intelligit, quos Græci non simpliciter ἐμπόρους, sed μεγαλεμπόρους. Latini, « magnarios negotiatores », ut Apuleius, qui per aversionem emunt, ac vendunt, non per partes. Nec sic quidem magnopere laudandos esse, qui magnariam hanc mercaturam exercent, docet hic Cicero, nisi quæstu abdicato, et catalysi facta artis quæstuariæ, sese in agros conferant. Salm.

22. *Multa undique apportans*. Ex aliis regionibus suam ditans : quod mercaturæ genus vel ipsi in civitate principes cum dignitate exercent. Facc.

23. *Sine vanitate*. Sine mendacio. Facc.

24. *Impartiens*. Germ. *impertiens*. Sic, inquit, Oliv. et Heuss. cum reliquis plerisque *impartiens*. Vide quæ dicta sunt ad cap. 26, 92.

25. *Non est admodum vituperanda*.

tiata quæstu[26], vel contenta potius, ut sæpe ex alto in portum, ex ipso portu in agros se[27] possessionesque contulerit[28], videtur jure optimo posse laudari. Omnium autem rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero[29] dignius. De qua, quoniam in Catone[30] majore satis multa diximus, illinc assumes, quæ ad hunc locum pertinebunt.

XLIII. Sed ab iis[1] partibus, quæ sunt honestatis, 152

Hinc suspicari licet fuisse illis etiam temporibus nobiles, qui mercibus mutandis rem facerent: quos ita non reprehendit, ut tamen laudari nolit.

26. *Si satiata quæstu.* Si sibi aliquando vivat, qui eam exercet; nec vitam totam maris periculis dedat. Facc.

27. *In agros se.* Gernhard. « se in agros » scribit, notatque: Ernestius e cod. Duisb. dedit « in agros se », quem ordinem dixit, non docuit, esse Ciceronianum. Ut enim in media verba se hoc pronomen immisceat, non tamen accusativos per *que* conjunctos debet disjungere et facere ambiguitatem. — Beierus, qui Ernest. sequitur, nonnulla similis collocationis affert exempla. M. Heusingerus interpretatur, si pecuniam mercatura quæsitam in fundis collocarit, et reliquam vitam agro colendo exegerit.

28. *Contulerit.* Gern. *contulit.* Hoc, inquit, ex optimis libris revocavi eodem jure, quo de eadem mercatura dicitur, « si tenuis est ». Vide cap. 13 pr.

29. *Nihil homine libero.* Al. « nihil homine, nihil libero » : quod minime probandum. Facc. — Alteram lectionem, inquit Gern. qui scripsit simpliciter « nihil libero dignius », rejiciunt Heusingeri, plerisque suis libris jubentibus. Quum autem Beda, ed. Magont. Ven. mutato ordine haberent, « libero homine »; vocem *homine*, quam quin etiam J. F. Heusingerus ejiceret, non multum ipse ait abfuisse, jubente optimo libro Gu. 2, delevi. Nam pro Rabir. cap. 5, « mentio ipsa denique indigna cive romano atque homine libero », propter oppositionem non debebat abesse *homine*; hoc autem loco otiosum est, aliisque in locis ab Heusing. laudatis, Orat. I, 5, 17, 16, 72, in Pison. 10, de Univers. 1: « Artibus, quæ quidem dignæ libero essent, ornatus omnibus », a Cicerone non adhibitum. — Sed quod Cicero in aliis locis non addidit *homine*, non inde concludi potest h. l. non addidisse, quum hac in voce nihil sit aut alieni, aut inelegantiæ, quumque præsertim hæc vox consensu omnium librorum defendatur. — Beierus Gernhardum sequitur. Idem observat: Cf. Rosc. Amer. 17, 48-18, 51; Xenophon, Œcon. cap. 5; Plin. XVIII, cap. 3, et Columella, Præfat. I, ubi § 4, « res rustica proxima et quasi consanguinea sapientiæ esse » dicitur. Virgil. Georgic. II a vs. 486; Horat. Epod. II; Claudian. Epigramm. 52. Brier.

30. *In Catone.* Cap. 15 et proximis inde.

XLIII. 1. *Sed ab iis*, etc. Hæc est

quemadmodum officia ducerentur, satis expositum
videtur. Eorum autem ipsorum, quæ honesta sunt,
potest incidere sæpe contentio et comparatio[2]; de
duobus honestis utrum honestius: qui locus a Panæ-
tio[3] est prætermissus. Nam quum omnis honestas
manet a partibus quatuor, quarum una sit cognitio-
nis[4]; altera, communitatis[5]; tertia, magnanimitatis;
quarta, moderationis: hæ in deligendo[6] officio sæpe
153 inter se comparentur, necesse est. Placet igitur[7],
aptiora esse naturæ ea officia, quæ ex communitate,

libri pars secunda, quæ comparationem continet a Panætio omissam. Tota Ciceronis disputatio huc recidit: Homo natura sua factus est ad agendum et convivendum; ergo cogitationes suas ad actionem referre debet; inter actiones autem eas potissimum suscipere, ceterisque præferre, quæ ad humanæ vitæ communitatem et societatem pertinent. Ex quo sequitur, ex honestis et officiis omnibus illa esse maxima, quæ a vitæ communitate ducuntur, quia maxime naturæ conformia. Porro communitatis nomine utitur, quia per hoc ipsum justitiam descripsit in cap. 6 (cap. 7). Ad justitiam naturæ suæ necessitate accedit fortitudo, ut ostendit in cap. 19, et in lib. II, cap. 7 (cap. 10). Facc. — Honestatis partes sunt prudentia, justitia, fortitudo, modestia. M. Heus.

2. *Et comparatio.* Hæc tamquam glossema, quum abessent a MS Duisb. delevit Ernest. iisdem nihil offensus, cap. 17, 58. Gern.

3. *Qui locus a Panætio est prætermissus.* Non mirum. Stoicis enim placebat peccata esse paria, ut notum est, et nullum esse medium inter virtutem et vitium, honestoque nihil esse honestius, recto nihil rectius.

4. *Una sit cognitionis.* Prima hæc prudentiæ est, sed late fusæ ad omnem veri cognitionem, ut est in cap. 5 (cap. 6), secunda justitiæ, tertia fortitudinis, quarta temperantiæ. Porro secunda et tertia ad actionem pertinent, quarta ad cognitionem simul et actionem, ut dictum est in cap. 6. Facc.

5. *Communitatis. Communitas* hic non objective dicitur pro « rebus, quæ sunt in jure societatis humanæ »; sed subjective, ut III, § 24 pr. pro « virtute, qua societas hominum conjunctioque servatur: omnis ratio humanitatis, ad hominum consociationem accommodata » (§ 100). Resp. cap. 7 pr. et de partibus quatuor honestatis, cap. 5. Beier.

6. *In deligendo officio sæpe inter se comparentur.* Nullo libro præter Grævii cod. suffragante Heusingeri dederunt « in diligendo »; cap. 45, 5, retinuerunt *deligendis.* De quo diximus ad cap. 2, 6. Gern.

7. *Placet igitur.* Prudentiæ officiis justitiæ officia præmittit quippe aptiora naturæ, quod homo ad societatem natus sit, hoc est, ad agendum in commune sui generis bonum. Facc.—Qui *ergo* pro *igitur* scripsit cum impress. vett. Libri scripti et Asc. Græv. Oliv. Ernest. Heus. *igitur.* Gern.

quam ea, quæ ex cognitione ducantur: idque hoc argumento[8] confirmari potest, quod, si contigerit ea vita sapienti, ut in omnium rerum affluentibus copiis, quamvis omnia[9], quæ cognitione digna sint[10], summo otio secum ipse consideret et contempletur; tamen, si solitudo tanta sit, ut hominem videre non possit, excedat e vita[11]. Princepsque omnium virtutum est illa sapientia[12], quam σοφίαν Græci vocant: prudentiam

8. *Hoc argumento.* Vita sapientis, cui rerum omnium copiæ affluunt, si extra humanum consortium sit, quantacumque cognitione alatur, vita non est, sed βίος ἄβιος, ut eam vocat Aristoteles, « vita non vitalis »: quia partes vivunt vitam totius, quatenus illæ conjunctæ sunt. Facc. — Post *potest* Beierus plene interpungit, dicens *quod* particulæ *enim* vim obtinere.

9. *Quamvis omnia.* Aut expellendum est *quamvis*, exemplo cod. H. Wolfii, in V. L. Fabricii, Facciol. Heumann. J. F. Heusinger. aut duplex locutio confusa est, ut, quum post « quamvis ..... contempletur » sequi deberet, « solitudo tanta sit... ut possit; tamen exced. » hæc verba in apodosi scripserit, præposito *si*, vide cap. 5, 15. Certe neque *quamvis* ad *omnia* referendum est, neque legendum « quamvis ea, quæ », quod est in libris imprr. neque auribus probabitur « quævis, quæ », ex Heusingeri patrui correctione. Gern. — Beierus *quamvis* omittit cum Schützio. Nobis videtur « quamvis » quadam ratione ferri posse, positum quasi amplificationis causa, cujus formæ forsan non desunt exempla.

10. *Digna sint.* Gern. scribit « digna sunt », notatque: Heusing. restituit indicativum, quem Gu. 2 ei 4, Ernest. e Duisb. Goth. et edit. Col. in *sint* mutaverant. Sed vide Læl. 23, 87, de eadem re. — Paullo post Beierus cum Goth. et Gu. transp. *solitudo si.*

11. *Excedat e vita.* Facc. Gronov. Græv. scribunt « excidat e vita », scil. Facciolatus quia *excedat* nimio plus significat. — At recte defendit vulgat. *excedat* Heusingerus patr. qui laudat Fin. V, 20, 57. Adde huc Fin. III, 20, 65, Læl. 23, 37, ubi eadem voluptatum abundantia in solitudine fingitur. In iis legitur: « esse omnino nolit in vita: nemo in solitudine vitam agere velit » et similia. Miserrime tractavit hunc locum Sanctius Min. III, 14. Vide Perizonium, n. 18. Gern.

12. *Omnium virtutum est illa sapientia. Est* quod in pluribus libris vario loco transponitur præter Langii et Grævii libros excludunt Gu. 1, 2, μ, et Facciolat. quos recenter Gern. et Schütz. sequuti sunt, et Gern. observat: Non enim hoc agitur, ut sapientia dicatur princeps virtutum, sed ut intelligatur, hanc rerum esse divinarum et humanarum scientiam. Vocem *virtutum* Hottingerus in not. ad h. l. pro insititia habet. Sapientiam enim, quæ sit in cognitione posita, non posse dici *virtutem* (Quidni? si virtus est animi habitus rationi consentaneus, et hoc nomine appellatur huic sapientiæ subjecta sapientia vel prudentia, quæ est bonarum et malarum rerum scientia, cap. 5, 15), atque ad *omnium* illud esse a glossatore

enim [13], quam Græci φρόνησιν dicunt [14], aliam quamdam intelligimus; quæ est rerum expetendarum fugiendarumque scientia. Illa autem [15] sapientia, quam principem dixi, rerum est divinarum atque [16] humanarum scientia : in qua continetur deorum et hominum communitas [17] et societas inter ipsos. Ea si maxima

appositum, intelligi ex iisdem verbis post parenthesin repetitis, in quibus non sit *virtutum*. Non est vero etiam in his *omnium*, ut post parenthesin, si qua repetuntur, intercedente aliqua particula, sæpe non totidem verba, sed necessaria bis scribuntur. Quamquam suspicor, non *virtutum*, sed *omnium virtutum* esse interpretamentum. — *Illa sapientia*. Sapientia, quæ propter virtutes principatum tenet, idcirco tenet, quia rerum divinarum humanarumque cognitione constat, causasque explicat, quibus hæ res continentur; ideoque deorum atque hominum communitatem complectitur. Ergo officia, quæ ex communitate ducuntur, ceteris sunt anteponenda. Porro cognitio rerum divinarum et humanarum, ex modo loquendi Ciceronis, est cognitio totius naturæ, quantam capiunt philosophica studia. Vide lib. II, cap. 2. Facc. — Multa h. l. de sensu vv. « sapientia, prudentia », disserit Beier. quæ operæ pretium est apud eum legere.

13. *Prudentiam enim*. Prudentia licet interdum sapientia dicatur, attamen proprie alia quædam cognoscendi forma est, quæ vertitur in earum rerum scientia et delectu, quas expetere ac fugere debemus. Facc.

14. *Dicunt*. Hanc vocem Heusingg. et Græv. auctoritate multorum libb. ejecerunt sequentibus Oliv. Gernharh. Beier. Schützius tamen eam retinuit post Ern. et Facc.

15. *Illa autem*, etc. Modus resumendæ orationis post parenthesin Ciceroni familiaris. Facc. — Eamdem sapientiæ definitionem vide II, 2, 5; Tusc. IV, 26, 57. Ibid. V, 3, 7, ubique loco accommodatam, et pleniorem, additis fere his, « causarumque, quibus hæ res continentur ». Quæ hic omittuntur, quod una spectatur communitas. Gern.

16. *Rerum est div. atque hum. sc.* Veteres philosophi, Stoici maxime, mundum vel ipsum deum, vel dei esse partem putarunt. Hinc « res divinas » vocant naturales et illarum causas; quippe quæ ad immortalem naturam quam vocant, pertinent.

17. *Deorum et hominum communitas, et societas inter ipsos*. Philosophi isti communitatis voce non homines modo, sed deos quoque comprehendebant, quorum numine et providentia ita contineri rerum universitatem putabant, ut ne ipsi quidem excluderentur. « Mundum (inquit Cicero, de Finib. lib. II, cap. 19), censent regi numine deorum, eumque esse quasi communem urbem et civitatem hominum et deorum ». Facc. — Gernhard. hæc a glossatore ad superiora « rerum divinarum » adscripta censet: « quum societas inter ipsos » esse debeat non « deorum et hominum », sed « hominum ». Nam quæ sequitur *communitas* eam non esse nisi hominum inter homines, ex qua ducantur officia justitiæ; additque Gern. istam hominum

est[18], ut est certe; necesse est[19], quod a communitate ducatur officium, id esse maximum. Etenim[20] cognitio contemplatioque naturæ, manca quodam modo atque inchoata sit, si nulla actio rerum consequatur. Ea autem actio[21] in hominum commodis tuendis maxime

et deorum communitatem non reperiri nisi in spinosis Stoicorum disputationibus; non autem hic locum habere ubi populari utitur disputandi genere, ut Legg. I, 10, 28; Offic. I, 7, 22, 16, 51; III, 17, 69, quæ loca cum nostro sunt conferenda. At vero obstant verba extrema § 160. Quidni igitur hic recte intelligatur « communitas deorum inter deos (concordia Universi, ἡ ἐν τῷ Παντὶ φιλία ap. Plotin. p. 707), « hominum inter homines », denique « deos inter hominesque »? Benefici quum sint in homines dii, homines in deos, par est, ut sint pii et grati. Sic *justitia* complectitur *religionem:* quo verbo Ciceronem, Inv. II, 53, 161, τὴν εὐσέβειαν interpretatum esse, monet Lilie, pag. 36. Non incommode autem legeretur cum Facciolato « societas ipsorum inter ipsos ». De hac societate humana cf. ad cap. 16 pr. de divina illa locis a Gernhardo adscriptis, Leg. I, 7, 23 seqq. Fin. III, 19, 64; Nat. Deor. II, 31, 78 (ubi conf. Creuzer.); add. ibid. 62, 154. Arius Didymus apud Euseb. Præpar. Evang. XV, cap. 15, citatus ab Heusing. et a Lipsio in Physiol. Stoic. Diss. II, 7, Diodor. citatus a Scaligero ad Manil. V, v. 362, p. 390 (275, 6 ed. Lutet. 1579), et præcipue Plato in Gorg. 63, p. 507 E. seq. ed. Steph. Beier.

18. *Ea si m. est.* Refertur ad *sapientiam*, non ad *societatem*, quo refert Gern. qui notat: Cl. Fin. V, 23, 65 pr. « nihil est tam illustre, nec quod latius pateat, quam conjunctio inter homines hominum ». At *sapientia*, ut *princeps* dicatur, non continuo *maxima* appellabitur. Quidni? Eadem II, § 6 dicitur « maximarum rerum ars ». Sed omnem scrupulum adimet, Fin. V, 21, 58 pr. ubi « maximarum actionum » prima censetur « consideratio cognitioque rerum cælestium ». Est ergo i. q. « gravissima, maximi momenti ». Beier. — Ea societas, si maxima est (si latissime patet), ut est certe, necesse est, quod a communitate (quam sine actione tueri nequeas), ducatur officium id esse maximum. M. Heus. — Schützius Gern. sequitur.

19. *Ut est certe; necesse est.* Gern. cum J. F. Heusing. e sat multis libb. interpungit, *ut est, certe necesse est*, quod Beier. probat.

20. *Etenim cognitio.* Cognitio rerum, quanta demum cumque sit, imperfecta est, nisi desinat in actionem, et ab ea compleatur: inter actiones autem ea excellit, quæ tuetur hominum commoda, proindeque ad communitatem pertinet. Hic porro Cicero insistit, quia Peripateticis, apud quos filius instituebatur « maxime, placuit vitæ degendæ ratio quieta, in contemplatione et cognitione posita rerum », ut est in lib. V de Fin. cap. 4. Facc. — Vis hujus argumenti hæc est: Societas humana ejusque officia ex eo, quod continentur in principe sapientia, principatum ducunt sic, ut cognitio non minus, quam ceteræ virtutes, ad communitatem referenda sit, nullamque sine actione laudem habeat. Gern.

21. *Ea autem actio.* Impress. vett. apud J. F. Heusing. *ea vero actio.*

154 cernitur. Pertinet igitur ad societatem generis humani. Ergo hæc cognitioni[22] anteponenda est. Atque id optimus quisque re ipsa ostendit, et judicat. Quis enim est[23] tam cupidus in perspicienda cognoscendaque rerum natura, ut, si ei, tractanti contemplantique res cognitione dignissimas, subito sit allatum[24] periculum discrimenque patriæ, cui subvenire opitularique possit, non illa omnia relinquat atque abjiciat, etiam si dinumerare se stellas, aut metiri mundi magnitudinem posse arbitretur[25]? atque hoc idem in parentis, in
155 amici re aut periculo fecerit. Quibus rebus intelligitur, studiis officiisque scientiæ præponenda esse officia justitiæ[26], quæ pertinent ad hominum utilitatem[27]; qua nihil homini esse debet antiquius.

22. *Ergo hæc cognitioni.* Non solet Cicero ita loqui. Et, nisi fallor, tota hæc conclusio, « Pertinet igitur, etc. » adulterina est, aut legendum, « generis humani, et cognitioni ant. est ». Prior conclusio solum pertinet ad « Ea autem actioni... cernitur ». Sic transitus fit ad eam conclusionem, quæ toto hoc loco quæritur, actionem esse cognitioni anteponendam. Id autem, quo illud efficitur, bis terve a Cicerone hic et in fine capitis commemorari non mirabitur, qui caput seq. legerit. *Ergo* autem post *igitur* nihil habet offensionis, si commate ante *pertinet* interpungatur, ut in Ascens. Si cui *pertinet enim* e cod. ψ placuerit, is hanc enuntiationem post *anteponenda est* collocabit. De re comp. Fin. V, 21, 28. Gern.

23. *Quis enim est.* Beierus e Gu. 5 et edd. vett. transp. « quis est enim ». Nobis in harum vv. collocatione nihil esse certi videtur, operamque perdunt ii, qui in istis leges constituere volunt; plerumque, si non semper, ab arbitrio pendent scribentis, vel a soni ratione.

24. *Sit allatum.* Alii, *sit oblatum.* Facc.—Confirmata hæc est lectio consensu librorum omnium utriusque Heusingeri. Idem tenent Ascensius, Bald. H. Wolf. Oliv. Ern. Gottleb. In Pal. 1, Græv. 1, et ed. Græv. legitur *oblatum*. Gern.

25. *Arbitretur*. Omnes imprr. vett. apud J. F. Heusing. *arbitraretur*.

26. *Officia justitiæ*. Quamvis actiones paullo ante memoratæ ad ipsam quoque fortitudinem pertineant; tamen, quia omnes ad communitatem referendæ sunt, solam justitiam nominat. Vide lib. V de Fin. cap. 23. Facc. — Copiosius contra hos otiosos philosophos noster disputaverat in Hortensio, cujus fragmenta exstant apud Lactant. III, 16, 2 et 5. Priorem locum Schütz. t. XVI, 2, p. 141, inter Fragmenta librorum incertorum posuit; alterum, cum illo arctissime connexum, ipse, p. 105, non dubitavit inter Hortensii fragmenta ponere. Cf. Maximi Tyrii λόγος ε' et ς'. Beier.

27. *Utilitatem*. Sic omnia exemplaria apud M. Heus. et plerique omnes

XLIV. Atque illi[1], quorum studia vitaque omnis
in rerum cognitione versata est, tamen ab augendis
hominum utilitatibus et commodis non recesserunt.
Nam et erudiverunt multos, quo meliores cives utilio-
resque rebus suis publicis[2] essent : ut Thebanum Epa-
minondam Lysis[3] Pythagoreus, Syracusium Dionem[4]
Plato, multique multos : nosque ipsi, quidquid ad
rempublicam attulimus (si modo aliquid attulimus),
a doctoribus, atque a doctrina[5] instructi ad eam, et
ornati accessimus. Neque solum vivi atque præsentes 156
studiosos discendi erudiunt atque docent; sed hoc
idem etiam post mortem monumentis literarum asse-
quuntur. Nec enim locus ullus prætermissus est[6] ab

omnium : sic omnes Gu. ap. J. F. Heusing. et hoc dederunt Pearc. Ernest. Olivet. Gern. post Facc. dedit *caritatem*. Hæc, inquit, lectio e Græv. 1, Palat. 1, et edit. Anemœc. probata est etiam Heusingeris. Conf. Fin. l. l. in nota sup. Reliqui *utilitatem*, quæ vox in primis cap. seq. usitatior pro interpretamento caritatis habenda est. — *Esse debet*. Gu. quint. Exc. Bed. atque Eybi, omnesque impress. vett. *debet esse*. M. Heus.

XLIV. 1. *Atque illi*, etc. Confirmat testimonio et auctoritate philosophorum, qui scientiæ studiis quum dediti essent, industriam suam ad agendum retulerunt, et ad amplificanda societatis commoda. Facc.

2. *Rebus suis publicis*. Multæ edd. « in rebus suis publicis ». Goth. Gu. 3, 4, « rebus suis et publicis ». Quatuor Oxx. « rebus et suis et publ. » quod Lamb. dedit.

3. *Lysis*. Fere omnes libb. peccant *Lysias*. — De eo vide Bosium ad Corn. Nep. Epam. c. 2; Cic. lib. III, de Orat. c. 34; Ælian. V. H. III, 17. Vid. de eo Pausan. IX, 13 pr. Plutarch. de musica et de Socratis dæmonio; Diodor. Sic. XVI, et in Valesii Excerptis; Malchus (Porphyr.) in vita Pythag. et Jamblichus in ead. 30; Diogen. Laert. VIII, 7; Æmil. Prob. in Epam. XV, 2, 2; Anacharsis *Reisen* II, p. 10, et VI, p. 284. Beier.

4. *Dionem*. Vid. Corn. Nep. Dion. c. 2; Æmil. Prob. X, 2, 3, et ab ipso Platone, epist. VII, p. 327, B. s. quem l. citat Plutarch. in Dione, c. 4, Cf. Diog. Laert. III, 21, et ad totum h. l. Ælian. Var. H. III, 17; Plutarch. de liber. educ. 10, § 12; Cic. Orat. III, c. 34 extr. Beier.

5. *Atque a doctrina*. Ita λ, μ, ψ, et post Ascensium Victorius, J. Gronov. Facciol. Oliv. Ernest. (Heusing. cum Heumanno mavult *atque doctrina*). Reliqui præpositionem omittunt. Vid. Brut. c. 66 pr. Gern. — Beierus vulgatam retinet. Pluribus hoc locis gratissimus testatur Cicero. Cf. pro Arch. c. 6; Orat. c. 3; Natur. Deor. I, 3; ad Quint. fratr. I, 1, 9.

6. *Locus ullus prætermissus est*. Gu. sec. tert. et Hier. Wolfius, *est prætermissus*.

iis, qui ad leges, qui ad mores, qui ad disciplinam reipublicæ pertineret: ut otium suum ad nostrum negotium[7] contulisse videantur.

Ita illi ipsi doctrinæ studiis et sapientiæ dediti, ad hominum utilitatem suam intelligentiam prudentiamque[8] potissimum conferunt: ob eamque causam[9] eloqui copiose, modo prudenter[10], melius est, quam vel acutissime sine eloquentia cogitare: quod cogitatio in se ipsa vertitur[11], eloquentia[12] complectitur eos, quibuscum communitate juncti sumus.

157 Atque ut apium[13] examina non fingendorum favo-

7. *Ad nostrum negotium.* Quamvis ipsi non agerent, tamen, ut nos rectius ageremus, contemplati sunt, et veritatem quæsierunt. FACC.

8. *Intelligentiam prudentiamque.* Multæ edd. vett. cum Gu. quibusdam transponunt « prudentiam intelligentiamque ».

9. *Ob eamque causam.* Gu. 2, 3, 4, quinque Oxx. λ, μ, ψ, post *eamque* interponunt *etiam*, quod in Gu. 5 et imprr. vett. ipsum illud *que*, cujus est interpretamentum, expulit. In Gu. 1 *eamdem* pro *eamque* legitur. Vide cap. 34, 123. GERN.

10. *Prudenter.* Opponuntur h. l. *prudenter* (i. e. sic, ut res et causa præsens postulat, sed vulgi captum non excedentia) *eloqui* et *acutissime* (i. e. ea, quæ vulgi captum superant, difficilia ad intell.) *cogitare.* BEIER.—Nos *prudenter*, i. e. ac *sapienter* putamus, oppositionemque esse inter sapientem et eloquentiam, quamquam acumine sententiarum destitutam et acutissimas cogitationes sine eloquentia expressas.

11. *In se ipsa vertitur.* Ad se ipsa reflectitur, non prodest aliis. Fin. lib. III, c. 7: « sola enim sapientia in se tota conversa est ». M. HEUS.

12. *Eloquentia complect.* Quædam edd. vett. « eloquentia vero compl. »—*Eloquentia complectitur.* Eloquentia in foro et in curia servit societati.

13. *Atque ut apium.* Al. *apum.* Eos refellit, qui aiunt, non natura homines consociari, sed necessitate, ut sibi invicem adjumento sint; et quod consequitur, societatis officia non esse a natura. Quemadmodum enim apes non favorum causa congregantur, sed, quia natura congregabiles sunt, in commune sui generis bonum favos fingunt; ita homines natura sociati, in commune societatis bonum operam et cogitationes conferunt. FACC.—*Apum* Olivetus atque Ern. ut plerique codd. et edd. vett. Sed Fabricius, qui laudat Varronem de Re rust. III, c. 16; Græv. e Palat. 1, duob. Guliel. Pith. multis Manut. Heusingeri e plerisque suis receperunt *apium*, quos Gern. et Schütz. sequuntur, non autem Beierus. — Inter apes societas operis et ædificiorum eleganter hominum civitatibus comparatur apud Varr. de Re rust. III, 16, 4 sqq. 9; Aristot. Hist. Anim. I, 1, 11 pr. IX, c. 40; Plin. XI, c. 5, 6; Virgil. Georg. IV, 202, 212 sqq. BEIER.

rum causa congregantur, sed, quum congregabilia natura sint, fingunt favos: sic homines, ac multo etiam magis, natura congregati, adhibent agendi cogitandique[14] solertiam. Itaque nisi[15] ea virtus, quæ constat ex hominibus tuendis, id est, ex societate generis humani, attingat[16] cognitionem rerum, solivaga cognitio et jejuna videatur: itemque magnitudo[17] animi, re-

14. *Agendi cogitandique.* Apes adhibent agendi solertiam, homines agendi et cogitandi. Facc.—Hæc scriptura debetur Manutio, quum in omnibus libris, qui innotuerunt, legatur «agendi congregandique» vel «augendi congregandique», placuitque recentioribus edd. Gern.—Atque hanc veterem lect. «agendi congregandique» restituit Beierus, qui observat: Hoc igitur sibi vult auctor: Quemadmodum apes, quum congregabiles natura sint, «congregatione cœtum quodam modo civitatis imitantur» (Fin. II, 33, 109) favosque fingunt: sic homines, ac multo etiam magis, natura *congregabiles* quum sint, adhibent solertiam «tum artibus, tum opera devinciendi ipsorum inter ipsos societatem (§ 22 extr.): in primisque eloquentia complectitur eos, quibuscum communitate juncti sumus». Nam «quæ vis alia potuit aut dispersos homines unum in locum congregare, aut a fera agrestique vita ad hunc humanum cultum civilemque deducere aut jam constitutis civitatibus leges, judicia, jura describere?» Orat. I, c. 8 extr. Sed ne omnia adscribamus, cf. Invent. I, 2, 2; Sext. 42, 92; Tusc. V, 2, 5.

15. *Itaque nisi,* etc. Si periodus hæc ante superiorem transferatur, aptius cohærebit oratio, quod cuilibet attente consideranti, facile erit ad intelligendum. Facc. — Verum probe cohærent hæc sic: Quum homines a natura eo, quod sunt congregati, ad agendum impelluntur; cognitio, ne sit contra naturam, carere non debet actione, in qua societas hominum posita est. Hæc verbis *Ita fit, ut,* etc. in illud concluduntur, cognitionis studio præferendam esse actionem. Fallitur autem Vir D. in Biblioth. crit. I, 3, p. 23, cui videtur hic locus ita revocandus ad mentem Ciceronis: «Itaque nisi ea virtus, quæ attingit rerum cognitionem, constet ex hominibus tuendis, etc.» Immo exquisitius dicitur actio, quæ potior est, cognitionem attingere, id est, cum cognoscendi studio ita conjungi, ut hoc prodesse velit hominum societati. Nam, nisi ad res gerendas impellatur, cognitio nimio veri investigandi studio quærit solitudinem. Male etiam Gottleberus totum hunc locum minus ἀκριβῶς scriptum esse judicat, et hunc ordinem verborum requirit: «Nisi rerum cognitio attingat virtutem, quæ, etc.» Gern.

16. *Attingat.* Cum ea conjuncta sit, eam comitetur. M. Heus.

17. *Itemque magnitudo* (i. e. *fortitudo*), etc. Membrum hoc plane extra locum addidere grammatici, ne fortitudinis virtus in hac comparatione videretur omissa. Tum, ne hians esset oratio, alterum quoque membrum finxerunt, quod diversa typorum forma exprimi curavi. «(Itemque... commu-

mota[18] communitate conjunctioneque humana, feritas sit[19] quædam et immanitas. Ita fit, ut vincat cognitionis studium consociatio hominum atque commu-
158 nitas. Nec verum est[20], quod dicitur a quibusdam,

nitas)». Sed in hac comparatione, ut dixi, fortitudo non separatur a justitia, sine qua furor est: utraque autem nomine uno actionis continetur. Facc. — Quidni etiam fortitudo in contentionem admittatur, ut § 152? Quamquam hæc extremo hoc capite exspectaveris, antequam de temperantia disputaret. Placuit autem, quoniam hæc paucis absolvi poterant, etiam fortitudinis similitudinem cum cognitione significare. Ut enim hæc, remota communitate, solivaga est, sic illa fera et immanis. Non omni autem offensione vacant ea, quæ sequuntur: « Ita fit... communitas ». Is enim locus in Gu. 4 plane omittitur, in Gu. 1 adjungitur verbis *jejuna videatur*. In quo librariis facile fuit labi, quum et primæ literæ et postremæ utriusque periodi haberent quamdam similitudinem. Quod autem a fortitudine revertitur ad cognitionem, tenendum est, verba « Itemque... immanitas » tantum non in parenthesi posita et leviora in argumentatione negligi, quæ quidem omnis pertinet ad cognitionis cum actione contentionem. Ita non est, ut cum Facciolato periodum « Itaque nisi ... immanitas » collocemus ante verba « Atque ut apium », quod mihi quoque videbatur faciendum, quum de hoc loco disputarem in Novis Actis Societatis Lat. Jen. l. l. p. 265 et seq. Gern.—Singularum sententiarum nexum perbene expedivit Gern. fallit autem in eo, quod dicit, Facciolatum ante vv. *Atque ut apium* collocasse periodum: « Itaque nisi... immanitas ». Immo hæc tantum: « Itaque nisi... jejuna videatur ». Reliqua excludi vult Facciol. Beier.

18. *Remota comm.* Quædam edd. vett. *remota a comm.* quod placebat M. Heus. et ita Beier. edidit.

19. *Sit.* Imprr. vett. omnes apud J. F. Heus. *fit.*

20. *Nec verum est*, etc. Orationis contextus rectior esset, si periodus hæc proxime post « cogitandique solertiam » collocaretur. Qui veteres codices tractat, facile intelliget, quomodo librarii ex voluminibus describentes, ejusdem orationis partes interdum miscerent et confunderent, quæ postea grammaticorum opera ordinabantur. Facc. — Illud Vir D. egregie vidit, arctissime inter se nexa esse *Atque ut apium*, etc. et *Nec verum est*, etc. Hæc enim refutant sententiam illis verbis contrariam, homines congregatos esse non natura, sed necessitate. Neque is nexus turbatur iis, quæ e priore loco: *Atque ut apium*, etc. sponte consequuntur. Certe, qui Facciolatum sequi maluerit, debebit tres illos locos « itaque... atque communitas », conjunctim collocare ante « Atque ut apium, etc. » Gern. — Concedimus Facc. et Gernhardo vv. *nec verum est* omnino sententia connexa esse cum iis *atque ut apum*: sed contra eorum sententiam nobis videtur membrum « nec verum est », cujus initio transitio continetur, collocari potius debere ante vv. *atque ut apum* sic: « nec verum est... tum audire, tum dicere. Atque ut apum » : nam hoc altero membro *atque ut apum* prius per comparationem confirmatur.

propter necessitatem vitæ, quod ea, quæ natura desideraret, consequi sine aliis, atque efficere non possemus, idcirco istam[21] esse cum hominibus communitatem et societatem: quod si omnia nobis, quæ ad victum cultumque pertinent, quasi virgula[22] divina, ut aiunt, suppeditarentur[23]; tum optimo quisque ingenio, negotiis omnibus omissis, totum se in cognitione et scientia collocaret. Non est ita. Nam et solitudinem fugeret, et socium studii quæreret: tum docere, tum discere vellet, tum audire, tum dicere. Ergo omne officium, quod ad conjunctionem hominum, et ad societatem tuendam valet, anteponendum est illi officio, quod cognitione et scientia continetur.

XLV. Illud forsitan quærendum sit, num hæc com- 159
munitas, quæ maxime est apta naturæ, sit etiam moderationi[1] modestiæque semper anteponenda. Non[2] pla-

Et sic verba «Itaque nisi... et immanitas», suum locum tueri vellemus post «cogitandi solertiam», quæ verba denique annecterentur extremis verbis capp. «Ergo omne officium», deleto hoc membro «ita fit... communitas». — *Quod dicitur a quibusdam.* Veretur Noster nominare Platonem, qui de Republ. II, p. 39, C. Γίγνεται... πόλις, inquit, ἐπειδὴ τυγχάνει ἡμῶν ἕκαστος οὐκ αὐτάρκης, ἀλλὰ πολλῶν ἐνδεής, etc. Beier.

21. *Idcirco istam.* Sic Ern. Oliv. Facc. Alii, ut Gern. et Schütz. præferunt lect. *initam*, quæ a cod. Græv. 1, Palat. 1, et Anemœcii libro scr. et Oxx. et ψ suppeditata a J. F. Heusingero defenditur adversus Ernestium.

22. *Virgula divina.* Nutu deorum sine opera nostra. Vide eamdem sententiam paullo aliter expressam de Amicit. c. 23. Facc. — Comp. III, 5, 25. Gern. — Degenium, qui «virgulam divinam» Mercurii intelligi, nos dedocet, dedoceat Homer. hymn. II, εἰς Ἑρμ. 529 sqq. ubi dicitur ὄλβου καὶ πλούτου ῥάβδος· ut Luciano in deorum Dialog. 7, 4, θαυμασίαν τὴν δύναμιν. Gesner. in Thes. IV, 1040, 68 sqq. cum Erasmo proverbium hoc a Palladis virga natum existimat. Beier.

23. *Suppeditarentur.* Lang. Fabr. Græv. *suppeditarent.*

XLV. 1. *Etiam moderationi.* Hactenus comparavit actionis officia cum officiis cognitionis: quum autem modestia et moderatio contineat actionem simul et cognitionem, nunc quæri forsitan ab aliquibus sit, utrum officia, quæ ex communitate ducuntur, anteponenda sint officiis quartæ hujus virtutis, quæ communi nomine temperantia dicitur. Facc.

2. *Non placet.* Rejicit illa omnia, quæ moderationi ac modestiæ repugnant, quæcumque tandem sint, et

cet. Sunt enim quædam partim[3] ita fœda, partim ita flagitiosa, ut ea, ne conservandæ quidem patriæ causa, sapiens facturus sit. Ea Posidonius[4] collegit permulta, sed ita tetra quædam, ita obscœna, ut dictu quoque videantur turpia. Hæc igitur non suscipiet[5] reipublicæ causa; ne res quidem publica[6] pro se suscipi volet. Sed hoc commodius[7] se res habet[8], quod non potest accidere tempus, ut intersit reipublicæ, quidquam illorum facere sapientem.

160 Quare hoc quidem effectum sit[9], in officiis deli-

quocumque referantur. Nihil enim umquam viro sapienti suscipiendum est, ne pro patriæ quidem salute, quod pugnet cum honestate. Facc.

3. *Partim ita fœda.* Grævius, in cujus codice posteriore loco omittitur, cum C. Langio adverbium *partim* semel tantum post *fœda* scripsit, idem fecit Facciol. et Gronov. probante M. Heus. bis idem dedit J. F. Heusingerus. — Beier. cum Aldo contra M. Heusing. *fœda* intp. *crudelia*, ut sensus vocis illius distinguatur a *flagitiosa*.

4. *Posidonius.* Panætii discipulus, de quo vide lib. III, c. 1 (c. 2, § 8). Facc.—Nat. Deor. I, 3 et 44.

5. *Suscipiet.* Facciolato, qui dat « suscipiat quis », favent Goth. Victor. Ascens. Alii, « suscipiat quisquam ». In μ et ψ « suscipiet quisque ». Quocirca probabilius videtur cum Heusingeris mala hæc interpretamenta rejicere, quæ Gu. 1, 2, Græv. 1, Palat. 1, tres Guil. unus Manut. Tert. edit. Lang. et Bald. ignorant: suntque illa inde nata, quod non intellectum erat, verbis « Ea Posidonius... turpia » interpositis, orationem ad sapientem redire, id quod docent sequentia *facere sapientem.* Facc.

6. *Ne res quidem publica.* Schütz. notat: « ne respublica quidem » prætuli cum Gu. 2, edit. Magont. Ven. 1498, aliisque vett. Gu. 3, « nec respublica quidem ». Beier. scribit cum Gu. 4, *nec respublica*, deleto *quidem*, quod tamen in ceteris omnibus libb. apparet. Hæc est pessima licentia.

7. *Sed hoc commodius.* Scilicet institui quidem comparatio hujusmodi potest; proinde initio *forsitan* dixit. Quæstio igitur huc recidit omnis: nam in officiis deligendis actio cognitioni, et quæ actio actioni sit præferenda. Omnem autem actionem necessario comitatur ordo et modestia, et moderatio, ut sapienti conveniat. Facc. — Hanc lectionem restituit Grævius ex suo 1 et Palat. 1, quum alii peccarent *sed et hæc*, vel *sed hæc*; vel *sed in hoc*.

8. *Se res habet.* Assentior Grutero, qui putat has voces non esse Ciceronis, sed ex margine a librariis traductas. Facc.—Non magis offendere debet « commodius se res habet », quam II, 6, 22, « male se res habet ». Gern.

9. *Effectum sit.* Conclusum sit; ex argumentis, quæ attuli, colligatur. M. Heus. — Hæc est totius comparationis conclusio: ea officia excellunt reliquis, quæ posita sunt in agendo societatis gratia. Facc.

gendis id genus officiorum excellere, quod teneatur hominum societate[10]. Etenim cognitionem[11] prudentiamque sequitur[12] considerata actio. Ita fit, ut agere considerate[13] pluris sit, quam cogitare prudenter. Atque hæc quidem hactenus. Patefactus est enim locus ipse[14], ut non sit difficile[15] in exquirendo officio, quod cuique sit præponendum[16], videre. In ipsa[17] autem communitate sunt gradus officiorum; ex quibus quid cuique præstet, intelligi possit: ut prima diis[18] im-

10. *Quod teneatur hominum societate.* Quod versetur in societate tuenda, in eaque sit positum. Cf. lib. XIII, epist. 29 pr. M. Heus.

11. *Etenim cognitionem*, etc. Duo hæc incisa (usque ad *cogitare prudenter*) mihi plane suspecta sunt. Ait autem, quicumque sit auctor, consideratam actionem præferendam esse prudenti cognitioni. Facc.—Gern. scribit *cogitationem*, notatque: Placuit Ciceroni hic, ut c. 16, 92, 39, 141, II, 9 extr. paucis complecti ea, quæ in hac officiorum comparatione maxime tenenda sunt. Et quoniam non tam prudentiam, quam cognitionem, cum actione comparavit, superest, ut de altera parte cogitationis exponat: quamquam eam rem attigit § 156. Prudentia nimirum consilia capit et rationes quærit rerum gerendarum. Nisi autem res ipsæ considerate gerantur, nihil valent consilia, nihil rationes. Quare pro *cognitionem* e Bedæ atque Eybi excerptis restitui *cogitationem*, id quod verum putat etiam J. F. Heusingerus, confirmaturque verbis sqq. « cogitare prudenter », ut « cogitationem prudentiamque » sit idem quod « prudentem cogitationem ». Similiter *cogitatio* et *cognitio* permutata est in nonnullis libris, c. 6 extr. —Nobis lectio *cognitio* eodem ducere videtur quo *cogitatio*, ita ut minime necesse fuerit vulgatam mutare ex duorum libb. auctoritate. Idem sentit Beierus, qui notat: Non vidit, repeti his eadem, quæ 156 dicta sunt: ubi post « intelligentiam prudentiamque » item sequitur: « Ob eamque causam... melius (h. l. pluris) est, quam cogitare, etc. » Voces *cogitatio* et *cognitio* e compendio permutatæ sunt tum alibi, tum extr. c. 6.

12. *Sequitur.* Libb. quidam *sequetur;* al. *sequatur.*

13. *Agere consid.* Omnes imprr. vett. apud J. F. Heus. *consid. agere.*

14. *Patefactus est enim locus ipse.* Monstrata est sedes quasi officiorum. M. Heus.

15. *Sit difficile.* Gu. omnes *difficile sit.*

16. *Quod cuique sit præp.* Gern. scribit *quid* pro *quod.* Ita, inquit, restituerunt Heusingeri e suis libris. In uno Gu. 5 *quod* legitur, ut in reliquis libris post Lambinum editis, quamquam proximum sit *quid cuique præstet.* Facciolatus utroque loco, si minus recte, at constanter tamen dedit *quod.* Gern. — Schützius Gernhardum sequitur.

17. *In ipsa autem*, etc. Ipsa quoque justitiæ officia inter se comparantur. Facc.

18. *Prima diis.* Nomine communitatis deos quoque ex disciplina Stoica

mortalibus; secunda, patriæ; tertia, parentibus; dein-
161 ceps gradatim reliquis debeantur[19]. Quibus ex rebus breviter disputatis intelligi potest, non solum id homines solere dubitare, honestumne an turpe sit; sed etiam, duobus propositis honestis, utrum honestius. Hic locus a Panætio est, ut supra dixi, prætermissus. Sed jam[20] ad reliqua pergamus.

Cicero complectitur; eorumque cultum inter officia ponit, et quidem loco primo. FACC. — En quomodo «pietas sit justitia adversum Deos», ut dicitur lib. I, de Nat. Deor. c. 41.

19. *Reliquis debeantur*. Sic et libri MSS Heusingg. meliores λ, μ et ψ cum Grævio, Oliv. Ern. Sed in Vin. trib. Ox. aliquot libris Pearcii, Gu. 5, Beda et Eyb. omnibus imprr. vett. «gradatim reliqua reliquis deb.» quæ ratio placet Facciolato, J. M. Heusingero et Erfurdtio in notis MSS. Per *deinceps* otiosum reddi *reliqua* jam vidit J. F. Heusingerus. H. Wolf. et P. Bald. nescio qua auctoritate, receperunt «gradatim quæ reliquis, debeantur». Schütz. et Beierus «reliqua reliquis» ediderunt.

20. *Sed jam ad rel. Jam* abest ab impress. Venet. 1498, utroque Lips. et Lugd. 1527.

M. T. CICERONIS

AD M. FILIUM

DE OFFICIIS

LIBER SECUNDUS

ARGUMENTUM

E SCHUTZII EDITIONE DESUMPTUM.

Post præfationem, qua pauca de instituto suo et judicio dicit, primum cur se ad philosophiam literis mandandam contulerit, exponit; deinde occurrit iis, quibus, quum ut Academicus percipi nihil posse dicat, vix satis constanter facere videatur, quum et de aliis rebus disserat, et hoc ipso tempore præcepta officii persequatur, cap. 1, 2. Deinde accedit ad ipsam alteram partem totius de officiis disputationis, quæ est de utili, et de utilium cum utilibus comparatione.

Jam primum refutatur opinio, quæ honestatem ab utilitate secernit, constituitque honestum esse aliquid, quod utile non sit, et utile quod non honestum. Deinde demonstratur, quæ ad vitam hominum tuendam pertinent, partim esse inanima, partim animalia. Animalium alia rationis expertia esse, alia ratione utentia. Ratione utentium duo genera esse, deorum unum, alterum hominum. Post deos homines hominibus maxime utiles esse posse. Hominibus enim deberi primum eorum commodorum quæ ex inanimis petuntur, usum et administrationem; deinde ne fructus quidem, aut commoditates e bestiis percipi potuisse, nisi homines adjuvarent; denique nec artium multitudinem inventam; nec urbes et civitates constitutas fuisse, sine conspiratione hominum et consensu. Sed, ut magnas ab iis utilitates adipiscamur, ita nullam tam detestabilem pestem esse, quæ non homini ab homine nascatur. Quum igitur dubitari non possit, quin homines plurimum hominibus et prosint et obsint, proprium hoc esse virtutis, conciliare animos hominum et ad usus suos adjungere, cap. 3-5. Magnam vero etiam fortunæ vim esse in utramque partem; in qua ceteri casus rariores sint, qui ab inanimis proficiscantur; multo plures ejus modi, ut sine hominum opibus et studiis effici non possint. Itaque dicendum esse, quonam modo hominum studia ad utilitates nostras allicere atque excitare possimus, cap. 6. Quæcumque igitur homines homini tribuant, id aut benivolentiæ gratia facere, aut honoris; aut quod fidem alicui habeant, eumque bene rebus suis consulere

arbitrentur, aut quod ejus opes metuant, aut quod ab eo aliquid exspectent, aut quod pretio ac mercede ducantur. Omnium autem rerum nihil aptius esse ad opes tenendas ac tuendas, quam diligi, nihil alienius quam timeri. Itaque primum et maxime necessarium esse, curare ut familiaritates habeamus fidas amantium nos amicorum. Deinde multum profici gloria; quæ constet ex tribus his, si diligat multitudo, si fidem habeat, si cum admiratione quadam honore dignos putet. Benivolentiam multitudinis parari maxime beneficiis; secundo autem loco voluntate benefica, etiam si res forte non suppetat. Fides autem ut habeatur duabus rebus effici posse, prudentia et justitia. Admirationem conciliari viris, in quibus multitudo existimet, se excellentes et singulares perspicere virtutes, in quibus primum locum obtineat justitia. Ut autem pecuniæ non quærendæ solum ratio sit, verum etiam collocandæ, sic gloriam et quærendam esse et ratione collocandam, cap. 6-12. Adolescentibus in primis gloriam parari partim ex bellicis rebus, partim modestia cum pietate in parentes, in suos benivolentia, partim imitatione clarorum et sapientium virorum, partim eloquentia forensi, cap. 13, 14.

Deinceps dicitur de beneficentia et liberalitate. Cujus est ratio duplex. Nam aut opera benigne fit indigentibus aut pecunia. Illa honestior est, et latius patet et potest prodesse pluribus. Neque tamen alterum benignitatis genus omnino repudiandum est, quod fit largiendo, modo id diligenter fiat atque moderate. Omnino duo sunt genera largorum, quorum alteri prodigi, alteri liberales. Hic agitur de largitionibus publicis, in primis de magnificentia munerum populo dandorum. Talium largitionum rationem genere dicit vitiosam esse, temporibus necessariam, et tamen ipsam et ad facultates accommodandam, et mediocritate moderandam esse, cap. 15-17. In altero autem genere largiendi, quod a liberalitate proficiscitur, non uno modo in disparibus causis nos affectos esse debere. Propensiorem enim benignitatem esse debere, in calamitosos, quam in eos, qui res meliores quærant, nullis suis rebus adversis; deinde in gratos, convenire etiam tum in dando munificum esse, tum in exigendo non acerbum. Denique etiam hospitalitatem recte commendari, cap. 18. Sequitur de beneficiis, quæ opera, non largitione dan-

tur; eaque vel in singulos cives, vel in universam rempublicam conferuntur. Ad singulos cives spectat eorum opera, qui aliis in jure cavent, eos consilio juvant, in primis autem eorum, qui alios eloquentia defendunt. Omnino autem in hominibus juvandis magis mores hominum quam fortuna spectandi; denique cavendum ne in beneficiis operaque danda contra æquitatem contendamus, ne quid pro injuria, cap. 19, 20. Deinceps disputatur de eo genere beneficiorum, quæ ad universos, quæque ad rempublicam pertinent. Eorum ipsorum partim ejusmodi sunt, ut ad universos cives pertineant, partim ut singulos attingant. Danda opera utrisque, sed ita ut ea res aut prosit, aut certe ne obsit reipublicæ. In primis videndum est ei qui rempublicam administrat, ut suum quisque teneat, neque de bonis privatorum publice deminutio fiat. Danda etiam opera, ne tributum sit conferendum, certe si necesse sit, ut omnes intelligant, si salvi esse velint, necessitati esse parendum; commodum etiam, ut earum rerum copia sit, quæ sunt necessariæ. Caput autem est in omni procuratione reipublicæ, ut avaritiæ pellatur etiam minima suspicio. Qui autem populares se esse volunt, ob eamque causam aut agrariam rem tentant, ut possessores suis sedibus pellantur, aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant, ii labefactant fundamenta reipublicæ, concordiam et æquitatem. Ab hoc genere largitionis aberunt ii, qui rempublicam tuebuntur, operamque dabunt, ut juris et judiciorum æquitate suum quisque teneat, et ut quibuscumque rebus vel belli, vel domi poterunt, rempublicam augeant imperio, agris, vectigalibus, cap. 21-24.

His expositis breviter agitur de duabus utilitatibus a Panætio prætermissis, valitudinis curatione et pecuniæ, cap. 24 extr.

Postremo agitur de utilitatum comparatione, cap. 25.

M. T. CICERONIS,

AD M. FILIUM,

DE OFFICIIS

LIBER SECUNDUS.

I. QUEMADMODUM officia ducerentur ab honestate, 1 Marce fili, atque ab omni genere virtutis, satis explicatum arbitror libro superiore. Sequitur [1], ut hæc officiorum genera persequar, quæ pertinent ad vitæ cultum, et ad earum rerum, quibus utuntur homines, facultatem [2], ad opes, ad copias. In quo [3] tum quæri dixi, quid utile, quid inutile; tum ex utilibus quid utilius, aut quid maxime utile. De quibus dicere aggrediar, si pauca prius de instituto, ac de judicio [4] meo

I. 1. *Sequitur*. Sequitur utilitas, quæ describitur per ea, quibus utimur ad vitam colendam et commode ducendam. GERN.

2. *Facultatem*. Ven. tert. duo Angl. Gu. quart. *facultates*, quod placebat Pearcio. In suis libris repertum, et ita edidit Beierus, cf. jubens ad I, 9, 22, et hujus lib. 3, 9. — *Facultatem*, porro hic sumit pro possessione et usu. FACC.

3. *In quo... maxime utile*. Verba hæc, quæ alio charactere exprimi curavi, supervacua sunt, et falsum aliquid conti[illegible]t, nec recte cohærent. Irrepsere, ut fit, ex margine. FACC.— Idem statuunt C. Lang. et Heumann. haud inepte, præsertim quum altera hujus loci pars *tum ex... utile* non legatur in libris pluribus. Verba *in quo*, etc. in margine videntur adscripta verbis « libro superiore ». An putas *In quo* ad *vitæ cultum* referendum esse, et *De quibus* ad *officiorum genera* transverso quidem ordine pertinere? Translata hæc sunt e lib. I, 3, 9. GERN. — Schützius Gernhardum sequitur. Beierus notat: Non tamen necesse foret, hæc si sana essent, *In quo* referre cum Gernhardo ad *vitæ cultum*. Immo intelligeretur: « in persequendo hæc officiorum genera ».

4. *Ac de judicio meo*. Hotting. in not. ad h. l. p. 186, corrigit « atque

2 dixero. Quamquam enim libri nostri complures[5] non modo ad legendi, sed etiam ad scribendi studium excitaverunt : tamen interdum vereor, ne quibusdam bonis viris philosophiæ[6] nomen sit invisum; mirenturque, in ea tantum me operæ et temporis ponere. Ego autem quamdiu respublica per eos[7] gerebatur, quibus se ipsa commiserat[8], omnes meas curas cogitationesque in eam conferebam : quum autem dominatu unius[9] omnia tenerentur, neque esset usquam consilio aut auctoritati locus, socios denique tuendæ reipublicæ[10], summos viros, amisissem ; nec me angoribus dedidi[11], quibus essem confectus[12], nisi iis resti-

studio meo ». Est autem *institutum* philosophiæ studium; vid. § 4. *Judicium* vero sententia et ratio est, quam in philosophia sequitur, qua c. 2, 7 occurrit adversariis. Vid. Tuscul. I, 1, 1 : « Sed meum semper judicium fuit, omnia nostros aut invenisse, etc. » Ibid. IV, 4, 7 : « Sed defendat, quod quisque sentit, sunt enim judicia libera : nos institutum tenebimus ». Gern. —*Ac de jud. meo*. Cur hæc philosophiæ studia mihi recolenda judicaverim ? M. Heus. — Melius intp. Gern. ut nobis videtur, at *instituto* melius quam Gern. interpr. Beierus qui notat : *De instituto meo*, i. e. « cur ad hoc nos studium potissimum contulerimus », interprete ipso Cic. II, 6 extr. cf. Nat. Deor. I, 4, 8 pr. Hanc esse distinctionem in mente auctoris sqq. probant, ubi primum de studio philosophiæ, deinde de opinione Academicorum disserit.

5. *Complures ... excitaverunt.* Construe : « Nostri libri excitaverunt complures ».—*Complures*. In quibus Hortensius, Brutus, Varro. M. Heus.—Quædam edd. vett. *excitaverint*.

6. *Philosophiæ*. Quæ, stante republica, Græcorum occupatio credebatur. Facc.—Princeps eorum, qui eam in invidiam adduxerunt, fuit Cato. Plutarch. in ejus vita. Vid. et Gell. XV, 11 ; Cic. Tuscul. lib. II, princ.

7. *Per eos gerebatur*. Per senatum et populum romanum. Alii leg. *regebatur*. Facc.—Hoc est in libr. imprr. vett. illud tuentur MSS omnes et Nonius in voc. *committere*. Gern.

8. *Quibus se ipsa commiserat.* Quibus magistratus et imperia populi suffragiis mandata fuerant. M. Heus. — Hic sensus diversus est ab eo, quem Facc. in not. præced. dedit, et nobis melior videtur.

9. *Dominatu unius*. C. Julii Cæsaris, eoque interfecto, Antonii.

10. *Socios tuendæ reipublicæ*. Pompeium, Catonem, aliosque multos qui bello civili perierant. M. Heus.

11. *Dedidi*. Quidam codd. et multæ edd. vett. cum Nonio in voc. *confectum* scribunt *dedi*.

12. *Essem confectus*. Gern. « eram confectus ». Ita, inquit, J. F. Heusing. ex Nonii MS Gu. atque edt. Mercer. exemplo c. 19, 67 : « Admonebat me res, ni vererer » ; et vid. Drakenb. ad

tissem; nec rursum[13] indignis homine docto voluptatibus. Atque utinam respublica stetisset, quo cœperat, 3
statu[14], nec in homines non tam commutandarum[15] rerum, quam evertendarum cupidos, incidisset! Primum enim, ut stante republica facere solebamus, in agendo plus, quam in scribendo, operæ poneremus; deinde ipsis scriptis non ea, quæ nunc, sed actiones nostras[16] mandaremus, ut sæpe fecimus[17]. Quum autem respublica, in qua omnis mea cura, cogitatio,

Liv. XLI, 24, 4. Beierus vv. «quibus... restitissem» parenthesi includit.

13. *Rursum.* I. e. e contrario.

14. *Quo cœperat statu*, etc. Gottleber. rectius, quam cum aliis M. Heus. et Degen. (qui interpr. tempus elapsum postquam Sulla libertatem populo reddiderat, et postquam Ciceronis consulatu recreata fuerat), refert ad ea tempora, quibus post necem Cæsaris respublica, h. e. libertas, restituta videbatur. Divin. II, 2, 7. Contra III, 120, H. Wolf. intellexerat eum reipublicæ statum, quem Octavianus, auctoritate Ciceronis adductus et veterum legionum præsidio adjutus, defendendum susceperat: Aperte hic status opponitur meliori illi, qui fuerat «stante republica, i. e. quamdiu respublica per eos gerebatur, quibus se ipsa commiserat» (§ 2), nempe ante Cæsaris parricidium patriæ. Beier.

15. *Commutandarum.* Et Sulla et Cæsar, et triumviri præ se ferebant commutandi studium: revera non commutabant, sed evertebant. Facc. —Vocem *rerum* cum vulg. Facciolatus, Oliv. et Ernest. posuerunt post *commutandarum*; Grævius et Heusingerus, post *evertendarum*, quos sequitur Gern. — Sed recte Schütz. ab iis sequendis abstinuit: nam ter sonus in terminatione *um* ineleganter offendit, si hanc rationem sequaris, quod vitium vitatur in vulgata, in qua pronuntianda soni gravitas hæret in voce *cupidos*.—Beierus cum Gern. facit.

16. *Actiones nostras.* In animo enim habuerat scribere commentarios de rebus suis exemplo Cæsaris. Facc. — Melius intp. M. Heus. actiones nostras, id est, in senatu et foro orationes habitas quæ *actiones* dicuntur. Quamquam ipse Heus. addit forsan alludi ad res gestas: sed alteram intp. recte defendit J. V. L. laudat. Epist. Fam. X, 28: nec innumerabiles locos colligere difficile esset.

17. *Ut sæpe fecimus.* Hæc addita fuisse puto, quod aliquis in margine scripserat: *ut sæpe fecit.* Revera non scripsit, nisi pauca quædam, et informia, de quibus loqui videtur in libro ad Attic. XIV, epist. 17. Facc.—Non persuasit mihi vir D. *Actiones* sunt eæ, quas paullo post dicit «literas forenses et senat.» ut Verrinæ et Philipp. vid. epist. X, 28 med. Neque, quod Pearcio post H. Wolfium visum est, delenda sunt verba «scilicet literæ». Non sine quodam dolore, qui necessitati paret, dicit *scilicet.* In Bruto autem, c. 5: «Jampridem enim conticuerunt tuæ literæ. Nam ut illos de republica libros edidisti, nihil a te sane postea accepimus». Gern.

opera poni solebat, nulla esset omnino, illæ scilicet
4 literæ conticuerunt, forenses et senatoriæ. Nihil agere autem quum animus non posset, in his studiis[18] ab initio versatus ætatis; existimavi, honestissime molestias posse deponi[19], si me ad philosophiam retulissem. Cui quum multum adolescens, discendi[20] causa, temporis tribuissem; postea quam honoribus inservire cœpi, meque totum reipublicæ tradidi; tantum erat philosophiæ loci, quantum superfuerat amicorum et reipublicæ temporibus[21]. Id autem omne consumebatur in legendo : scribendi otium non erat.

18. *In his studiis* Facciol. accipit pro « in defensionum laboribus et senatoriis muneribus » : quam perversissimam interpretationem sequutus etiam Pearc. in sqq. pro vulgata *molestias*, quam firmat Non. c. 4, 119, in voce *deponere*, conjecit *ea*. Sed intelligitur *philosophia*, a qua Cicero doloris medicinam petebat, ea studia, in quibus non mediocrem a primo tempore ætatis operam curamque consumpserat, renovans, ut animus hac potissimum re *molestiis* (i. e. angoribus) levaretur. Tuscul. II, 4, 11 pr. Cat. Maj. 1, 4. Beier.

19. *Molestias posse deponi.* Alii omittunt *molestias*, et verbum *deponi* referunt ad studia. Facc.—Abest sane hæc vox a multis libris. Cum imprr. vett. Facciol. « mol. deponi posse ». Vide præter Nat. Deor. I, c. 3 et 4, Divin. II, 2, qui locus omnis conferendus est, tum § 7 : « hæc studia renovare cœpimus, ut et animus molestiis hac potissimum re levaretur ». Gern.

20. *Discendi.* Non ut philosophiam Græcorum more profiterer, sed ut discerem, animumque recte conformarem. Facc.—Vide I, 1, 2, et Orat. III, 22 extr. Gern.

21. *Temporibus.* Alii, *temporis.* Facc. — *Temporibus* est in nullo quidem libro scripto, sed tamen in Rom. Ven. Arg. Ald. 1561. Vulgata *temporis* ferri nequit, nisi aut genitivos « amicorum et reipubl. » ab omisso aliquo substantivo regi putes, aut cum J. F. Heusingero scribas, nullius libri fide, « et publicæ rei ». Sed ne eleganter quidem *temporis* eumdem enuntiationis locum obtinet, quem habet alterum *loci*, quod nihil aliud est, quam *temporis*. Vide de Fin. IV, 22 extr. de Orat. III, 22 extr. et paullo post ib. c. 23; de Div. l. l. extr. Otiosus sane est alter genitivus; necessarium autem *temporibus*, idemque optimum. Cf. pro lege Man. c. 1, « meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi. Gern.—Ita Schütz. edidit cum Beiero, qui observat : *Tempus* autem et *tempora*, ut græc. καιροὶ, usurpantur pro eo, quod tempore aliquo accidit, pro fortunæ conditione, in primis difficili et adversa, pro necessitatibus eorum, qui ope indigent, ut rei, quibus dies dictus est. Cœl. c. 5 : « servire temporibus suorum omnium pecunia, gratia, labore, etc. » Beier. — Et Schütz. servavit *temporibus*. Oliv. qui Victorianam le-

II. Maximis igitur in malis hoc tamen boni assequuti videmur, ut ea literis mandaremus, quæ nec satis erant nota nostris[1], et erant cognitione dignissima. Quid est enim, per deos! optabilius sapientia? quid præstantius[2]? quid homini melius? quid homine dignius[3]? Hanc igitur, qui expetunt[4], philosophi nominantur: nec quidquam aliud est philosophia, si interpretari velis, quam studium[5] sapientiæ. Sapientia

ctionem *temporibus* retinuit, sic locum interpretatur: Quum reddideram amicis et reipublicæ partes temporis, quas vindicabant sibi jure suo, et illis ego debebam, si quid superfuerat, tum philosophiam sic quasi in locum vacuum neque occupatum admittebam. Quod si potius scripsit Cicero, *tempori*, vel *temporibus*, potest eodem pacto intelligi: *quantum* temporis *superfuerat tempori* debito et impenso amicis ac reipublicæ; quod erat revera tempus «amicorum et reipublicæ».

II. 1. *Nostris*. Romanis, qui philosophiam nondum aspernari desierant. M. Heus. — «Philosophiam usque ad suam ætatem nullum habuisse lumen literarum latinarum», dicit Cic. Tusc. I, 3, 5. Beier.

2. *Quid est enim, per deos! optabilius sapientia? quid præstantius?* Nonius in voce *præstare* scribit «quid enim est, per deos immortales, optabilius sapientia? quid præstabilius?» — Sed recte præfert Gern. *præstantius* propter formæ varietatem, quum præcedat *optabilius*. Cf. Fragm. de Universo extr. qui locus, expressus e Platonis Timæo, p. 47, B. simillimus est. Vatin. c. 3 ad fin. «Quid... præstantius mihi potuit accidere? quid optabilius...?» Nat. Deor. I, 43, 121. Beier.

3. *Quid homini melius? quid homine dignius?* Gern. post Facc. delet primum *homini*. Nobis vox *homini* vim sententiæ addere videtur, ut illius tenor sit sapientiam atque homini esse utilissimam, atque optime illius naturæ dignitati convenire: et quum probus sit hic sensus, non satis graves nobis videntur auctoritates, quibus vox *homini* deletur, quod tamen fecit et Schützius.

4. *Hanc igitur, qui expetunt*. Multæ edd. vett. dant «hanc qui expetunt igitur».

5. *Quam studium*. Gern. Schütz. et Beier. *præter studium*. Hoc, inquit Gern. exquisitius est vulgato *quam studium*, defensumque ab Hensing. de Orat. II, 69; quod tuetur Lactantius h. l. laudans Inst. III, c. 13, § 10, non ut Schütz. notat c. 10, med. — — Locus est Orat. «Quid enim in illis fuit præter querelam temporum»; sed quis loci hujus et nostri non videt dissimilitudinem? Part. *præter* cum negatione juncta, indicat nihil interesse inter res comparatas, ut l. l. Orat. sed his non res cum re confertur: non dicitur philosophiam eamdem esse rem atque studium sapientiæ: sed verba cum verbis conferuntur; et dicitur verbum *philosophiæ* originem ducere a vv. «studium sapientiæ»: nec probe, ut nobis videtur, hoc sensu dici posset: «vox philosophia nihil aliud significat præter studium sapientiæ»: non enim agitur quousque pateat vis

autem[6] est (ut a veteribus philosophis definitum est),
rerum divinarum et humanarum, causarumque, qui-
bus hæ res continentur, scientia : cujus studium qui
vituperat, haud sane intelligo, quidnam sit, quod lau-
6 dandum putet. Nam sive oblectatio quæritur animi,
requiesque curarum; quæ conferri cum eorum studiis
potest, qui semper aliquid anquirunt[7], quod spectet
et valeat ad bene beateque vivendum? sive ratio con-
stantiæ virtutisque ducitur[8]; aut hæc ars est, aut nulla
omnino, per quam eas assequamur. Nullam[9] dicere
maximarum rerum artem esse, quum minimarum
sine arte nulla sit[10], hominum est parum considerate
loquentium, atque in maximis rebus errantium. Si
autem est aliqua disciplina virtutis, ubi ea quæretur,
quum ab hoc discendi genere discesseris? Sed hæc,
quum ad philosophiam cohortamur, accuratius dispu-
tari solent[11] : quod alio quodam libro[12] fecimus. Hoc

vocis philosophiæ, sed quibus elementis hæc vox formetur ex ratione grammatica.

6. *Sapientia autem*, etc. Hoc modo sapientia definitur etiam in Tuscul. IV, c. 26, et in Tusc. V; c. 3. FACC. —Adde I, 44, 153, et Plutarch. de physic. philos. decr. statim ab initio. GERN.

7. *Anquirunt. Acquirunt*, quod Facciol. dedit, est in imprr. vett. *inquirunt* in Gu. omnibus. Sed Græv. aliique *anquirunt*. Idem recepit Büneman. ad Lact. III, 13, 10, qui hunc locum recitat. Vide I, 3, 9. GERN. — *Philosophiæ studium* ob eam causam, quod valeat et ad vitæ constantiam, et ad delectationem animi, laudatur Acad. I, 2, 7 sq. Cf. Aristot. Πολιτ. B. Plato de Repub. IX, 583, A. BEIER.

8. *Sive ratio... ducitur*. Ita Grævius e suis, Facciol. et Heusing. Adde Verr. II, 52, 129; 63, 154. Imprr. vett. plerique «sive ratio... quæritur». GERN. — *Rationem alicujus ducere*, nihil aliud est, quam rationem habere, id non negligere, ei consulere.

9. *Nullam dicere*. Al. *nullam vero*. Sed apud Lactantium, lib. III, c. 13, ubi locus hic affertur, non est particula *vero*. FACC.—*Vero* in imprr. quibusdam interponitur. GERN.—Occurrit auctor objectioni eorum, qui dixerunt virtutem arte non indigere.

10. *Quum...sit*. Quum ne minimæ quidem res sine præceptis discantur. M. HEUS.—In sqq. Beierus legi vellet *sin autem*, multis collatis ad hanc lectionem tuendam locis, vel saltem, *si est autem*.

11. *Disputari solent*. Multæ edd. vett. «solent disputari», et sic Ven. Gu. 5, et Facc.

12. *Alio quodam libro*. In libro,

autem tempore tantum nobis declarandum fuit, cur orbati reipublicæ muneribus, ad hoc nos studium potissimum contulissemus.

Occurritur[13] autem nobis, et quidem a doctis et 7
eruditis, quærentibus, satisne constanter facere videamur, qui, quum percipi nihil[14] posse dicamus, tamen et aliis de rebus disserere soleamus, et hoc ipso tempore præcepta officii persequamur. Quibus vellem satis cognita esset nostra sententia. Non enim sumus ii[15], quorum vagetur animus[16] errore, nec habeat umquam, quid sequatur[17]. Quæ enim esset ista mens[18], vel quæ vita potius, non modo[19] disputandi,

qui inscribitur *Hortensius*. Ætate divi Augustini adhuc exstabat: ex eo autem valde se profecisse Augustinus scribit in Confess. lib. III, cap. 4: « Ille liber mutavit affectum meum; et ad te ipsum, Domine, mutavit preces meas et vota ac desideria mea fecit alia ». Facc. — Idem paullo ante cum Vin. Gu. 5, et imprr. vett. transponit « solent disputari ».

13. *Occurritur.* Id est, contra dicitur. Hac significatione Ernest. ad Fin. II, 33, 108, negat hoc verbum se uspiam reperisse. Sed vid. Brem. ad l. l. Gern.

14. *Percipi nihil.* His verbis hæc erat subjecta sententia, nihil comprehendi, teneri, et affirmari posse tamquam certum. Sed quia Cicero erat ex Academicis antiquis, ideoque moderatioribus, admittebat probabilia. Facc. — Vide Academ. Quæst. lib. IV, cap. 9. Gern.

15. *Non enim sumus ii.* Perverse Degen. pron. *ii* refert ad Peripateticos. Nihil amplius auctor dicit, nisi hoc: « Non ea est nostra sententia, ut vagetur noster animus ». Cf. III, § 12 pr. « Quod si is esset Panætius, qui... diceret... Sed quum sit is, qui id solum bonum judicet ». Beier.

16. *Quorum vagetur animus.* Qui nihil esse omnino affirmem, quo vera a falsis distingui possint.

17. *Quid sequatur.* Hanc lect. egregie defendit J. F. Heusing. adversus Ernestium corrigentem *quod sequatur*, quod est in Gu. 1, et V. L. Wolfii. Eamdem correctionem Ernest. male adhibuit de Nat. Deor. III, 25 64. Gern.—Cui Beierus assentitur.

18. *Ista mens.* Quæ posset in nobis mens esse, id est, ratio, vis veri perspiciendi? M. Heus.

19. *Non modo disputandi.* Facc. « non solum disputandi, sed etiam viv. » In Groning. *sed et viv.* Quod Olivet. recepit, « non modo disputandi, sed etiam vivendi », est in libris Heuss. Grævius suorum, opinor, librorum auctoritate, Verburg. Ernest. et Heusingg. *etiam* excludunt; quos equidem sequor. Vivendi ratio enim potior est ratione disputandi, ut, illa sublata, hæc inanis videatur. Sæpenumero autem correctores post *sed*, istud *etiam* interposuerunt. Vide I, 39, 138 extr. II, 7, 23. Gern.—Ce-

sed vivendi ratione sublata[20]? Nos autem, ut ceteri, alia[21] certa, alia incerta esse dicunt; sic ab his dissentientes, alia probabilia, contra, alia non[22] probabilia
8 esse dicimus. Quid est igitur[23], quod me impediat, ea, quæ mihi probabilia videantur, sequi; quæ contra, improbare; atque affirmandi arrogantiam vitantem, fugere temeritatem, quæ a sapientia dissidet plurimum? Contra autem[24] omnia disputatur a nostris, quod[25] hoc ipsum probabile elucere non possit[26], nisi ex utraque parte[27], causarum esset facta contentio. Sed hæc explanata sunt in Academicis nostris[28] satis, ut arbitror, diligenter. Tibi autem, mi Cicero, quam-

terum ab Academia nova «et judicium esse veri (κριτήριον ἀληθείας) et finem bonorum», quæ duo sunt maxima in philosophia, ignorante, «non modo disputandi, sed vivendi ratio tolli» videbatur Antiocho. Vide Acad. II, 9, 29. Beier.

20. *Ratione sublata*. Si nulla esset probabilis de rebus disputandi et recte vivendi ratio. M. Heus.

21. *Ut ceteri, alia*. Multæ edd. vett. peccant *qui alia*. — *Ut ceteri*. Dogmatici, qui certa admittebant, eaque percipi dicebant, per propriam veri notam. Facc.

22. *Contra, alia non probabilia*. Al. *improbabilia*. Porro in ipsis probabilibus gradus admittebant, ut aliud alio diceretur probabilius. Ceterum tam multas aiebant ex rerum similitudine oriri fallacias, ut nihil affirmare auderent. Facc. — Facciolatus delevit *esse*. Gern.

23. *Quid est igitur*. Ex imprr. vett. dedit *quid est ergo* Facciolatus, Heusing. laud. I, 27, 95; Acad. IV, 32, 103. Gern.

24. *Autem*. H. v. abest ab edd. vett. fere.

25. *Quod*. Scil. quia.

26. *Non possit*. Alii codd. habent *non posset*.

27. *Ex utraque parte*. Disputabant Academici in partem utramque, ut appareret, quid esset probabile, et quid probabilius; ac pro ratione probabilitatis, vivebant et disputabant, nihil tamen plane affirmantes. Facc. —Vide in primis Acad. IV, 3. Gern.

28. *Academicis nostris*. In duobus libris Academicarum Quæstionum, qui soli ex quatuor supersunt. Facc. — Quorum duplex a Cicerone facta est editio, primum duobus libris, qui inscripti fuerunt Catulus et Lucullus, e quo posteriori, id est, libro II, solo superstite, huc pertinent c. 10, § 32, c. 31-34. Explicatur ibi Carneadis sententia, proposita in Clitomachi libro primo de sustinendis assensionibus. Deinde Cicero, dialogi personis mutatis, Academicam omnem quæstionem ex duobus libris contulit in quatuor, quorum non nisi primi initium servatum est. Vid. Gœrenzii Introd. in Ciceronis Academica, p. xv-xxxviii, et Schützii in eosd. ll. prolegomena, p. 4-16. Beier.

quam in antiquissima nobilissimaque philosophia [29], Cratippo auctore, versaris, iis simillimo [30], qui ista præclara pepererunt; tamen hæc nostra, finitima vestris [31], ignota esse nolui. Sed jam ad instituta pergamus.

III. Quinque igitur [1] rationibus propositis officii 9
persequendi, quarum duæ ad decus, honestatemque pertinent [2]; duæ ad commoda [3] vitæ, copias, opes, facultates; quinta [4] ad eligendi judicium, si quando ea, quæ dixi, pugnare inter se viderentur: honestatis, pars confecta [5] est, quam quidem tibi cupio esse notissimam. Hoc autem, de quo nunc agimus, id ipsum est, quod utile appellatur. In quo [6] lapsa consuetudo

29. *Philosophia.* Secta philosophorum Peripatetica.

30. *Iis simillimo.* Vide procemium libri primi et tertii, 2 pr. Facc. — *Qui ista præclara pepererunt.* Mich. Heus. et Schütz. intelligunt Socratem et Platonem. Non excludo: sed præcipue tamen intelligo Aristotelem. Nam *ista* spectat ad Peripateticam philosophiam, in qua M. filius versabatur, et Cratippum parem summis Peripateticis indicat Cic. Divin. I, 3, 5 extr. II, 48, 100, et in Timæo, cap. 1 extr. «omnium, quos quidem ipse audiverit, facile principem». Vide ad I, 1, 1, p. 2. Beier.

31. *Finitima vestris.* Quia, ut alibi dixit, veteres Academici et Peripatetici ex eadem schola prodierant, et principiis utebantur aliquo modo similibus. Facc.

III. 1. *Quinque igitur.* Vide lib. I, cap. 2 (c. 3 extr.). Facc.

2. *Pertinent.* Beier. *pertinerent.* Hoc, inquit, recte F. Heusingero placet e Gu. 2, *pertinerent*, quod accommodatum ad seq. *viderentur*, confirmat μ. Repetuntur hæc sic, ut sensus sit, «quæ pertinere diximus».

3. *Duæ ad commoda.* Sitne aliquid utile, et ex duobus utilibus utrum utilius; quæ est libri hujus quæstio. Facc.

4. *Quinta.* Quoties honestas cum utilitate pugnare videtur, quæ erit libri tertii materia. Facc.

5. *Confecta.* In libro primo. Alii leg. *perfecta.* Facc.

6. *In quo.* Facciol. scribit *in quo verbo*, notatque: Verbum rei obfuit. Loquendi enim consuetudo, qua solent homines alia utilia, alia justa et honesta dicere, corrupit judicandi rationem. In hoc ipsi quoque probi viri et sapientes labi solent, consuetudine abrepti. Nam Aristides, ut est in lib. III, cap. 5, et apud Valer. Max. lib. VI, cap. 5, in Atheniensium concione dixit, Themistoclis consilium utile esse, non tamen justum. Alii omittunt *verbo*. Facc. — Omittunt autem hoc glossema codices Anemœcii, Gruteri et Grævii, quos sequuntur Heusingeri invitis suis libris scriptis et imprr. Gern.—*In quo*, id est, «cujus rei respectu; quod attinet ad

deflexit de via, sensimque eó deducta est, ut honestatem ab utilitate secernens, et constitueret, honestum esse aliquid [7], quod utile non esset, et utile, quod non honestum : qua nulla pernicies major hominum vitæ potuit afferri. Summa quidem [8] auctoritate philosophi, severe sane atque honeste [9], hæc tria genera confusa, cogitatione distinguunt. Quidquid enim justum sit, id etiam utile [10] esse censent; itemque quod honestum,

hæc », hic fere i. valet q. « in qua appellatione ». Frustra igitur nonnulli addunt *verbo*. Deinceps edd. vett. « ut ab honesto utile secerneret »: quibuscum conspirat Gu. 5, nisi quod *secernens* exhibet. Hæc notavimus, quoniam aliter sunt indicata a Schützio. Beier.

7. *Honestum esse aliquid.* Facciol. exemplo libb. imprr. vett. excludit verbum *esse* post *honestum*, retinet tamen *aliquid*, quod illi mutant in *aliquod*. Gern.

8. *Summa quidem*, etc. Summi inter philosophos, id est, illi, qui bona omnia honestate metiuntur, utilis, honesti et justi notiones, quæ re ipsa et natura sua separari nequeunt, cogitatione distinguunt, atque ita disputant : quod justum est, utile est; quod autem honestum est, id justum est; ergo quod honestum est, utile est. Nisi tres istæ notiones, utilis, justi, et honesti cogitatione distinguerentur, argumentum ineptum esset. Non tamen hinc colligi potest, eas natura quoque esse distinctas. Facc.

9. *Severe sane atque honeste.* Tria hæc adverbia margini, ut opinor, adscripta fuerunt. Frigida sunt et a more scribendi Tulliano prorsus aliena. Facc.—Nihil mutandum ! Vid. Fin. II, 8, 24 : « Ita graviter et severe voluptatem secernit a bono, ex quo illud efficitur, etc. » Ib. V, 23, 67. Distinguunt autem non, nisi cogitatione, ea, quæ re sejungi non debent. Minus dilucide hoc dixit, quam I; cap. 27, 95, de decoro : « totum illud quidem est cum virtute confusum, sed mente et cogitatione distinguitur ». Itaque non tam opus est J. F. Heusingeri correctione, *genera re confusa* (H. Wolf. enim in V. L. habet *genere conf.*) quam judicandum *cogitatione* excludi rem et actionem illi oppositam. Hotting. ad h. l. argutius conjicit *hæc duo genera*. Distingui enim utile et honestum, intercedente tertio (justo), in quo quum illa conveniant, necesse esse etiam convenire illa inter se. Gern.—At enim recte vidit Hottinger. II, p. 189 sq. *justum* esse hujus syllogismi terminum s. finem medium, in quo quæ conveniant, etiam convenire inter se, concluditur. Itaque quum in præcedd. nonnisi *honestum* et *utile* opposita sint, suspicabar *tria* a glossatore adscriptum. Non tamen sollicito propter l. l. Cf. etiam Ambros. II, c. 6 : « Liquet igitur, quod honestum est, utile et justum esse, et, quod justum, utile et honestum »; sed idem c. 7 : « Est igitur non solum familiare contubernium honestatis et utilitatis, sed eadem quoque utilitas, quæ honestas ». Hæc Beierus, qui scribit *genere confusa*. Schütz. cum J. F. Heusing. *genera re confusa* et cum Hotting. *duo* scribit.

10. *Id etiam utile.* Facciolatus cum

idem justum. Ex quo efficitur[11], ut, quidquid honestum sit, idem sit utile. Quod qui parum perspiciunt[12], hi sæpe, versutos[13] homines et callidos admirantes, malitiam[14], sapientiam judicant. Quorum error eripiendus est, opinioque omnis[15] ad eam spem[16] traducenda, ut honestis consiliis, justisque factis, non fraude et malitia se intelligant ea, quæ velint, consequi posse.

Quæ ergo[17] ad vitam hominum tuendam pertinent, 11
partim sunt inanima[18], ut aurum, argentum, ut ea, quæ gignuntur e terra, ut alia ejusdem generis[19]; partim animalia, quæ habent suos impetus, et rerum appetitus[20]. Eorum autem alia rationis expertia sunt, alia ratione utentia. Expertes rationis, equi[21], boves, reliquæ pecudes, apes[22], quarum opere efficitur ali-

imprr. vett. transposuit «id utile etiam esse», deinde «idem esse justum». Ascensius *etiam* non male omittit, legitque «quod honest. sit, id esse justum». GERN.—Dicit Beier. si auctor *etiam* omittere voluisset, ab eo scribendum fuisse *idem*. Ceterum favet isti ordini quem Facc. edidit.

11. *Efficitur*. Nonnullæ edd. vett. *conficitur*.

12. *Qui parum perspiciunt*. Qui hoc non recte intelligunt, utile esse aliquid putant ab honesto separatum; ideoque ejus quærendi artem esse, eamque artem ad sapientiam referri. FACC.

13. *Versutos*. Qui arte qualibet commoda quærunt, hos sapientes vocant et judicant: quasi vero versutia non differat a solertia, quæ sapientis est. FACC.

14. *Malitiam*. Multi imprr. vett. «eorum malitiam».

15. *Opinioque omnis*. *Omnisque opinio* Gu. 5, imprr. vett. Facciol. GERN.

16. *Ad eam spem*. Al. *ad eam speciem*: sed minus recte. FACC. — A Gottlebero frustra defenditur *speciem*, ut sit, «ut speciem honesti præ se ferat». GERN.

17. *Quæ ergo*. Utilia in sua genera dividit: tum ostendit, omnia fere homini ab homine oriri. FACC.

18. *Inanima*. Alii, *inanimata*, quod minus probandum, sive hic, sive alibi. FACC.

19. *Ejusdem generis*. J. F. Heusing. «generis ejusdem», e quibusdam codd. sequente Beiero.

20. *Impetus, et appetitus*. Irascuntur et appetunt. FACC.

21. *Equi, boves*. Quidam codd. et libb. imprr. «sunt equi, boves», quod Pearcius dedit.

22. *Apes*. Hæc vox addita ab iis est, qui putarunt, *apes* non esse inter pecudes. Sed etiam volatile genus est inter pecudes, unde homini usus. FACC.—Virgil. Georg. IV, 527, «pecudum (i. e. *apum*) custodia solers». BEIER.—Sciolus sic reliquas pecudes enumerare cœpit, aut apibus pluri-

quid ad hominum usum[23], atque vitam. Ratione autem
utentium duo genera ponuntur[24]; unum[25], deorum;
alterum, hominum. Deos placatos[26] pietas efficiet et
sanctitas : proxime autem, et secundum deos, ho-
12 mines hominibus maxime utiles esse possunt: earum-
que rerum[27], quæ noceant, et obsint, eadem divisio

mum utilitatis deberi censuit: recteque Hottinger. in vers. *apes* omisit. Hæc Gern. qui vocem uncis inclusit. — *Opere*. Langius, Lamb. Facciol. aliique corrigunt *opera*, quod in paucis libris legitur. Grævius cum Manutio judicat, *operam* esse laborem hominum, *opus* animalium. De homine utrumque videtur adhiberi; non item *opera* tribuitur animalibus. *Operæ* sunt labores artibus oppositæ, I, 42, 150. *Opera* plerumque sunt opera facta; rarius labores, ut Nat. Deor. II, 60, 151. Gern.

23. *Ad hominum usum*. Gern. «ad usum hominum».

24. *Ponuntur*. Gern. quem Beierus sequitur, *ponunt* ex multis codd.

25. *Unum, deorum*. Gern. *deorum unum*, sequente Beiero.

26. *Deos placatos*. Id est, propitios atque utiles. Ita in lib. III de Nat. Deor. cap. 2, «summa deorum placatio», pro favore deorum summo usurpatur. Facc. — Senec. epist. 95, «vis deos propitiare? bonus esto».

27. *Earumque rerum*, etc. In hac periodo alii alia addunt, vel demunt. Mihi tota (usque ad *arbitrantur*) insititia videtur. Si tollatur, et sensa et verba rectius habebunt. Ceterum de incommodis, quæ homini ab homine nascuntur, agit in fine capitis, et quidem paucioribus verbis, quia hoc non est princeps ejus institutum. Facc. — Gern. scribit: «earumque item rerum», notatque: Defendendus est totus hic locus fide omnium MSS, et Servii ad Æn. XII, v. 725, qui recitat verba: «Sed quia... arbitrantur». Atque par erat, ut rebus utilibus adjungerentur ea, quæ noceant, quamquam hic satis erant pauca, c. 5, 16, diligentius persequenda. Ineptum igitur est *et prodesse*, quod ad *obesse* addunt libri Heusingeri patrui; meliores autem Gu. Balduini, Grævii, λ et μ, sex Aldini, unus Tertii et Servius respuunt, idque varie transponunt, ut Gu. 3, «arbitrantur et prodesse», 5 et omnes imprr. vett. «plur. obesse vel prodesse arbitr.» Translatum illud est e cap. 5, 17, ubi extremo toto hoc loco fit conclusio. Sunt autem hæc «Earumque... arbitrantur» sic interposita, ut quæ sequuntur, «Ea enim ipsa», respiciant ad superiora, «homines maxime utiles esse possunt». Ceteræ enim res inanimæ, ut utiles vulgo dicantur, ita tamen utiles sunt, ut intercedat hominum opera. Ita particula *enim* interruptam orationem similiter excipit, ut I, 44, 158, ubi verba «itemque ... immanitas» in argumentatione persequenda negliguntur. Quamobrem equidem non assentior Hottingero, p. 190 et seqq. qui corrigit *Ea autem ipsa*, ut Cicero ab his verbis ordiatur disputationem novam. J. F. Heusinger. conjicit «Ea etiam ipsa». Alter Heus. parenthesi separari vult «Earumque... arbitrantur». Quam rationem perstringit Hottingerus non rationibus, sed argutiis.

est. Sed quia deos nocere non putant, his exceptis, homines hominibus obesse plurimum, arbitrantur. Ea enim ipsa, quæ inanima diximus, pleraque sunt hominum operis effecta, quæ nec haberemus, nisi manus et ars accessissent[28]; nec his sine hominum administratione uteremur. Neque enim valitudinis curatio, neque navigatio[29], neque agricultura, neque frugum fructuumque[30] reliquorum perceptio, et conservatio, sine hominum opera[31], ulla esse[32] potuisset.

Quamquam suspicor Ciceronem nullam particulam interposuisse, ut *ipsa* sustineat locum particulæ, quam non semel librarii, alius aliam, adscribendam putaverunt, ut hoc l. in Gu. 4 legitur « Ea igitur ipsa ». Vid. I, 28, 101. De re vid. III, 28, 102.—Gernhardi conjecturis non assentitur Beierus, qui notat : Nihil offendere debet, quod scriptor, proposita divisione, ordinem sequens, revertitur ad membrum prius, eoque copiosius explicato, deinceps 5, 16 extr. accedit ad alterum, non tamen diligentius persequendum, quum Dicæarchus scriptori hac in re otium fecerit. Cicero si suspicatus esset, fore, ut interpretibus aliquando in his minutiis aqua, i. e. intelligentia, hæreret, post *diximus* inculcasset « (ut a prima propositæ divisionis parte incipiamus) ».— Idem Beier. v. *item* post *earumque* delet, auctore Gœrenzio ad Fin. II, 9, 26, pag. 160, b.

28. *Accessissent.* Gern. *accessisset.* Ita, inquit, Heusing. et Lugd. 1527. *Manus* est labor, vide h. c. extr. manusque et ars ejusdem generis, ut « victus cultusque » I, 30, 106. Rell. *accessissent.* — Cum Gernhardo Beierus facit.

29. *Neque navigatio.* Hæc delet Beierus. Navigationis, inquit, inter res ad vitam hominum tuendam præ ceteris necessarias commemoratio perinepta irrepsit e glossa ad § 13 pr. adscripta. Potest quidem « rerum exportatio et invectio » tam jumentis, quam navigiis, fieri et in compari loco Nat. Deor. II, 60, 151, primum inter hominum opera commemorantur « quadrupedum vectiones », et deinde § 152, « navigia, quorum cursibus suppeditantur omnes undique ad vitam copiæ, etc. » At hic ipse locus glossæ suspicionem confirmat. Apparet enim, illa § 13 de navigiorum usu esse accipienda. Sed quod rem dirimit, agitur hic de utilitatibus « ex rebus iis, quæ sunt inanimæ » ; et § 14, demum agitur de « commoditate, quæ percipitur ex bestiis, quas sine hominum opera domare non possemus ».

30. *Frugum fructuumque. Fruges* sunt agrorum cultorum, *fructus*, pratorum, arborum, pecudum.

31. *Sine hominum opera.* Facciol. cum impr. vett. male transponit « sine opera hominum ».

32. *Ulla esse potuisset.* Ern. mavult *posset* : J. F. Heusing. illud defendit, quod « esse posse » prius cogitetur, quam *esse*. Sic certe hic nihil efficitur. « Sine hominum operâ navigatio nulla esse posset » (sive nunc, sive umquam), dicimus, quoniam est naviga-

13 Jam vero et earum rerum, quibus abundaremus, exportatio, et earum, quibus egeremus, invectio, certe nulla esset, nisi his muneribus[33] homines fungerentur: eademque ratione nec lapides e terra exciderentur[34] ad usum nostrum necessarii,

Nec ferrum, æs, aurum, argentum effoderetur penitus[35] abditum,

sine hominum labore et manu.

IV. Tecta vero, quibus et frigorum vis pelleretur, et calorum molestiæ sedarentur, unde aut initio generi humano dari potuissent, aut postea subveniri[1],

tio. « Nulla esse potuisset » si dicimus, intelligimus illud tempus, quo primum navigare instituerunt, ut incertum sit, an etiamnum aliqua sit navigatio; certum autem illud, homines aliquando navigasse. Eaque ratio hoc quidem loco Ciceroni placuit, ut capite sequente pr. « initio... potuissent ». Gern.

33. *His muneribus*. Sc. exportandi et invehendi.

34. *E terra exciderentur*. Nonnullæ edd. vett. « exciderentur e terra ».

35. *Effoderetur penitus abditum*. Facciol. cum impr. vett. dedit « effoderentur... abdita ». In Magont. *abditum*. Substantiva autem Facciol. cum imprr. vett. transponit « ferrum, aurum, æs, argentum ». J. F. Heusing. exemplo Nat. Deor. II, 60, 151, pro metallorum pretio mavult « Nec ferrum, æs, argentum, aurum ». Poetam vero is ordo, quem sequuti sumus, non dedecet: ut, quæ in suo quodque genere nobiliora sunt, medium locum teneant. Gern. — Beierus vv. *nec* et *effoderetur* Ciceroni tribuit, varioque literarum charactere distinguit: itaque observat: Nutriunt versus trochaici tetrametri catalectici monstrum, a Grutero partum. In ed. Magont. est *effoderentur*: quo verbi numero admisso, alii etiam mutarunt *abdita*, ut Vinar. edd. vett. et Facciolatus. Nisi omnia me fallunt, est glossema, ab aliquo ludi magistro adscriptum, ne ellipsis verbi *exciderentur*, ex antecedentibus supplendi, tirunculos vexaret. Vix enim ipse Cicero senarii, contextis accommodandi (Orat. II, § 257), numeros tam sinistre infregisset. Quamquam dubitari potest, ipsiusne poetæ sit vocula *nec*, an ab auctore in pronominis locum substituta.

IV. 1. *Subveniri*. Multæ edd. vett. *subvenire*. Facc. scribit *restitui*, quod si in codice suo reperit, pro glossemate habendum est: sin mera est conjectura, notanda est corrigendi audacia. Optimi libri *subveniri*, quod in media transitivorum constructione facilius dativum, quem alias postulat, abesse patitur, atque ad illa se applicat, quam nova structura inchoatam perturbat. Gern. — Ad *subveniri* Hott. Schütz. Degen. incommode supplent « generi humano ». Rectius Scheller. in Obs. ad h. locum, et in Lexico, p. 10779 sq. præfert eam rationem, ut e præcedd. intelligatur et *potuisset* et *iis*, nempe *tectis*. Recte *subveniri*

si aut vi tempestatis, aut terræ motu, aut vetustate cecidissent, nisi communis vita ab hominibus harum rerum auxilia petere didicisset? Adde ductus[2] aqua- 14
rum, derivationes fluminum, agrorum irrigationes, moles oppositas fluctibus, portus manu factos, quæ unde[3] sine hominum opera[4] habere possemus? Ex quibus, multisque aliis perspicuum est, qui fructus, quæque utilitates ex rebus iis, quæ sunt[5] inanimæ, percipiantur, eas nos nullo modo sine hominum manu atque opera capere potuisse. Qui denique ex bestiis

impersonaliter dici, docuit Gesner. in Thesauro, IV, 622, 20. Beier.

2. *Adde ductus.* Alii, « Adde deductus ». Credibile est, syllabam *de* ortam esse ex geminatione præcedentis. Attamen vox *deductus* placet Grævio, miraturque quod absit a lexicis. Facc. — Grævius sequutus Pith. dedit « At deductus ». Goth. « Ac deductus. Gern. — Magna in his operibus, in quibus adeo Romani excelluerunt, jam apud antiquissimas gentes conspicua fuerat ars. Nam in Ægypto jam Sesostris, in Babylonia Semiramis, apud Israelitas Salomo et Hiskia exstruxerant aquæductus. — *Flumina* autem *derivantur* fossis canalibus. Beier.

3. *Quæ unde sine hominum opera habere possumus?* Hæc et sequentis periodi prima verba omittit Gu. 1. Totam autem seq. period. « Ex quibus... potuisse », excludit λ. Atque sane nescio an proxima « Qui denique ex bestiis fructus » aptius adjungantur rerum illarum multitudini quam isti conclusioni, quæ jam sexies in singulis rebus facta est, nunc totum genus inanimorum complectitur. Quamquam in argumentando repetendoque eodem judicio non parcus est. Vid. I, 43 et 44. Adde huc voces *fructus* et *percipi* utroque in loco deprehendi. Gern.

4. *Sine hominum opere.* Sic e plerisque libb. edere voluisse videtur Gern. quamquam retinuit *opera*. *Opus* pro ipso labore dici, coll. Virg. Æn. VIII, 515 sq. et phrasibus « damnari ad opus publicum, dari in opus » confirmatur.

5. *Quæ sunt inanimæ.* Genus neutrum *inanima* tuentur duo libri Aldi (Tert. cum duobus Ald. « quæ sint inanima »), restituitque Heusingerus auctoritate MSS, Gu. 1 et 2, exemplo Epist. XVI, 4 : « Sumptui ne parcas ulla in re, quod ad valitudinem opus sit »; et Sallust. Jugurth. cap. 41 pr. « Abundantia earum rerum, quæ prima mortales putant ». Adde Gron. Observv. III, 2, pag. 338. Plerique libri *inanimæ;* Vin. Goth. Gu. 5, et imprr. vett. *inanimatæ*, ut c. 3, 11. *Inanima* eo lubentius receperam, quod sequitur *eas* (utilitates), nisi probabilius esset id, quod habet Gu. 2 et 5 a correctore atque Ascensius, *ea* (fructus... utilitates). Certe alterutro loco, non utroque, Cicero perspicuitatis gratia videtur neutrum genus adhibuisse. Gern. — Et reipsa scripsit Gern. *ea* pro *eas*, eumque Beierus sequutus est.

fructus, aut quæ commoditas, nisi homines adjuvarent, percipi posset? Nam et qui principes inveniendi[6] fuerunt, quem ex quaque bellua usum habere possemus, homines certe fuerunt; nec hoc tempore sine hominum opera aut pascere eas[7] aut domare, aut tueri, aut tempestivos[8] fructus ex his capere possemus: ab eisdemque et eæ[9], quæ nocent, interficiuntur; et quæ usui possunt esse, capiuntur. Quid enumerem artium multitudinem, sine quibus vita omnino nulla[10] esse potuisset? Quis enim ægris subveniret[11], quæ esset oblectatio valentium, qui victus, aut cultus, nisi tam multæ nobis artes ministrarent? Quibus rebus exculta hominum vita tantum distat[12] a victu et cultu bestiarum[13]. Urbes vero sine hominum cœtu non potuissent

6. *Principes inveniendi.* Primi invenerunt.

7. *Pascere eas.* Quidam codd. et imprr. vett. « et pascere equos ».

8. *Tempestivos.* Convenienti tempore percipiendos.

9. *Ab eisdemque et eæ.* Alii *que* omittunt; alii, « ab iis denique »; alii, ut Græv. 1, Gu. 2, 3, imprr. vett. *et ea.* Nonius in voce *Interficere* omittit *et ea.* J. F. Heusing. conjicit « ab eisdemque et quæ nocent » contra morem Ciceronis. Quod altero loco facile abesse poterat *eæ*, non idcirco solet omitti utroque. Gern.

10. *Vita omnino nulla.* I. e. injucunda, insuavis, βίος ἀβίωτος. Sic de Orat. II, 5 [20 extr.], « ut sine his studiis vitam nullam esse ducamus », ubi vid. Ern. Beier.

11. *Quis enim ægris subveniret.* Gern. scribit « qui (i. e. quomodo) enim ægris subveniretur », notatque: Librarii enim, quum non intelligerent *qui* esse « qua ratione »; correxerunt alii *quis*, plures *quid.* Quo facto non mirum est, *subveniretur* mutatum esse in *subveniret*, ut in plurimis, ab aliis in *subvenisset*, quod habent Gu. 1, et lib. Tertii, iidem, qui incorruptum tenent *qui*, id quod cum passivo unice convenit sequentibus, « quæ oblectatio, qui cultus, etc. » Nec vero ars medicum ministrat, sed medendi rationem. « Quid subveniret », quod est in quibusdam edd. vett. Plinii est, non Ciceronis. Vide Senect. cap. 11, 36: « Nec vero corpori soli subveniendum est ». Neque mihi persuadebitur facilius illud *quid* vel *quis* mutatum esse in *qui*, quod ut rarius sit, quam illæ pronominis formæ, probatum tamen est pro Milone, c. 17, 46, et al. loc. — Nonnulli imprr. *ægritudini* pro *ægris*.

12. *Tantum distat.* Cum Ascensio, Aldo, Lamb. F. Fabric. Græv. Oliv. et Heusingg. dedi *distat*, ex egregio cod. Anemœcii, MS Santensi, Græv. 1. Reliqui libri *destitit;* pauci *distitit.* Gern.

13. *Cultu bestiarum.* Quinam est cultus bestiarum? Facile apparet, totum hoc membrum additum fuisse.

nec ædificari, nec frequentari : ex quo[14] leges, moresque constituti ; tum juris æqua descriptio, certaque vivendi disciplina[15]. Quas res et mansuetudo animorum consequuta, et verecundia est : effectumque[16], ut esset vita munitior ; atque ut dando, et accipiendo, mutandisque[17] facultatibus et commodis, nulla re egeremus.

V. Longiores hoc loco sumus, quam necesse est. 16
Quis est enim, cui non perspicua sint illa, quæ pluribus verbis a Panætio commemorantur, neminem neque ducem bello[1], nec principem domi, magnas res et salutares sine hominum studiis[2] gerere potuisse? Commemoratur ab eo Themistocles, Pericles, Cyrus, Agesilaus, Alexander, quos negat sine adjumentis hominum tantas res efficere potuisse. Utitur in re non dubia testibus non necessariis. Atque ut magnas uti-

Facc. — *Cultus* autem *bestiarum* dicitur omnis earum ratio ætatem transigendi, maxime cubandi in latibulis, aut cavernis, aut nidis. Comparatur hic enim *fera* agrestisque vita bestiarum cum humano cultu civilique. Vide ad I, 50, pag. 122. Beier. — Post *ministrarent* cum Heusingg. Gern. supplet « eas res, quibus, etc. »

14. *Ex quo*. Propter quod : ex eo, quod urbes ædificatæ sunt. M. Heus.

15. *Vivendi disciplina*. Post hæc verba vulgo additur : « per quas bene beateque vivitur ». Sed critici non probant. Facc. — Nullus liber scriptus hoc interpretamento maculatus est, sed libri imprr. Gern.

16. *Effectumque*. Gu. tres et imprr. vett. « effectumque est ».

17. *Mutandisque ... et commodis*. Gern. et Beier. scribunt « mutandisque facultatibus et commodandis ». Lect. vulgatam, inquit Beierus, e compendio scribendi ortam esse, post Fabricium vidit Gottleber. Dicitur quidem I, 7, 22 extr. « mutatio officiorum » de mutuis officiis. Sed laudatur hic l. a Nonio, cap. 4, pag. 640, in v. *commodare*, ubi pro eo, quod editur, « mutandisque facultatibus et commodandis », Heus. e MS Gu. veram eruit lectionem, quam Fabric. jam conjectura invenerat « mutuandisque f. et commodandis », id est, interprete Nonio, « mutandis ».

V. 1. *Bello*. Gern. *belli* scribit, ut cap. 24, 85. Vide Nic. Heinsium ad Ovid. Metam. XII, 185. Inde a Grutero *belli* omnibus editt. placuit. Sic *belli* tuetur Beierus, qui observat : Sæpe junguntur « domi militiæque » (apud Sallust. Catilin. 9 pr. 53 ; Jug. 31, sub fin.), « belli domique » (Liv. III, 19), « domi bellique » ib. I, 36 extr. Æmil. in Alcib. VII, 1, ubi cel. Brem. laudat Drak. ad Liv. I, 34, 12

2. *Sine hominum studiis*, eodem sensu quo infra, « sine adjumentis h. »

litates adipiscimur conspiratione hominum atque consensu : sic nulla tam detestabilis pestis est, quæ non homini ab homine nascatur. Est Dicæarchi liber[3] de interitu hominum, peripatetici magni et copiosi : qui, collectis ceteris causis, eluvionis[4], pestilentiæ, vastitatis, belluarum etiam repentinæ multitudinis[5], quarum impetu docet quædam hominum genera esse consumpta ; deinde comparat[6], quanto plures deleti[7] sint homines hominum impetu, id est, bellis, aut seditionibus, quam omni reliqua calamitate.

17 Quum igitur hic locus nihil habeat dubitationis, quin homines plurimum hominibus et prosint, et obsint ; proprium hoc[8] statuo esse virtutis, conciliare

3. *Est Dicæarchi liber.* Exstat. Vid. ad lib. I, 11, 12, et ad Cornel. Nep. Cat. III, 3. Dicæarchus Siculus fuit, Aristotelis auditor, philosophus, orator, geometres, qui plura scripsit, de quibus Suidas et Menagius ad Diog. Laert. III, 4. M. Heus.

4. *Ceteris causis, eluvionis*, etc. Genitivus ex græcismo, hoc modo explicandus : « causis, quas affert eluvio, etc. » Paullo aliter visum est Augusto Matthiæ ad Catil. II, 11, 24, qui conf. Mur. 10, 23 : « Aliis... virtutibus, continentiæ, gravitatis » pro « nempe continentia, etc. », nostrum h. l. explicat : « ceteris causis interitus hominum, nempe eluvione, pestilentia, vastitate », id est, sterilitate, ut Nat. Deor. II, 5, 14 pr. et in Senecæ Hercul. fur. 701 : « Sterilis profundi vastitas squalet soli ».

5. *Belluarum... multitudinis.* Ranarum, murium, et similium. Exempla sunt apud Ælianum, Plinium, Justinum. Facc.

6. *Deinde comparat.* Recta constructio pati non potest particulam *deinde*, quæ addita est ab aliquo sciolo. Facc. — *Collectis causis... comparat*, idem est, quod primum colligit causas, deinde comparat. Sive igitur Cicero, oblitus inchoatæ constructionis, in mente habuerit « primum colligit, etc. » sive ad perspicuitatem loci impeditioris juvandam adverbio *deinde* usus sit, quod solet tamquam otiosum post participium præter. omitti ; hoc certum est, causam utriusvis rationis esse in verbis « quarum... docet, etc. » quibus interpositis, jejune diceretur, omisso *deinde*, nudum *comparat*. Vide quæ dixi ad I, 7, 22. Idem animadvertit Gottleberus ad h. l. ceteri interpretes tacent. Gern.

7. *Deleti sint.* Gern. « deleti sunt ». Vide, inquit, infra 6, 23, « declarat, quantum valet », et supra I, 26, 90, « quanto superiores sumus ». De his indicativis vid. A. Matthiæ ad pro Rosc. Amer. 30, 83. — Caute in his esse versandum, exemplis docet Ill. Creuzer ad lib. I de Nat. Deorum, cap. 41 extr. De sententia vide Senecæ Epist. 103. Brixn.

8. *Proprium hoc.* Facciol. scribit « primum hoc », notatque : Virtus in

animos hominum, et ad usus suos adjungere. Itaque, quæ in rebus inanimis, quæque in usu[9] et tractatione belluarum fiunt utiliter ad hominum vitam, artibus ea tribuuntur operosis[10]; hominum autem studia ad amplificationem nostrarum rerum[11] prompta ac parata, virorum præstantium sapientia et virtute excitantur.

Etenim virtus[12] omnis tribus in rebus fere vertitur: 18

primis est, quæ hominum studia conciliat, et alios aliis utiles facit. Primum, inquit, statuo virtutis esse conciliare hominum studia: « Quibus autem rebus, etc. » ut infra.—*Primum* recepit etiam Græv. Sed Heusingerorum et Cockm. libri omnes, *proprium*. J. F. Heusing. dubitat, an *primum* rejiciat ita, ut pro *deinde* sequatur cap. 6 pr. «Quibus autem rationibus, etc.» Virtutis autem proprium est conciliare animos: ceteræ res comparantur artibus. Qui igitur *primum* præferunt, in animis conciliandis relinquunt aliquid rebus aliis, id quod contra Ciceronis sententiam est. Vide Fin. III, 4, 12: « Quum enim virtutis hoc proprium sit, earum rerum, quæ secundum naturam sint, habere delectum ». Gern.

9. *In usu*. Ait autem, quæ dicta sunt de usu belluarum, deque rebus inanimis, manu et opere parari posse; at studia hominum non aliter, quam virtute. Facc. — Sæpe autem Cicero *usum et tractationem* conjungit, ut Orat. I, 23, 100. Gern. — Int. quæ ex belluis, quibus utimur, quasque alimus et tuemur, commoda, quasque utilitates percipimus, ut Grævius interpretatur.

10. *Artibus ea tribuuntur operosis*. *Artibus* est aut dativus, ut sensus sit: Artibus operosis assignantur, adscribuntur, debentur; aut ablativus, ut sit, per artes conferuntur. M. Heus.

11. *Nostrarum rerum*. Ut homines prompti et parati sint ad nostras res amplificandas, id consequemur, si sapientia et virtute aliis præstabimus. M. Heus.

12. *Etenim virtus omnis tribus in rebus fere vertitur*, etc. Hæc omnia usque ad verba, «Quibus autem rationibus, etc.» mihi videntur insititia. Primum enim supervacua sunt: deinde cur hic virtutem in tria capita dividit, quam iterum ac sæpius in superiore libro divisit in quatuor? Cur in capite primo eam solam philosophiæ partem collocat, quæ logica et physica tractat, quum antea sapientiam omnem et prudentiam in eo collocarit? Constructio quoque ipsa alicubi laborat, quamvis verba bona sint et Tulliana. Facc. — Ut Cicero solet cujusque sententiæ vim et rationem repetere altius, sic animos hominum non nisi virtute conciliari, ex ipsius virtutis natura perspici voluit; eoque referenda erat virtutis descriptio, efficiendumque, ut illud officium a virtute videretur non posse secerni. Itaque ut libro I, c. 4 et 5, Platonis exemplo honesti partes quatuor posuit, sic virtutis tres partes constituit, quarum in prima esset prudentia (cogitatio), reliquis continerentur officia cujusque erga semet ipsum et erga alios (actio). Vide quæ dixi ad I, 43, 153. Gern. — Beierus ea, quæ Facciolato suspecta sunt, uncis inclusit.

quarum una est in perspiciendo, quid in quaque re verum, sincerumque sit, quid consentaneum cuique, quid consequens, ex quo quæque gignantur[13], quæ cujusque rei causa sit; alterum, cohibere[14] motus animi turbatos[15], quos Græci πάθη nominant, appetitionesque, quas illi ὁρμὰς, obedientes efficere rationi; tertium, iis[16], quibuscum congregamur, uti moderate, et scienter, quorum studiis[17] ea, quæ natura desiderat, expleta cumulataque habeamus; per eosdemque[18], si quid importetur nobis incommodi, propulsemus, ulciscamurque eos, qui nocere nobis conati sint[19], tantaque pœna afficiamus, quantam[20] æquitas humanitasque patiatur.

13. *Ex quo quæque gignantur, quæ cujusque rei*, etc. Grævius e Græv. 1 et Palat. recepit « ex quo quidque gignatur, quæ, etc. » Heusingerus idoneis exemplis vulgatam defendit. Gern.

14. *Alterum, cohibere*. Sic fere omnes codd. consensu: Facc. tamen notat: Recta constructio poscit, ut dicatur « altera in cohibendo ». Idiotismus hic auctorem patefacit, scilicet illum ipsum, qui cap. 40 (cap. 39, 141) lib. I formavit. Nam ibi quoque dicitur, « modus optimus est tenere decus ». Contra hanc sententiam præclare monuerunt Heusingeri. Adde I, 6, 19, « duo vitia vitanda sunt: unum.... Alterum est vitium ». Vide § 16, « deinde comparat », et lib. I, cap. 3, 8.

15. *Turbatos*. Gern. scribit *perturbatos*. Hoc, inquit, restitui e Græv. 1, ψ, et Ascens. Reliqui, « motus animi turbatos », quod Ern. in *turbulentos* mutandum censet, aut in « motus animi turbati ». J. F. Heusing. « motus animi turbidos ». Utrumque, *turbulentus* et *turbidus* de motibus usitatum in Tuscul. — Gernhardo Beierus obsequitur.

16. *Tertium, iis*. Facc. scribit *tertio*, notatque: Al. legunt *tertium*. Sed ne hoc quidem satis mederi syntaxi videtur. Ceterum pars hæc tertia virtutis, a quocumque tandem sit, societatem respicit; quemadmodum superiores duæ ad eum pertinent, in quo sunt. — Vix est præter Lambinum, qui non legat *tertium*. Gern.

17. *Quorum studiis*. Ut eorum studiis. M. Heus.

18. *Per eosdemque*. Facc. cum ceteris « per eos denique ». Idem paullo ante cum imprr. vett. « sit causa ». Gern.

19. *Conati sint ..... patiatur*. Hos Ern. conjunctivos induxit, ceteris criticis auctoritate librorum eos rejicientibus.

20. *Quantam*. Beierus post Gern. scribit *quanta*. In vulgata, inquit, est ambiguitas. Recte Heusing. e Gu. 1, 4 restituit *quanta* cum ellipsi, quæ verbum semel positum repetere jubet, « ut eos afficiamus », uti Epist. I, 9 (al. 10), § 24, quem locum aliosque

VI. Quibus autem rationibus[1] hanc facultatem assequi possimus, ut hominum studia complectamur, 19 eaque teneamus, dicemus; neque ita multo post: sed pauca ante dicenda sunt[2]. Magnam vim[3] esse in fortuna in utramque partem, vel secundas ad res, vel adversas, quis ignorat? nam et quum prospero flatu[4] ejus utimur, ad exitus pervehimur[5] optatos; et quum reflavit, affligimur. Hæc igitur ipsa fortuna ceteros casus rariores habet, primum ab inanimis[6] procellas, tempestates, naufragia, ruinas, incendia; deinde[7], a

vide apud Perizon. ad Sanct. Minerv. IV, 12, 3, et Oudendorp. ad Sueton. Calig. cap. 43, laudatos a F. Heus.— Imprr. vett. Balduin. Oliv. consentientibus μ et ψ *quantum*. Gern.—Nobis lectio *quantum* optima videtur; nec omnino aliquid habere, quamobrem mutari debeat: temerarie fecit Heus. qui *quanta* scripsit tam paucis auctoritatibus: nec videmus quid velit ad hunc locum exemplum a Gernhardo allatum.

VI. 1. *Quibus autem rationibus.* Generatim homines, ut dictum est, virtute conciliantur. Sed videndum est singillatim, quæ res hominum studia moveant. Facc.

2. *Sed pauca ante dicenda sunt.* Facc. scribit « sed pauca ante de fortuna dicenda sunt », notatque: Duas has voces (post *ante*) alii omittunt. Sed quis non videt necessarias esse? Porro fortunam memorat, quia ipsa quoque in rebus humanis suas partes agit, non tamen fere sine opera hominum. Locus hic omitti non poterat propter Theophrasti librum de beata vita, «in quo multum admodum fortunæ datur», ut est in lib. V de Fin. cap. 5. — Misera hæc est correctio, et ne unum quidem librum habet suffragantem. De fortuna autem Cicero loquitur sic, ut, quæ communi opinione fortunæ tribuuntur, earum rerum causas sæpe minus apertas ad ea genera revocet, quæ descripsit cap. 3. Gern.— Gernhardo Beier. assentitur.

3. *Magnam vim... in utramque partem.* Facciolatus sequi maluit Lactantium, hunc l. ex memoria, non ex libris sic recitantem: « magnam esse fortunæ vim in utramque partem ».

4. *Flatu.* Pessime Sch. dedit *statu*; nec operæ pretium est, tam multos colligere locos, quibus metaphora a flatu fortunæ ducta confirmatur.

5. *Pervehimur.* Alii, *provehimur.* Facc. — Ad libitum.

6. *Primum ab inanimis. Ab inanimis* est, quod attinet ad inanima, quæ sunt quasi auctores casuum, ut c. 9, 31, opponiturque *a bestiis*. Cf. Brut. cap. 16, « sed ille Græcus ab omni laude felicior ». Ibid. cap. 43 extr. « qui a philosophia, a jure civili, ab historia fuisset instructior ». Gottlebero videtur Cicero expressisse Demosthenem, Olynth. II, pag. 24 Reisk. μεγάλη γὰρ ῥοπὴ ..... ἡ τύχη παρὰ πάντ' ἐστὶ τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα. Gern.

7. *Deinde, a bestiis ictus.* Melius, ut nobis videtur, interpungit Beierus « deinde a bestiis, ictus, etc. »

20 bestiis ictus, morsus, impetus. Hæc ergo[8], ut dixi, rariora. At vero interitus exercituum, ut proxime trium[9], sæpe multorum[10], clades imperatorum, ut nuper summi ac singularis viri[11]; invidiæ præterea multitudinis, atque ob eas bene meritorum sæpe civium expulsiones, calamitates, fugæ[12]; rursusque secundæ res, honores, imperia, victoriæ, quamquam fortuita sunt, tamen sine hominum opibus[13] et studiis neutram in partem effici possunt.

Hoc igitur cognito, dicendum est, quonam modo hominum studia ad utilitates nostras allicere atque excitare possimus. Quæ si longior fuerit oratio, cum magnitudine utilitatis comparetur. Ita fortassis[14] etiam brevior videbitur.

21 Quæcumque igitur[15] homines homini tribuunt ad

8. *Ergo*. Gu. 5 et imprr. vett. apud J. F. Heus. *igitur*.

9. *Proxime trium*. In Pharsalia, ubi devictus est a Cæsare Pompeius anno 705. In Africa, ann. 707. Vid. ad I, 112 extr. In Hispania, ad Mundam, duce Cn. Pompeio, Magni filio. Vide Plutarch. in Cæs. 46, 56.

10. *Sæpe multorum*. Verbis « sæpe multorum » Heumannus et J. M. Heusinger. non magis offendi debebant, quam lib. III, 10 pr. Vid. lib. I, 22. J. F. Heusing. recte vituperat, qui hæc verba cum *imperatorum* copulant. Gern. — Sæpe multorum, est quorum alius alio tempore interiit, ut ait J. F. Heus.

11. *Summi ac singularis viri*. Pompeii Magni, qui post cædem Pharsalicam imperio arbitrioque Ægyptii mancipii jugulatus est.

12. *Fugæ*. Voluntaria exsilia, in quæ ire solent rei, qui causæ suæ diffidunt, ut Africanus Major Liternum (Liv. XXXVIII, 52 seq.) atque ipse Cicero, cedens inimici sui tribunitio furori. Beier.

13. *Opibus*. Alii, *operis*, ut Facc. alii, *operibus*. Ad superiora substantiva convenientius est *opibus*. — Hæc fortuita sunt, non tamen a sola fortuna pendent. Facc.

14. *Fortassis*. Imprr. vett. cum Gu. omnibus *fortasse*.

15. *Quæcumque igitur*, etc. Periodus hæc non parum suspicionis injicit, ne male vexata fuerit. Ceterum idem continet pluribus verbis expressum, quod est in periodo sequenti, « Atque etiam, etc. » Facc. — In Addendis totum hunc locum usque ad finem capitis ita legere mavult : « Quæcumque igitur homini tribuunt ad eum augendum atque honestandum, pluribus de causis tribuunt. Ducuntur enim aut benivolentia, aut beneficiorum magnitudine... aut postremo, ut sæpe in nostra rep. vidimus, mercede conducti : quæ sordidissima est illa quidem ratio et inquinatissima et iis

eum augendum[16] atque honestandum, aut benivolentiæ gratia faciunt[17], quum aliqua de causa quempiam diligunt; aut honoris, si cujus virtutem suspiciunt, quemque[18] dignum fortuna quam amplissima putant; aut cui fidem[19] habent, et bene rebus suis consulere arbitrantur; aut cujus opes[20] metuunt; aut contra, a quibus[21] aliquid exspectant, ut quum reges, popularesve[22] homines, largitiones aliquas proponunt[23]; aut

... quæ virtuti propiores sunt, dixerimus. Rerum autem omnium, etc.» Nimium offensus est vir D. causarum et earum, quibus homines impelluntur, ut alterum augeant, atque honestent, et earum, de quibus se alterius imperio subjiciunt, similitudine. Certe facilius audiretur, si qui contenderet, totum illum locum, qui est inde a verbis «Atque etiam, etc.» usque ad finem cap. esse ab aliena manu adsutum. Quamquam non dubito, quin Cicero illa quoque scripserit, ut leguntur in libris scriptis et imprr. omnibus, etiam iis, quibus utebatur Nonius, quem vide in voce *conducere* et in v. *duci*. Subjecerunt autem se Romani Sullæ, Cæsari, Antonio: auxerunt suum fere quisque patronum. Gern.

16. *Ad eum augendum*. Opibus, honoribus, magistratibus. Facc.

17. *Faciunt*. Facc. scribit *tribuunt*, notatque: Hoc verbum retinere non poterit, qui totum periodi hujus contextum sedulo expendet. — Quid offensionis sit in verbo *faciunt*, quod præcedentis *tribuunt* locum sustinet, non intelligo. Gern.

18. *Quemque*. Facc. scribit *eumque*, probante M. Heus. Sed hæc mera est Facciolati conjectura. Reliquæ lectiones «et si quem» in Vin. Goth. Gu. 5, et imprr. vett. est grammatici nimis sollicitI correctio, ut quod Goth. habet, «aut si quem». Ejusmodi varietates afferunt aliquid elegantiæ, nostroque admodum placuere. Gern.

19. *Aut cui fidem*, etc. Id est, aut ei tribuunt, cui, etc. Qui in superiore membro retinent *faciunt*, hic hæreant in salebra, necesse est; quia nimis variatur constructio. Facc. — Minime: nam, quum supra *faciunt* pro *tribuunt* poneretur, h. l. quo verbum deest, non *faciunt*, quod vicarium erat, sed ipsum *tribuunt* subauditur.

20. *Cujus opes*, etc. Metu potentiæ potentiorem faciunt. Facc.

21. *A quibus aliquid*. Facc. scribit *a quo*. Hoc, inquit, malui: sæpe enim in describendis hujusmodi pronominibus librarii errant, quod fere in codicibus MSS per literam unam, vel per breves notas parum inter se distinctas exarantur. — In omnibus libris *a quibus* legitur. Gern.

22. *Popularesve homines*. Qui multitudini placere volunt, ejusque studium quibuscumque artibus captant. M. Heus.

23. *Largitiones... proponunt*. *Proponere* est publice promittere. *Largitionum* genera erant leges agrariæ, frumentariæ, tabulæ novæ, munera gladiatoria, epulæ, viscerationes, congiaria, de quibus cap. 16, 17 et 24. M. Heus.

postremo, pretio ac mercede[24] ducuntur: quæ sordidissima est illa[25] quidem ratio, et inquinatissima, et his, qui ea tenentur, et illis, qui ad eam confugere
22 conantur. Male enim se res habet, quum, quod virtute effici debet, id tentatur pecunia. Sed quoniam nonnumquam hoc subsidium necessarium est: quemadmodum sit utendum eo, dicemus, si prius iis de rebus, quæ virtuti propiores sunt, dixerimus. Atque etiam[26] subjiciunt se homines imperio alterius et potestati de causis pluribus[27]. Ducuntur enim aut benivolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis præstantia, aut spe, sibi id utile futurum, aut metu, ne vi parere cogantur, aut spe largitionis, promissisque[28] capti, aut postremo, ut sæpe in nostra republica videmus[29], mercede conducti.

23 VII. Omnium autem rerum[1] nec aptius est quidquam ad opes tuendas ac tenendas, quam diligi; nec alienius, quam timeri. Præclare enim Ennius[2]: «Quem

24. *Ac mercede*. Al. *aut mercede*: quod non est ferendum: nam verba sequentia ad *pretium* non minus, quam ad *mercedem* pertinent: quamquam alii emuntur pretio, mercede conducuntur alii. Gern.

25. *Illa*. Imprr. vett. hanc vocem omittunt.

26. *Atque etiam*, etc. Imperia etiam quum homines tribuunt, iisdem ferme causis moventur. Facc.

27. *De causis pluribus*. Facciolatus transponit «pluribus de causis», quod video etiam Olivetum fecisse. — Sch. «de pluribus causis», sine ulla auctoritate.

28. *Promissisque*. Ita egregie unus Græv. 1, quem sequuntur Græv. Facc. Ernest. Heusingg. Quæ lectio contentionem dirimit reliquarum, *promissionibusque* et *promissionisque*, quod est in libris plurimis, neque tamen videtur ferendum. Gern.

29. *Videmus*. *Vidimus*, quod propter adv. *sæpe* habet speciem probabilitatis, est in Gu. 4 et V. L. Wolfii. Reliqui recte *videmus*, triumvirorum enim exempla erant in promptu. Quamquam *videmus* indefinitum tempus significat. Gern. — *Videmus* firmat Nonius v. *conducere*. De re vid. Plut. in Bruto, cap. 23 pr.

VII. 1. *Omnium autem rerum*. Totum hoc pertinet ad explicandam benivolentiam, qui primus erat locus potentiæ et imperii parandi. Facc. — Qui scribit «Rerum autem omnium». Sed nostra lect. fere omnium librorum consensu defenditur. Alii omittunt *ac tenendas*, quod suspectum est Beiero.

2. *Præclare enim Ennius*. Gern. delet *enim*, qui notat: «Præclare

metuunt, oderunt[3]; quem quisque odit, periisse expetit[4] ». Multorum[5] autem odiis nullas opes posse obsistere, si antea fuit ignotum, nuper est[6] cognitum. Nec vero hujus tyranni solum, quem armis oppressa pertulit civitas, paretque quum maxime mortuo[7], interitus declarat, quantum odium hominum valeat[8] ad pestem; sed reliquorum similes exitus tyrannorum: quorum haud fere quisquam interitum talem[9] effugit.

enim » aut, ut Ascensius, « Præclare enim ait » vulgo legitur. Sed Heusingerus *enim* delevit, quum in Gu. 4 esset *etiam*, in Gu. 1 et aliquot imprr. « Præclare Ennius »: idque aptissimum est, nec opus aliqua particula; vide I, 28, 101. Gern. — Gernhardum sequitur Beierus. — Vide Columnam, in frag. p. 298. Facc. — Ennii versus videtur esse ex Thyesta, et huic admonitioni respondisse Atreus: « oderint, dum metuant » (I, 97, pag. 215, cl. Seneca de Clement. I, 12.) Hoc mihi quidem admodum veri simile fit ex iis, quæ l. ibi citato Philipp. I, 14, 33 sq. insinuantur. Beier.

3. *Oderunt*. Ex Goth. J. F. Heus. restituit *odere*. Gern.—Et eum Gern. sequitur cum Schützio.

4. *Expetit*. Garvium vertentem *expedit* jure reprehendit Erfurdtius in notis MSS. Gern.

5. *Multorum*. Hoc est pro multitudinis, populi.

6. *Nuper est cognitum*. Idibus martiis (i. e. d. xv m. mart.), a. U. 709, nostr, ut Degenius putat, d. ix mart. a. 710, Cæsar, cujus hic et in seqq. itemque III, 4, 19, nomen indignatio supprimit, « interiit a paucis ». Cf. Eutropii VI, 20, 2 seqq. Beier.

7. *Paretque quum maxime mortuo*. Cæsarem intelligit, cujus acta ut servarentur, decretum fuerat, curante Antonio. Itaque civitas parebat mortuo, et quidquid ex ejus commentariis Antonius proferebat, vim legis habebat; ceterum verba hæc in plerisque codicibus corrupta sunt, in aliquibus omnino desunt. Facc. — Illustre hoc exemplum est depravationis librorum veterum, si quidem hæc Ciceronis sunt, quæ Græv. primum e suo libro optimo prodidit, « paret quæ quum maxime mortuo », pro quo J. Gron. bene scripsit « paretque, etc. » De « quum maxime » vide Ern. Clav. Cic. in h. v. Intelligendum autem est *cui*, ut cap. 6, 21, « cui fidem habent, et (quem) bene rebus suis consulere arbitrantur ». J. M. Heusing. citat Epist. XII, 1: « An quod ei mortuo paret (resp.), quem vivum ferre non poterat? » Secundum quæ Pearcius conjicit « non pertulit civitas » : sed non eadem est utriusque loci ratio. Vis quærenda est in « armis oppressa ». Neque Jul. Cæs. omnibus odio fuit, sed paucis; vide § 26. Ceterum Grævium sequuntur Verburgius, Pearc. Ern. Heusingg. Gern. — Olivet. hæc omnino delevit.

8. *Valeat*. Gern. *valet*. Ita, inquit, MSS Lambini, Goth. quatuor Gu. plerique libri imprr. vett. Ascensius, Ald. Bald. Heusingg. Pauci *valeret*. Plures *valeat*. Sed vide cap. 5, 16. Gern.

9. *Interitum talem effugit*. Quidam habent « interitum similem effugit »,

Malus enim[10] custos diuturnitatis metus; contraque,
24 benivolentia fidelis[11] est vel ad perpetuitatem[12]. Sed iis, qui vi oppressos imperio coercent, sit sane adhibenda sævitia, ut heris in famulos, si aliter teneri[13] non possunt: qui vero in libera civitate ita se instruunt[14], ut metuantur; his nihil esse potest[15] dementius. Quamvis enim demersæ sint leges alicujus opibus, quamvis timefacta[16] libertas, emergunt tamen[17] hæc aliquando aut judiciis tacitis[18], aut occultis[19] de honore suffragiis. Acriores[20] autem morsus sunt intermissæ libertatis, quam retentæ[21]. Quod igitur latissime patet, neque ad incolumitatem solum, sed etiam ad opes, et potentiam valet plurimum, id amplectamur, ut metus absit, caritas retineatur. Ita facillime, quæ[22] volemus,

vel « subterfugit ». Facc. vv. « interitum talem » post Langium delevit, assentiente Fabricio. Gern. et Schütz. J. F. Heus. sequuntur. Beierus cum Oliv. v. *talem* mallet excludere.

10. *Malus enim... diuturnitatis.* Id est, diuturnæ incolumitatis, ut Agrar. III, 2, 10, agri « spem diuturnitatis », i. e. auctoritatis diuturna possessione, « attingunt ». Beier.

11. *Fidelis est vel ad.* Vocem *est* cum Græv. omittunt Gu. 1, 3, 5, Exc. Bedæ, imprr. Mogont. Gryph. etiam Nonius in voc. *vel*, quos Gern. sequitur.

12. *Diuturnitatis...perpetuam.* Incolumitatis diuturnæ, ut perpetuitas est salus ad supremum serumque vitæ finem durans. M. Heus.

13. *Teneri.* Coerceri, contineri.

14. *Instruunt*, opibus, armis, singularis potentiæ præsidiis, quod fecerat J. Cæsar, quem hic significat.

15. *Esse potest.* J. F. Heusing. ex impr. vett. et suis Gu. *potest esse.*

16. *Timefacta.* Facc. scribit *tremefacta*, notatque: Id est, concussa et labefacta. Recentiores critici legere malunt *timefacta* : sed vox hæc minus significat, quam oporteat, nec recte respondet voci *intermissæ*, quæ infra habetur.

17. *Emergunt... hæc.* Id est, leges et libertas, quorum utrumque dictatore Cæsare demersum quodammodo erat. Facc.

18. *Judiciis tacitis.* Populus enim romanus factis quibusdam et signis tacite judicium suum significaverat, ut est apud Suetonium in Cæs. vita, cap. 80. Facc. — Vide ad Attic. II, 19, IV, 16, ibique Manut. et Græv.

19. *Occultis... suffragiis.* Id refertur ad suffragia, quibus, ut est apud eumdem Suetonium, illi ipsi consules declarabantur, quos Cæsar de tribunatu dejecerat. Facc.

20. *Acriores*, etc. Acrius exstimulat libertas intercepta et intermissa; quia bona qualibet tum maxime sentimus, quum amittimus. Facc.

21. *Retentæ.* Id est, non omissæ.

22. *Quæ volemus.* Ita cod. Græv. 1 et Pith. Gu. omnes cum exc. Bedæ,

et privatis in rebus, et in republica consequemur. Etenim, qui se metui volent, a quibus metuentur, eosdem metuant ipsi, necesse est. Quid[23] enim censemus superiorem illum Dionysium[24], quo cruciatu timoris angi solitum? qui cultros metuens tonsorios, candenti[25] carbone sibi adurebat[26] capillum. Quid? Alexandrum[27] Pheræum, quo animo vixisse arbitramur? qui, ut scriptum legimus, quum uxorem Theben admodum diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum, et eum quidem, ut scriptum est, compunctum[28] notis Threiciis[29], destricto gladio[30] jubebat anteire; præmittebatque de

In ceteris est «quæ volumus», et paullo post *metuuntur*. Alii, *metuantur*. Gern. — In proximis Degenius cum Exc. Bedæ atque Eybi dat *consequimur*.

23. *Quid enim censemus*. *Quid* in hac formula interrogandi tantum vim habet, ac potius abundat. Vide ad orat. pro Rosc. Amer. cap. 17 pr. ubi plura dixi. M. Haus.

24. *Dionysium*. Syracusanum, qui ne tonsori collum committeret, tondere filias suas docuit: postea ab iis ipsis ferrum removit, instituitque, ut igne sibi barbam et capillum adurerent. Vide Tusc. V, cap. 20, et Valer. Max. lib. IX, cap. 13, Extern. n. 4.

25. *Candenti*. Sic vulgabatur, et Facc. retinuit. Gernhard. scripsit *candente*.

26. *Sibi adurebat capillum*. Pronomen *sibi*, quod a Nonii exemplaribus abesse videbat, J. F. Heusingerus expunxit invitis omnibus libris scriptis et editis. Repugnat etiam verborum numerus. Oudendorpius ad Sueton. Ner. cap. 1, *capillum* latiore sensu etiam ad barbam pertinere docuit laudavitque Verr. V, 49. Gern.

27. *Alexandrum Pheræum*. De quo Valer. Max. lib. IX, cap. 13, Extern. n. 3. Facc. — Vide Plutarch. in Pelopida; Corn. Nep. in ejusdem vita, cap. 5; Xenoph. lib. VI Ἑλληνικ. Diodor. Sicul. lib. XV. Pheræ in Thessalia sitæ erant.

28. *Compunctum*. Servum Thracem, vel ex alia barbaria, stigmatibus notatum et compunctum, more gentis. Facc. — Vide Turneb. Advers. lib. III, cap. 16.

29. *Threiciis*. Facc. *Threiiciis* post Grut. et Græv. Heusingerus autem, quem Gern. sequitur cum Beiero, post Balduinum scripsit *Thraciis*. — Thraces et aliæ quædam gentes barbaræ se stigmatis notabant, teste Herodoto, V, cap. 6, lin. 7, et Strabone, VII, cap. 5, pag. 103, ed. stereot. Lips. Eumdem morem Ægyptiis et Sarmatis adscribit Sext. Empir. Pyrrh. Hypot. III, cap. 24. Στίγματα autem ab Hesychio explicantur ποικίλματα. Solebant autem olim tyranni Thracibus uti ad cædem ministris et satellitibus. Beier.

30. *Destricto gladio*. Sic videtur et in aliis locis legendum, ubi de gladiis

stipatoribus suis, qui scrutarentur arculas muliebres, et, ne quod in vestimentis occultaretur telum, exquirererent. O miserum, qui fideliorem et barbarum et stigmatiam[31] putaret, quam conjugem! nec eum fefellit[32]. Ab ea enim est ipse[33], propter pellicatus suspicionem, interfectus. Nec vero ulla vis imperii tanta est, quæ premente metu, possit esse diuturna.
26 Testis est Phalaris[34], cujus est præter ceteros nobili-

agitur. Aliud est *districtus*, nimirum distentus, occupatus; aliud *destrictus*, hoc est e vagina extractus. Vide et quæ amplissimus et mei studiosissimus vir Gisbertus Cupertus, lib. VI Observ. de harum vocum discrimine docte notavit. GRÆV. — *Destricto* defendunt Gu. 1, 2, tres Manutii, unus Tertii, unus Grævii.

31. *Stigmatiam*. Quidam *stigmatium*. Imprr. vett. *stigmaticum*. Beiero placet *stigmatian*.

32. *Nec eum fefellit*. Facc. « nec eum fefellit opinio ». Recte vocem omittunt libri meliores. Olivet. cum reliquis addit *opinio*. Fugit librarios nude sic poni verbum *fallere*, ut pro Sext. cap. 50, 106: « Nunc, nisi me fallit, in eo statu civitas est, etc. »; pro Cœl. cap. 19, 145; ad Att. XIV, 12: « sed nos, nisi me fallit, jacebimus ». — Optima nobis hæc videtur intp. qua v. *fallere* cum accusativo junctum nude positum dicitur, ita ut *res* subaudiatur: quamquam non spernenda est M. Heus. intp. subaudientis vocem *conjux*; ita ut sensus sit: Thebe non fefellit maritum, eo sensu: Suspicio ejus non falsa fuit, non imprudenter in ea fecit. Nam fallimur ab iis tantum quos fideles credidimus. — Conf. Xenophon, Hellen. VI, 4, 35 sqq. Plutarch. in Pelop. extr. et Diod. qui cædem istam Ol. CV, a. 4 factam statuit, lib. XV, p. 487, XVI, c. 14, pag. 517 sqq. ed. Steph. BEIER.

33. *Ab ea enim est ipse*. Heusing. quem Gern. et Schütz. sequuntur, ex MSS suis dat « Ab ea est enim »; deinde idem Heus. scribit *ipsa*, auctore Gu. 1, post Facc. et Lamb. et patruum suum, et cum quibusdam edd. vett. in quo a Gern. et Schütz. est relictus: sed in Lex. Cic. pag. 287, Schützius deidit *ipsa*, probante Beiero.

34. *Phalaris*. Qui lapidatus in foro est. Vide Valerium Maximum, lib. III, cap. 13, Extern. n. 2. FACC. — Sed eum Phalarin confudisse cum Nearcho, qui Veliensium in Italia tyrannus fuit, centum post Phalarin annis, e Diog. Laert. IX, § 27, docuit Ric. Bentl. Respons. ad C. Boyl. cap. 6 extr. Opuscc. philoll. p. 253 ed. Lips. rejecto etiam Tzetzis, Chil. I, p. 95, testimonio, « plumbeo eum vestimento indutum, fame periisse », quum Ovid. in Ibin, 439 sqq. auctor sit, in tauro illo crematum fuisse, quem is, in cujus ipsius perniciem primi convertit hoc artificium, Perillus ita machinatus esset, ut ejus, qui excruciabatur in eo, lamenta ope fistularum in machina latentium verterent in mugitum, quo se tyrannus oblectaret. BEIER. — Plura addit Beierus historicorum de Phalaride testimonia, quæ operæ pretium est apud eum legere.

tata crudelitas : qui non ex insidiis interiit, ut is, quem modo dixi, Alexander; non a paucis, ut hic noster[35]; sed in quem universa Agrigentinorum multitudo impetum fecit. Quid? Macedones nonne Demetrium[36] reliquerunt, universique se ad Pyrrhum contulerunt? Quid? Lacedæmonios[37] injuste imperantes, nonne repente omnes fere socii deseruerunt, spectatoresque se otiosos præbuerunt Leuctricæ calamitatis[38]?

VIII. Externa libentius in tali re, quam domestica, recordor. Verumtamen quamdiu imperium populi romani beneficiis tenebatur[1], non injuriis, bella aut pro sociis, aut de imperio gerebantur : exitus erant bellorum aut mites[2], aut necessarii[3]. Regum, populorum[4], nationum portus erat et refugium, senatus.

35. *Ut hic noster*. J. Cæsar, in senatu tribus et viginti vulneribus confossus. Erasm.

36. *Demetrium*. Poliorcetem. Vid. Plutarch. in vita Pyrrhi et Demetrii, et Justin. XVI, 2. Græv. — Superbum reliquerunt, humanum sequuti. Facc.

37. *Lacedæmonios*. Qui ad Leuctram profligati sunt ab Epaminonda. —Omnes imprr. vett. apud J. F. Heus. *Lacedæmones*. — Eos subjectis civitatibus ὑπερηφάνως καὶ βαρέως imperasse, dicit Diodor. XV, 28. Nimirum singulis civitatibus decemviros et harmostas obtruserant. Pausan. VIII, 52, 2 extr. Hinc apud Æmil. Prob. XV, 5, 6, Epaminondas gloriatur, se « uno die totam Græciam, Lacedæmoniis fugatis, liberasse ». Beier.

38. *Spectatoresque . . . calamitatis*. Vide Corn. Nep. in vita Epaminondæ, 15, 7. Græv.

VIII. 1. *Beneficiis tenebatur*. Recte agendo, et aliis benefaciendo. Sallustius, Catil. 9, « in pace beneficiis magis, quam metu imperium agitabant ».

2. *Aut mites*. Vide Grot. de Jure Belli et Pacis, lib. III, cap. 11, § 6 et 7, et in primis totum caput 15 ejusdem lib. Græv.

3. *Necessarii*. Si forte victoria cruenta erat, fiebat necessitate, non voluntate. Id refert, opinor, ad Carthaginem et Corinthum deletas. Facc. — Vir D. post *necessarii* plene interpungit, ut alii. Sed J. F. Heusingerus egregie vidit, apodosin hujus periodi, pluribus partibus distinctam, contineri verbis, « bella aut... defendissent ». Hæc enim omnia consequuta est populi romani benivolentia. Gern. — Quod temperamentum circa vastationem et similia sit tenendum, vide Grot. de Jure Belli et Pacis, lib. III, cap. 12. Græv.

4. *Regum, populorum, nationum portus erat et refugium, senatus*. Salutare fuisse romanum imperium toti

27 Nostri autem magistratus, imperatoresque ex hac[5] una re maximam laudem capere studebant, si provincias, si socios æquitate et fide defendissent. Itaque illud patrocinium orbis terræ verius, quam imperium poterat nominari. Sensim hanc consuetudinem et disciplinam jam antea minuebamus; post vero Sullæ victoriam[6] penitus amisimus. Desitum est enim videri quidquam in socios iniquum, quum exstitisset in cives tanta crudelitas. Ergo in illo sequuta est honestam causam[7] non honesta victoria. Est enim ausus dicere, hasta posita[8], quum bona in foro venderet et bonorum virorum[9], et locupletum[10], et certe civium, prædam suam se vendere[11]. Sequutus est[12], qui in causa

orbi terrarum, multifariam veteres testautur. Magnifice Plutarch. libro de virtute et fortuna Romanorum, Romam vocat πᾶσιν ἀνθρώποις ἑστίαν ἱερὰν, etc. Vide Plin. III, 6, de Italia. GRÆV.

5. *Ex hac una.* Gu. 5, impr. vett. Facciol. *ex una hac.*

6. *Sullæ victoriam.* Cujus crudelitatem lege apud Velleium Patercul. lib. II, cap. 28; Sallust. Catil. c. 11. M. HEUS.

7. *Sequuta est honestam causam non honesta victoria.* Causam probat belli, quia Sulla partes optimatum fovebat et tuebatur contra populares: victoriam improbat, quia erat crudelis, sæva et cruenta. GRÆV.

8. *Hasta posita.* Ad auctionem faciendam. FACC. — Quum venderet bona proscriptorum: cujus venditionis signum erat hasta, unde *hastæ subjici* dicebantur, quæ plus licitantibus addicebantur. M. HEUS.

9. *Bonorum virorum et locuplet.* Reizius in margine citat Verr. III, 35. GERN.

10. *Locupletum.* Sic Ernest. Oliv. cum MSS Guelf. et edd. vett. permultis. Cum Balduino et Græv. et Palat. 1, J. F. Heusingerus invitis reliquis codicibus edidit *locupletium*, exemplo libri VII ad Attic. epist. 7. Cui quidem loco præter codicum fidem opponi potest, Tuscul. lib. V, c. 20, 58 edit. Wolf. et Parad. VI, 2. Sed Vossius de Analog. II, 14, p. 741 ait *locupletum* dici et *locupletium*: sed fortasse hic nullam esse syncopen. Nam tam a *locuplete* esse *locupletum*, quam a *locupleti* *locupletium*, ut ad Attic. l. l. *Locupleti* autem Beckius e Prisciano, p. 765 Putsch. restituit in Verr. III, 19, 62, et IV, 1, e cod. Lamb. Hæc Gern. qui scripsit *locupletium*, sequente Beiero.

11. *Prædam suam se vendere.* Gern. cum Beiero scribit «prædam se suam vendere». Ita, inquit, Gu, 1, 2, 3, Goth. edit. Gryph. Bald. et Heusinger. — Se bona eorum vendere, quos bello vicisset: quasi hostes illi, non cives, essent. M. HEUS.

12. *Sequutus est.* Cæsar, qui pugnavit contra communem libertatem. FACC.

impia, victoria etiam fœdiore[13], non singulorum ci-
vium bona publicaret, sed universas provincias re-
gionesque uno calamitatis jure[14] comprehenderet.
Itaque, vexatis[15] et perditis exteris nationibus, ad 28
exemplum amissi imperii[16] portari in triumpho Mas-
siliam[17] vidimus, et ex ea urbe triumphari, sine qua
numquam nostri imperatores ex Transalpinis[18] bellis
triumpharunt. Multa præterea commemorarem nefaria
in socios, si hoc uno sol quidquam vidisset indignius.
Jure igitur plectimur. Nisi enim multorum impunita
scelera[19] tulissemus, numquam ad unum tanta perve-
nisset licentia : a quo quidem rei familiaris, ad paucos;

13. *Fœdiore.* Ob turpitudinem causæ, quia rempublicam ipsam hæc victoria evertit, interfectis optimis civibus, publicæ libertatis patronis, senatusque omnino labefactata auctoritate. — Propter fœdam in cives crudelitatem, quia immoderatius victoria abusus est, nempe « pecuniarum translatione a justis dominis ad alienos ». I, § 43 extr. epist. IV, 13, 6. Sueton. in Cæs. 50, 54. Beier.

14. *Uno calamitatis jure.* Recte hanc lect. J. F. Gronov. et J. F. Heusing. defendunt, quam confirmant MSS Manutii, Lamb. Grut. Græv. Pearcii, item Gu. 1, 2, 4. Male edd. vett. *uno calam. genere*. Schutz. — Sensus ut sit : « Cæsar victor hanc victis civitatibus conditionem tulit, ut una omnes pariter essent calamitosæ, legem hanc eas accipere coegit, quæ universis calamitatem afferret ». Beier.

15. *Vexatis*, etc. Post vexatam Græciam, Africam, Hispaniam. Facc.

16. *Ad exemplum amissi imperii.* Quasi imperium romanum amissum esset, dum de sociis civitatibus triumpharetur. Ac si hoc exemplo declararetur, populum romanum suum imperium amisisse, quum suos socios unius potestati subjici videret. M. Heus.

17. *Massiliam.* Galliæ Narbonensis civitatem, quæ « fide melior, quam consilio prudentior », ut ait Velleius, II, 50, 3, novis Cæsaris officiis veterem Pompeii beneficiorum in eos memoriam expelli non passa, portas Cæsari, adversus Pompeii legatos in Hispaniam proficiscenti, clauserat, ut ipse narrat B. Civ. I, 34 sq. Cf. Dio, XLI, 19. Beier. — Massiliæ simulacrum ex ebore portari voluit, quod eam victor ex Hispania rediens expugnassset. Facc.—M. Heus. dicit imaginem Massiliæ non ex ebore fuisse, sed citream, ut liquet e Velleio, II, 56.

18. *Ex Transalp. bellis*. Vocem *bellis*, cui in Gu. 1 præmittitur *Transalpinis Alpibus*, in Goth. *Transalp. terris*, delendam esse suspicatur Heusing. laudatque Philipp. VIII, 6, et Epist. XI, 4 : « Progressus sum ad Inalpinos ». Voc. *bellis* Beierus delevit.

19. *Mult. impunita scelera.* Nonius v. *tollere* cum Vin. et Ven. pr. « multorum impunitates scelerum ». Quod Beiero placuit, quia hoc melius sqq. opponitur « unius licentia ».

29 cupiditatum, ad multos improbos venit hereditas. Nec vero umquam bellorum civilium semen et[20] causa deerit, dum homines perditi hastam illam[21] cruentam et meminerint, et sperabunt; quam P. Sulla quum vibrasset[22], dictatore propinquo suo[23], idem, sexto tricesimo[24] anno post, a sceleratiore hasta non recessit. Alter autem[25], qui in illa dictatura scriba fuerat, in hac fuit quæstor urbanus. Ex quo debet intelligi, talibus præmiis propositis, numquam defutura bella civilia. Itaque parietes urbis modo stant[26] et manent, iique ipsi jam extrema scelera metuentes; rem vero publicam penitus amisimus.

20. *Et causa*. Duo hæc desunt in imprr. Lipss. atque glossema esse videntur Gœrenzio ad Leg. II, 21, 52, quum in duobus suis non reperiantur. Sed *causa* est causa proxime antecedens, quæ solet fingi. Gern.

21. *Hastam illam cruentam*. Auctionem illam, qua civium proscriptorum bona, tamquam hostium præda vendita sunt. Facc.

22. *P. Sullæ quum vibrasset*. Pro *Publio* omnes Gu. μ et ψ, cum duobus imprr. male habent *Lucio*. Gern. — P. Sullæ, Servii filii, dictatore patruo suo L. Cornelio Felice, pro quo ipsius exstat oratio, avaritiam notat; qui L. Sulla dictatore proscriptionibus præfuerit; quibus velut imbutus, sexto et tricesimo postea anno, C. Cæsaris partes sequutus sit, non multo humaniorem in rempublicam animum præ se ferentis. Suetonius sane scribit suspicionem fuisse, quod Cæsar antequam ædilitatem iniret, cum M. Crasso, P. Sulla et L. Autronio conspirasset. Lang.

23. *Dictatore propinquo suo*. L. Cornelius Sulla dictator fuit patruus P. Sullæ: nam Serv. Cornelii Sullæ fratris L. Sullæ filius fuit P. Sulla, ut Sallustius in Catil. ostendit. Fabr.

24. *Sexto tricesimo*. Heusingerus fide Goth. Gu. 2 et Magont. cum Grævio et Facciol. exclusit copulam post *sexto* vulgo interjectam, v. pro Cluent. cap. 27, « septimus decimus » et a multis aliis locis. Gern. — *Idem sexto*, etc. Idem P. Sulla post annos sex et triginta, Cæsare dictatore, Pompeianorum bona in auctione publica emit, quam auctionem Cicero vocat hastam sceleratiorem. Facc. — Nescit igitur Degenius hæc ab Antonio empta? De Cæsaris hasta vid. Phil. II, c. 26; VIII, 3, 9 extr. Beier.

25. *Alter autem*. Serv. Cornelius Sulla. Facc.—Is fuit *Cornelius*, cujus meminit Lepidus in oratione sua apud Sallustium in fragm. hist. lib. I. Non falli videntur, qui P. Sullæ quem paullo ante nominavit, fratrem *Servium* intelligunt, qui e conjuratione Catilinaria evaserat. Vide Cortium ad Sallust. Catil. cap. 17, p. 111, et ad cap. 47, p. 275; Cic. pro Sulla, cap. 2 med. M. Heus.

26. *Urbis modo stant*. Gern. post J. F. Heusing. e tribus Gu. transp.

Atque in has clades incidimus (redeundum est enim ad propositum), dum metui, quam cari esse et diligi maluimus. Quæ si populo romano injuste[28] imperanti accidere potuerunt, quid debent putare singuli[29]?

Quod quum[30] perspicuum sit, benivolentiæ vim esse magnam; metus, imbecillam : sequitur, ut disseramus, quibus rebus possimus facillime eam, quam volumus, adipisci cum honore et fide caritatem. Sed 30
ea non pariter[31] omnes egemus. Nam ad cujusque vitam institutam[32] accommodandum est, a multisne opus sit, an satis[33], a paucis diligi. Certum igitur hoc sit, idque et primum et maxime necessarium, familiaritates habere fidas amantium nos amicorum, et nostra mirantium[34]. Hæc enim est una res[35] prorsus, ut non multum differat inter summos et mediocres

« modo urbis stant », quod nobis mutandum fuisse videretur, si in vulgatis fuisset, adeo barbaro sono aures offendit. Beierus Gern. sequitur.

28. *Injuste imperanti.* Per metum, talibus dictatoribus. Facc.

29. *Quid debent putare singuli?* Eadem vis verbi *putare* est in illo, *non putaram* I, 23, 81. Nec vero assentior Heusingero conjicienti « quid debet putari, singulis » (accidere posse)? Vulgatæ lectionis sensus est exquisitior, et gravior. Gern. — Subaudi : sibi accidere posse.

30. *Quod quum.* Ernest. in Clavi Cic. docuit *quod* ab initio periodi dici pro *quare*, hoc loco corrigit *quo*. Non assentitur V. D. in Biblioth. crit. I, 3, p. 24. Gottleber. Heusing. et Brem. ad Fin. I, 6, med. Paullo post alii libri *imbecillem*, ut sæpe in h. v. variatur.

31. *Non pariter.* Quod pertinet ad numerum eorum a quibus diligamur.

32. *Vitam institutam.* Id est, vitæ institutum. Alii leg. ut Oliv. cum Ven. *instituendam*. Facc.

33. *An satis.* Gern. scribit « an satis sit ». Vulgo, inquit, omittunt *sit*, in MSS Gu. omnibus, imprr. vett. et Gryph. servatum atque ad perspicuitatem necessarium. Assentiuntur Asc. et Bald. Sequitur Gernhardum Beierus, qui observat : Solet in tali oppositorum comparatione iterari verbum substantivum. Tuscul. V, 1, « sin autem virtus... famula fortunæ est, nec tantarum virium est, ut etc. » 7, 18 pr.

34. *Nostra mirantium.* Qui nos colant, et observent : quod faciunt, qui alicujus res, et bona præsertim animi mirantur. Matur. — Bene nobis vertisse videtur intp. gallicus, « qui se réjouissent de nos succès ».

35. *Hæc enim est una res prorsus, ut non multum differat*, etc. Intell. hæc una res est, in qua non multum differat, etc. — Beierus transponit *hæc est enim*.

viros; eaque utrisque est[36] propemodum[37] comparanda. 31 Honore, et gloria, et benivolentia civium fortasse[38] non æque omnes egent; sed tamen si cui hæc suppetunt, adjuvant aliquantum tum ad cetera[39], tum ad amicitias comparandas.

IX. Sed de amicitia alio libro dictum est, qui inscribitur Lælius[1]. Nunc dicamus de gloria : quamquam ea quoque de re duo sunt nostri libri[2]; sed attingamus,

36. *Utrisque est.* Verbum *est* in Ven. 1498 recte omittitur, et delevit Beierus.

37. *Propemodum*. *Pari modo*, quod Facc. dedit, est mera J. Gronovii conjectura, quæ otiosum reddit verbum *comparanda*. Sensus autem est : Eaque æque utrisque necessaria judicanda est : *Propemodum* legitur in omnibus libris : Beierus scripsit « utrisque æque propemodum » : ei videtur *æque* facile excidere potuisse.

38. *Honore... civium fortasse*. Interpungendum plene esse non ante *fortasse*, ut nonnulli libri volunt, sed ante *honore*, monet post Balduinum Heusing. contra J. Gronovium. Gern. — *Honore*. Jungit Beier. cum *civium*; cui Degenii interpretatio, ut sit « magistratus dignitas ex munere publico », non satis apta videtur adjectis synonymis. Et hæc structura *honos civium*, minime latina nobis videtur : exempla Beierus afferre debuisset, qui ceterum in illis proferendis ita est copiosus.

39. *Tum ad cetera*. Gern. scribit *quum ad cetera*. Sensus enim, inquit, non est : hæc adjuvant modo ad cetera, modo ad amicitias comp. sed, præ ceteris rebus, ad amicitias comp. adjuvant.

IX. 1. *Qui inscribitur Lælius*. Et alii animadverterunt, et nos certo certius habemus, verba hæc addita ab aliquo grammatico fuisse. Facc. — Idem visum est Guilielmo. Indicia autem interpretamenti hæc sunt : Primum non *alio*, sed *eo* præcedente hæc sequi poterant, vide c. 17 extr. comp. c. 2, 6. Atque etiamsi, ut H. Wolfius, *eo* scripseris; Cicero tamen dedisset, « qui inscriptus est », vide Divin. II, 1, 1. Alienum enim librum solent citare sic : « qui inscribitur », ut Xenophontis in Cat. maj. c. 7 pr. Minus autem his opus erat, quum scripsisset : « Sed de amicitia ». Gern. — Beierus mallet *in illo* : idem observat : Ceterum de Amicitia nuper Annæi Senecæ fragm. repertum in cod. rescripto, edidit Niebuhr. Vid. Perill. cum Cic. oratt. pro Fonteio et pro C. Rabir. fragmm. Rom. 1820, p. 99 sqq. Sunt qui totam sententiam *Sed de amicitia... Lælius* suspectam habeant, quia in prooemio lib. II de Divin. ubi omnes libros suos enumerat, Cicero Lælium non nominavit, unde concludi oporteret, tum quum h. l. de officiis scriberet, nondum scriptum fuisse Lælium. Sed cum M. Heusing. conjici potest hunc librum de Amicitia nondum editum, tamen jam in Attici manibus esse, quum liber de Officiis scriberetur.

2. *Duo libri*. Memorat volumen de Gloria, etiam ad Atticum, Epist. XV, 27, XVI, 2, et Gellius, lib. XV, c. 6. Nunc quidem desideratur. Facc. — Ne hi quidem exstabant, quum liber se-

quandoquidem ea in rebus majoribus administrandis adjuvat plurimum.

Summa igitur et perfecta gloria constat ex tribus his : si diligit multitudo ; si fidem habet ; si cum admiratione quadam honore dignos putat. Hæc autem, si est simpliciter[3] breviterque dicendum, quibus rebus parantur[4] a singulis, eisdem fere a multitudine. Sed est alius quoque quidam[5] aditus ad multitudinem, ut in universorum animos tamquam influere possimus.

Ac primum de illis tribus, quæ ante dixi benivo- 32
lentiæ præcepta[6], videamus : quæ quidem beneficiis capitur maxime[7]; secundo autem loco benefica voluntate[8] benivolentia movetur, etiam si res forte non

cundus de Divinatione ederetur, adeoque et ipsi nuper admodum ad Atticum missi erant. M. Heus.

3. *Simpliciter*. Degen. cum M. Heus. interpretatur : « aperte, sine dissimulatione ». Immo *sine ambage*. Sic pro Arch. in orat. extr. jungitur « breviter simpliciterque ». Beier.

4. *Parantur*. Gern. cum Beiero scribit *pariuntur*.

5. *Alius quoque quidam*. Facciolatus *quidam* ejecit, ut soni suavitati consuleretur. Sed pronomen *quidam* hic latinum et elegans est non minus quam c. 11 pr. et Læl. c. 2, 6, « sed uterque alio quodam modo ». Ibid. 9, 29, Epist. VIII, 8, XII, 25 : « Fuit enim illud quoddam cæcum tempus servitutis ». Gern.

6. *Benivolentiæ præcepta*. Sc. comparandæ. In his autem non, ut Hottingerus argutiis a vero abductus opinatur, ipsa est benivolentia, sed beneficentia, benefica voluntas, et hujus ceterarumque virtutum opinio : quorum alterum altero patet latius. Atque hæc tertia ratio, quæ præcipitur, ut ad multitudinem maxime pertineat, non tamen idcirco a duabus illis reliquis debet sejungi, certe non cum Hottingero in not. p. 207-219, verbis, « benivolentiæ præcepta », deletis, sequentia *quæ quidem ... suppetit*, omissa cum uno libro Ald. voce *benivolentia*, transponi post *multitudine*. Fefellit enim virum D. illud, quod Cicero, postquam gloriæ partes enumeravit, easdem discernit ratione eorum, apud quos gloria quæritur, tum docet, quibus rationibus tria illa possint comparari. Præpositio autem *de* pro *ex* legitur etiam III, 7 extr. Gern.—Beierus vv. *quæ ante dixi* duas inter virgulas ponit, notatque h. l. in « de illis tribus », *de* valere *ex*, ut sæpe et *benivolentiæ*, i. e. ac *de benivolentia*.

7. *Beneficiis capitur maxime*. Vide Læl. c. 7 extr. « qui ob eam (amicitiam) maximam gloriam ceperit ». Tusc. IV, 31, 66. Forsitan scriptum fuit *cprtur*, i. e. *comparatur*. Gern. — Quidam codd. « capitur beneficiis maxime » : alii codd. et edd. vett. « capitur beneficiis maximis ».

8. *Benefica voluntate*. Gern. transponit « voluntate benefica ». Quia, in-

suppetit[9]. Vehementer autem amor multitudinis commovetur ipsa fama et opinione liberalitatis, beneficentiæ, justitiæ, fidei, omniumque earum virtutum, quæ pertinent ad mansuetudinem morum, ac facilitatem[10]. Etenim illud ipsum, quod honestum decorumque dicimus[11], quia per se nobis placet, animosque omnium natura et specie sua commovet, maximeque quasi perlucet[12] ex eis, quas commemoravi, virtutibus : idcirco illos, in quibus eas virtutes esse remur, a natura ipsa diligere cogimur. Atque hæ quidem causæ diligendi gravissimæ : possunt enim præterea nonnullæ esse leviores.

33 Fides autem[13] ut habeatur, duabus rebus effici potest : si existimabimur adepti conjunctam cum justitia prudentiam. Nam et iis fidem habemus[14], quos plus intelligere, quam nos, arbitramur, quosque et futura prospicere credimus, et quum res agatur, in discrimenque ventum sit, expedire rem[15], et consilium ex tempore capere posse. Hanc enim utilem omnes existimant[16] veramque prudentiam. Justis autem et fidis hominibus[17], id est, bonis, ita fides habetur, ut nulla

quit, opponitur *beneficiis* non *benefica voluntas*, sed *voluntas benefica*. Sequitur Beierus.

9. *Res forte non suppetit.* Quum per facultates tuas tibi non licet beneficia profundere.

10. *Ac facultatem.* Cod. Pith. « et ad facilitatem », et sic Gu. 1.

11. *Honestum decorumque dicimus.* Gu. quint. et omnes imprr. vett. apud J. F. Heusing. « decorum honestumque diximus », et Facc. dedit *diximus*.

12. *Maximeque quasi perlucet.* Facciol. delet copulam *que*, cum Vinar. sed male : pertinent enim hæc ad superiora. Gern.

13. *Fides autem*, etc. Fidem conciliat prudentiæ fama et justitiæ : sed justitia plus valet. Facc.

14. *Habemus.* Quædam edd. vett. *habebimus*.

15. *Exp. rem.* Difficultatibus superatis perficere id, quod velis. M. Heus.

16. *Omnes existimant.* Sic Goth. Vin. Gu. 5, ψ, imprr. vett. H. Wolf. Facc. Oliv. Ernest. Sed septem Manutii, Græv. Heusingerique codd. « utilem homines existimant ». Quod Gern. post J. F. Heus. prætulit, quia multi philosophi hanc artem politicam contemnebant, ita ut *omnes* falsum præberet sensum. Idem fecit Schütz. Nonnulli male « existimant utilem ».

17. *Et fidis hominibus, id est, bo-*

sit in his fraudis injuriæque suspicio. Itaque his salutem nostram, his fortunas, his liberos, rectissime committi arbitramur. Harum igitur duarum ad fidem 34 faciendam justitia plus pollet: quippe quum ea sine prudentia satis habeat auctoritatis, prudentia sine justitia nihil valeat[18] ad faciendam fidem. Quo enim quis versutior, et callidior est[19]; hoc invisior, et suspectior[20], detracta opinione probitatis[21]. Quamobrem intelligentiæ[22] justitia conjuncta, quantum volet, habebit ad faciendam fidem virium. Justitia sine prudentia multum poterit: sine justitia nihil valebit prudentia.

nis. *Et fidis* insititium est. Incidit enim in battologiam, qui dicit fidis haberi fidem. FACC. — Quamquam ex una justitia viri boni appellentur, vide cap. 11 pr. et I, 10 pr. solaque quæratur in fide habenda vis justitiæ; tamen, quod ea fides, quæ præstatur, fundamentum est justitiæ, non magis mirari oportet, quod *fidos* adjungit «justis hominibus», quam *fraudem* commemorari præter *injuriam*; vide III, 20 extr. «si viri boni nomen eripuerit, fidem, justitiamque detraxerit». Facciolatus atque Ernest. post Græv. omittunt vocem *viris* post *bonis*, quam restituit Heusingerus. Wyttenbach. Biblioth. crit. II, 8, p. 79, *et fidis* retinet, et laudat Fin. II, 35; orat. in Cæcilium, 7; Verr. I, 26; Philipp. XIV, 3, quibus locis vocabula *viri* et *hominis* conjunguntur. Ascensius hæc verba «id est bonis viris» excludit. Pearc. corrigit «justis autem, id est, bonis viris». GERN.—*Id est, bonis*. Ita in Part. Orat. cap. 22, justitia appellatur bonitas. De hac «viri boni» significatione vide lib. III, c. 15. FACC.

18. *Valeat*. Gu. omnes, tertio excepto, omnesque imprr. vett. apud J. F. Heusing. *valet*.—Cum toto hoc loco pæne verbo tenus concinit Plutarch. in Cat. Min. c. 44 extr. Ambros. II, cap. 9, p. 156: «Facit enim justitia, ut nullus fraudis sit metus; facit etiam prudentia, ut nulla sit erroris suspicio. Promptius tamen nos justo viro, quam prudenti, committimus». BEIER.

19. *Et callidior est*. Hæc omnia usque ad finem cap. spuria videntur Pearcio. Sed recte defendunt Heusingeri, atque eodem modo his paucis. *Quamobrem*, etc. Cicero comprehendit ea, quæ de fide disputaverat, quo usum eum esse diximus ad I, 26, 92, et 39, 141. Gottleberus male excusat Ciceronis senectutem, Facciolatum autem illorum locorum argutiorem judicem hic tacuisse miror. GERN.—Cujus tamen notam ex Oliv. vide n. 22.

20. *Hoc invisior et suspect*. Exemplo sit, ne de aliis dicam, Alcibiades, versutissimus mortalium. Quum classis Atheniensium ei commissa funderetur, non fortuna belli, sed fraude imperatoris cladem hanc se accepisse credebant: quia, ut Justinus ait, «omnia credibilia in Alcibiade vigor ingenii et morum luxuria faciebat». GRÆV.

21. *Detracta opin. probitatis*. Nisi probus esse aliis quoque videatur.

22. *Quamobrem intelligentia*, etc.

35 X. Sed, ne quis sit admiratus[1], cur, quum inter omnes philosophos constet, a meque ipso sæpe disputatum[2] sit, qui unam haberet, omnes habere virtutes, nunc ita sejungam, quasi possit quisquam, qui non idem prudens sit, justus esse: alia est illa, quum veritas ipsa limatur[3] in disputatione, subtilitas; alia, quum ad opinionem communem omnis accommodatur oratio. Quamobrem, ut vulgus, ita nos hoc loco loquimur, ut alios fortes[4], alios bonos viros[5], alios prudentes dicamus[6]. Popularibus enim verbis est agendum, et usitatis, quum loquimur[7] de opinione populari, idque eodem modo fecit Panætius. Sed ad propositum revertamur.

36 Erat igitur ex tribus, quæ ad gloriam pertinent[8],

Verba hæc usque ad *Sed* irrepsere ex libri margine in contextum, ut cuilibet consideranti patebit. Facc.

X. 1. *Ne quis sit admiratus.* Pearcio Saii conjectura placet, « ne quis sit admiraturus » : aliis minus placebit. Malo explicare, ne quis admiretur. M. Heus.

2. *A meque ipso disputatum.* In Tuscul. V, et in lib. III de Finibus, ubi limatius agit ad veritatem aperiendam. Facc.

3. *Limatur.* Gottleber. suspicatur Ambrosium, II, 9, legisse *elimatur*, ut Acad. IV, 20. Gern.—Quum vera a falsis secernuntur, et quasi lima poliuntur. M. Heus.—*Limatur in disputatione.* Id est, « ad vivum resecatur ab illis, qui hæc subtilius disserunt, fortasse vere, sed ad communem utilitatem parum », ut loquitur Læl. 5, 5; cf. Fin. V, 5, 12, ibique Gœrenz. Similiter Quintil. Inst. XI, p. 673, ed. Capperonner. « Et nos secundum communem potius loquendi consuetudinem, quam ipsam veritatis regulam, divisione hac utimur ». Beier.

4. *Alios fortes.* Verba *alios fortes*, nescio an e margine huc irrepserint. Distinguit Cicero hoc loco nonnisi justitiam a prudentia: neque erat, cur fortitudinem aut modestiam a reliquis virtutibus separatam excusaret; nisi videri debet omnem hanc litem dirimere voluisse, ut verba *hoc loco* latius pateant. Gern. — Cui Beierus assentitur.

5. *Bonos viros.* Bonos pro justis usurpat, ut paullo superius, itemque paullo post: « justitia est una, qua viri boni appellantur ». Facc.—Gern. quem Beierus sequitur, transp. *viros bonos.* Substantivum, inquit, medio loco positum non debet ad *fortes* et *prudentes* intelligi, sed ex more Cic. pertinet ad *bonos*.

6. *Dicamus.* Heusingero reponenti *esse dicamus* pro vulg. *dicamus*, assentior: sejungit enim hoc loco non tam nomina a singulis virtutibus ducta, quam ipsas virtutes. Gern.

7. *Loquimur.* Quædam edd. vett. *loquamur.*

8. *Pertinent.* Gern. scribit *pertine-*

hoc tertium, ut eum admiratione hominum, honore ab iis digni judicaremur. Admirantur igitur communiter illi quidem omnia, quæ magna, et præter opinionem suam animadverterunt; separatim autem in singulis, si perspiciunt nec opinata quædam[9] bona. Itaque eos viros suspiciunt, maximisque efferunt laudibus, in quibus existimant se excellentes quasdam et singulares virtutes perspicere[10]; despiciunt autem eos, et contemnunt, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil nervorum putant. Non enim omnes eos contemnunt, de quibus male existimant. Nam quos improbos, maledicos[11], fraudulentos putant, et ad faciendam injuriam instructos, eos contemnunt quidem neutiquam[12], sed de his male existimant. Quamobrem, ut ante dixi, contemnuntur ii, qui nec sibi, nec alteri, ut dicitur; in quibus nullus labor, nulla
industria, nulla cura est. Admiratione afficiuntur[13] ii, 37
qui anteire ceteros[14] virtute putantur, et quum omni

rent, h. e. pertinere diximus; sic quoque Schützius.

9. *Nec opinata quædam bona.* Gu. quint. et imprr. vett. «quædam bona nec opinata».

10. *Virtutes perspicere.* J. F. Heus. suaviorem duxit positum «perspicere virtutes», et Gern. eum sequutus est cum Beiero.

11. *Maledicos.* Pro *maledicos*, quod est in libris omnibus, Wyttenbach. Biblioth. crit. I, 3, p. 24, conjicit *maleficos*, ut legitur in imprr. vett. Lips. Quamquam idem vir doctus, ibid. II, 8, p. 82, testatur in tribus suis codd. legi *maledicos*. De aperta injuria maleficorum hic non loquitur. Garv.—Beierus *maleficos* edidit, hoc notato: *Malefici* dicuntur, quorum animi, imbuti malis artibus, ad facinora incenduntur. Vide Tusc. V, 20, 57; Sallust. Catil. cap. 14, 16.

12. *Eos contemnunt quidem neutiquam.* Hanc lectionem optimi libri confirmant. Garv.—Facc. cum Goth. Vin. et edd. vett. «eos haud contemnunt quidem, sed de iis».—Beierus duabus junctis lectt. scribit «eos haud contemnunt quidem: neutiquam, sed de his, etc.»

13. *Admiratione afficiuntur ii.* Id est, admiratio tribuitur iis. Alii (Lambin. et Heumann.) leg. *afficiunt*: quasi dicat admirationem efficiunt et movent. Sed minus recte. Facc.—Admiratio est in judicio posita et in honore, quem tribuimus. Garv. — Hoc loco passive sumitur.

14. *Anteire ceteros.* Gern. scribit *ceteris*. Sed *ceteros* est usitatius. Dativus leg. Tuscul. I, 3, «qui iis ætate anteibat». Et Schützius *ceteris* dedit.

carere dedecore, tum vero iis vitiis, quibus alii non facile possunt obsistere[15]. Nam et voluptates, blandissimæ dominæ, majores partes animi[16] a virtute detorquent; et dolorum quum admoventur faces, præter modum plerique exterrentur: vita, mors, divitiæ, paupertas[17], omnes homines vehementissime permovent. Quæ qui in utramque partem[18] excelso animo magno-

15. *Obsistere.* Quorum illecebras difficile est effugere.

16. *Majores partes animi.* Sic legitur in libris plerisque. Excepto Magont. omnes libri imprr. vett. et Asc. *sæpe majores*, etc. Adverbio opus videbatur correctori, ne animi semper detorqueri intelligerentur. Sed magis debebat illud offendere, quod omnium animi dicuntur a veritate detorqueri. Neque hanc offensionem levat vir doctus, qui in Biblioth. crit. I, 3, p. 24, corrigit « meliores partes animi ». Ibid. II, Præf. p. 10, mavult « molliores part. an. » Sive enim rationem et voluntatem cum Ernestio intelligas; hæc voluptatum vis certe non cadit in viros bonos: sive cogites alteram animi partem, in qua Cicero, Tuscul. II, 21, dicit esse « molle quiddam et demissum », huic tamen imperabit ratio, altera animi pars, eaque excelsior. Cum Pearcio scribendum est *majorem partem* (hominum), omissa voce *animi*, quæ in quatuor Anglic. post *virtute* legitur, in Vin. et imprr. vett. mutatur in *animæ*. Utraque forma est a correctoribus parum circumspicientibus, I, 20, 69. *Major pars*, ut pro Balbo, c. 8, 21, *magna pars*, sunt permulti, quibus egregie respondent verba « alii non possunt obsistere » et « plerique exterrentur ». Persequitur enim *ceterorum* genera, quibus sapientes excellunt. Quamquam non contemnenda est Chapmanni correctio « majoris partis animos ». Olim equidem suspicabar « majores partes animi » factum esse permutatione non casuum, sed numerorum, ex « majorem partem animorum », id est, hominum. Conf. c. 14 pr. Gern. — Hoc J. F. Heus. intp. ex eo quod dixit auctor supra cap. 28, « una pars (animorum) in appetitu posita est, altera in ratione », ita ut major pars animi sit hæc, quæ posita est in ratione, et quam hæc vitia a virtute detorquent. Et Schütz. J. F. Heusingero assentitur. Beierus Chapmanni conj. prætulit. Retinet vulgatam lectionem Gottleber. cui Cicero respicere videtur ad Platonis disciplinam, qui in Timæo (p. 46, E. 88, B. sq. Steph.) κινήσεις animi, τοῦ κρείττονος, i. e. « melioris animi partis », distinguit a mortali parte, eamque partem quam immortalem vocat, in capite collocat, alteram, quam mortalem, in ima parte corporis.

17. *Paupertas.* Quod in optimo MS Gu. 2 legitur *paupertates*, vehementer mihi arridet, propter numeri æquabilitatem, quæ Ciceroni non minus placet, quam pluralis substantivorum numerus. Vide I, 29, 103, *quietibus*; 32, 115, *nobilitates*; 36, 131, *tarditates*, et al. Varro apud Nonium in voce *paupertates*, et Seneca, Epist. 87 extr. *paupertates* dixerunt. Gern.

18. *In utramque partem excelso animo.* Qui neque cupiunt, neque metuunt, nec efferuntur, nec sese abjiciunt, sed rebus honestis totos se dedunt. Facc.

que despiciunt, quumque aliqua his ampla, et honesta res objecta est, totos[19] ad se convertit et rapit[20], tum quis[21] non admiretur splendorem pulchritudinemque virtutis?

XI. Ergo et hæc animi despicientia admirabilitatem 38
magnam facit; et maxime justitia (ex qua una virtute viri boni appellantur) mirifica quædam[1] multitudini videtur : nec injuria. Nemo enim justus esse potest, qui mortem, qui dolorem, qui exsilium, qui egestatem timet, aut qui ea, quæ his sunt contraria[2], æquitati anteponit[3]: maximeque admirantur eum, qui pecunia non movetur : quod in quo viro perspectum sit[4], hunc igni spectatum[5] arbitrantur. Itaque illa tria,

19. *Totos.* Ita ut perversæ cupiditates, quas modo dixit, nullam animi partem a virtute deterrere possint.

20. *Quumque...et rapit.* J. F. Heus. sustulit part. *que* cod. Vin. auctoritate, quasi contexta turbantem, et ante *tum quis* punctum maximum posuit : sed ceteri critici eam necessariam esse recte judicaverunt, et consensu libb. omnium tuiti sunt. — Admiramur enim non solum magnarum rerum gerendarum studium, sed etiam externarum rerum despicientiam; vid. I, 20 pr. Sunt igitur brevitatis et perspicuitatis et gravitatis causa magis quam negligentia locutiones confusæ fere hæ. Quæ qui despiciunt, et quos (eosdem) aliqua ampla et honesta res objecta totos ad se...rapit; eorum quis non admiretur virtutem? Altera locutio est : Quum qui tam excelso animo sunt, ut externas res despiciant, et ut eos aliqua ampla et honesta res, quum objecta est, totos ad se...rapiat; tum quis non admiretur splendorem...virtutis? Conf. I, 43, 153; II, 5, 16. Gern. — Cui Beierus assentitur.

21. *Tum quis.* Quis horum fortitudinem non admiretur? Adverte ἀνακόλουθον. Facc.

XI. 1. *Mirifica quædam.* Facciolatus scribit « mirifica quædam res », dicitque si *res* tollatur, et v. *quædam* tolli debere; sed Gernhard. Abest *res* a plerisque codicibus Victorii, Lang. Fabric. Græv. Ern. J. F. Heusing. et μ; neque in suam ruinam trahit pronomen. Vid. Epist. VIII, 8 : « cognovi præposteram quamdam festinationem tuam ». Læl. 13 extr. « qui virtutem duram et quasi ferream esse quamdam volunt ». Ita pronomen *quidam* latine pro *quodammodo* adhibetur. Cf. sup. cap. 9, 31.

2. *Nemo...timet.* Hanc sententiam laudat Lactant. VI, 17, 27, tueturque Bardili in Hauffii Philologia, III, pag. 43 sq. Beier.

3. *Æquitati anteponit.* Qui iniquum aliquid in se committit, ut mortem, dolorem, exsilium vitet. Facc.

4. *Perspectum sit.* Hoc scilicet, pecunia non moveri.

5. *Igni spectatum.* Hoc est probatum, velut aurum purissimum, quod

quæ proposita sunt[6] ad gloriam, omnia justitia conficit[7]: et benivolentiam, quod prodesse vult plurimis; et ob eamdem causam, fidem; et admirationem, quod eas res spernit et negligit, ad quas plerique inflammati aviditate rapiuntur.

39 Ac mea quidem sententia omnis ratio atque institutio vitæ[8] adjumenta hominum desiderat; in primisque, ut habeas[9], quibuscum possis familiares conferre sermones: quod est difficile, nisi speciem præ te boni viri feras. Ergo etiam solitario[10] homini atque in agro vitam agenti, opinio justitiæ necessaria est: eoque etiam magis[11], quod si eam[12] non habebunt, injusti habebuntur[13]; nullis præsidiis septi, multis afficientur

proverbii locum tenet. Al. legunt *dignum spectatu*: sed minus recte. Facc. — Platonem expressit, Republ. VI, pag. 108 ed. Bipont. τὸν δὲ πανταχοῦ ἀκήρατον ἐκβαίνοντα, ὥσπερ χρυσὸν ἐν πυρὶ βασανιζόμενον, στατέον ἄρχοντα. Gern.

6. *Proposita sunt.* Antea posita, necessaria esse dicta sunt. M. Heus. — Degenius interpretatur: « quæ necessaria sunt »; nos « quæ ante (31) dicta sunt ad gloriam pertinere ».

7. *Justitia conficit.* Int. fere omnia ducuntur et trahuntur a justitia.

8. *Institutio vitæ.* Nam ea omnia, quæ dixit, maxime pertinent ad eos, qui rempublicam capessere volunt, vitamque in magno theatro agere: dicit nunc ea adjumenta hominum quæ pariuntur justitia, ut longius ostendit, non minus necessaria esse iis vitam in secessu degentibus.

9. *Habeas... possis.* Gern. scribit *possit, habeat.* Sed Facciolatus cum Grævio et Ern. « ut habeas... possis ». Non negligenda est hæc prosopopœiæ species, cujus illustre exemplum est I, 37, 134, comp. ibid. 29 pr. — Præfert Beierus v. *quis* subaudiri, ut ad I, 121 pr. — Schützius cum Gern. facit.

10. *Solitario.* Solitarius homo, et qui in agro vitam agit, sumuntur hic pro duobus generibus hominum. Aliter non regerent verba pluralis numeri, quæ proxime sequuntur. Facc.

11. *Eoque etiam magis, quod*, etc. *Etiam* non est in Gronov. Goth. Vin. Gu. 5, imprr. vett. Ascens. et Facc. libro, qui eam omisit, nec magis videtur hæc particula necessaria, quam cap. 14, 48 et 51, ubi « eoque major » et « eoque magis » omnium librorum consensu legitur. Nolui tamen eam omittere, pro *adeo* positam, ut I, 26, 91, et præstantissimorum codicum fide confirmatam. Gern. — Beierus delet *etiam* hoc notato: At vero ibi non additur abl. *eo*. Cf. 63 pr. « eoque ... studiosius ». Læl. 1, 6, 2, 6.

12. *Quod si eam.* J. F. Heusing. e quibusdam libb. « quod eam si ».

13. *Injusti habebuntur; nullis.* Facc. qui scribit *et nullis*, notat: Plerique omittunt particulam *et*; utinam et duo verba « injusti habebun-

injuriis. Atque iis etiam, qui vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendisque negotiis implicantur, justitia ad rem gerendam necessaria est. Cujus tanta vis est, ut ne illi quidem, qui maleficio et scelere pascuntur, possint sine ulla particula[14] justitiæ vivere. Nam qui eorum cuipiam, qui una latrocinantur, furatur aliquid, aut eripit[15]; is sibi ne in[16] latrocinio quidem relinquit locum : ille autem, qui archipirata dicitur, nisi æquabiliter prædam dispertiat, aut interficiatur a sociis, aut relinquatur[17]. Quin etiam leges latronum esse dicuntur, quibus pareant, quas observent. Itaque propter æquabilem prædæ partitionem,

tur » quæ ipsi quoque Manutio supervacua visa sunt. Itaque ita legendum est : « quod si eam non habebunt, nullis præsidiis septi, multis afficientur injuriis ». — Absunt hæc duo cum particula ab uno libro Manutii : delenda ea censet Heumannus in parerg. crit. pag. 34, omisitque in versione Hottingerus. Recte. Amissa enim opinione justitiæ, extremum solitudinis sublatum præsidium est. Gern. — Gernh. voces « inj. hab. » uncis inclusit; Schützius omnino ea delevit.

14. *Sine ulla particula*. Facc. delet *ulla*, dicitque se malle *aliqua*, quod placet etiam J. F. Heusing. nullo libro favente, quasi præcedens negatio cum *nulla* coire non possit. Nihil hic est vitii. — Eos qui præferunt « sine aliqua particula justitiæ vivere » barbaros Beierus vocat.

15. *Aut eripit*. Al. « clam eripit ». Sed particula *clam* supervacua est, ut statim cognoscet, qui intelligit vim et significationem verbi *furor*. Facc.— Ineptum istud *clam* ante *eripit* impr. incert. retinuit. Reliqui, etiam Aldus, in suis libris non repererunt. Gern.

16. *Is sibi ne in latrocinio*. Multæ edd. vett. « is ne sibi in latrocinio ».— *In latrocinio*, est inter latrones. — In seqq. *dispartiat* e duobus libb. dederunt Heus. et Schütz.

17. *Nisi æquabiliter prædam dispertiat, aut interficiatur a sociis, aut relinquatur*. Gern. scribit « interficietur..... relinquetur ». — Facciolatus dedit « aut occidetur a sociis, aut relinquetur », cui favent cod. Vin. impr. vett. et Aldus. In Goth. Gu. 5, et quinque Ald. « occidatur... relinquatur ». In ψ editt. Ascens. Bald. et Oliv. « occiditur... relinquitur ». Reliqui libri fere omnes « interficiatur... relinquatur », quod placuit Heusingg. laud. lib. I, 44, « feritas sit quædam, etc. », ita ut sensus sit : Verendum ei est, ne aut interficiatur aut relinquatur. Sed tamen probabilior videtur « interficietur... relinquetur », quod servatum est in duobus Ald. et μ. Ita μονοειδία ista conjunctivorum cavetur et certa exsistit, ut par est, sententia, qualis illa est, « is sibi... relinquit », et paullo ante « afficientur injuriis ». Gern. — Cui Beierus assentitur.

et Bardylis[18] Illyrius latro, de quo est apud Theopompum[19], magnas opes habuit; et multo majores Viriatus[20] Lusitanus: cui quidem etiam exercitus nostri imperatoresque[21] cesserunt; quem C. Lælius, is, qui sapiens usurpatur[22], prætor fregit, et comminuit; ferocitatemque ejus ita repressit, ut facile bellum reliquis[23] traderet. Quum igitur tanta vis justitiæ sit, ut ea etiam latronum opes firmet atque augeat, quantam ejus vim inter leges et judicia, in constituta[24] republica fore putamus?

18. *Bardylis.* Alii, *Bargulus.* Facc. — Omnes libri scripti et impr. vett. corruptum habent latronis nomen. Langii libri quidam *Barguris*, al. *Bargulis.* In μ et ψ servatum est *Bardylis*, quod F. Fabricius conjectura assequutus est, Gronovius autem ex admonitione Henr. Valesii ad Peiresciana edidit. Quem sequuti videntur reliqui auctore Diodor. Sic. XVI pr. et Flor. II, 17, 5. Gern. — *Bardylis.* Conjectura non omnino inani, ut puto, adducor, ut suspicer, hunc esse Bardylin Illyrium, quem Theopompus opes regias apud Illyrios habuisse, atque a Philippo Amyntæ filio victum oppidis nominis Macedonici cessisse, in Philippicis scriptum reliquerit. Fabric. — Hujus Bardylis filiam Circennam uxorem duxit Pyrrhus, teste Plutarch. in ejus vita.

19. *Theopompum.* Gnidium, Isocratis auditorem, historiæ græcæ scriptorem, Herodoto et Thucydidi proximum. Vide Quintil. lib. X, 1, 74; Corn. Nep. Alcib. cap. 11.

20. *Viriatus.* Gern. *Viriathus.* Ita, inquit, Gu. 1, 2, impr. incert. Fabricius, Facciol. Heusing. qui videre jubet Drakenb. ad Sil. X, 220, et Oudendorp. ad Sueton. Galb. cap. 3. Magont. *Inriathus.* — *Viriatus.* Ex pastore venator, ex venatore latro, mox vasti quoque exercitus dux factus, tandem a proditoribus, Servilii Cæpionis consilio, interemptus est. Vide Florum, Paterculum, etc.

21. *Imperatoresque.* Vetilius prætor, et C. Plautius Hipsæus. Livius in Epit. 52, et Appian. Alex. de Bello Hisp. pag. 290. Facc. — In præcedentibus pleræque edd. vett. *etiam* omittunt apud Heusingeros.

22. *Usurpatur.* Vocari solet. Dicitur de iis quæ consuetudine potius fiunt, quam jure. M. Heus.

23. *Reliquis.* Q. Fabio Maximo et Q. Servilio Cæpioni. Facc. — Mire nominantur Q. Fabius, M. Æmilianus et Q. Servilianus. Sed Q. Fabius (Maximus Servilianus) proconsul a. 612 (non, ut Flor. l. c. refert, consul) rebus in Hispania prospere gestis labem imposuit, pace cum Viriatho æquis conditionibus facta. Viriathus a proditoribus, consilio (Q.) Servilii Cæpionis (non, cujus nomen in Flori edd. § 17 legitur, *Pompilii*; neque a. 610, ut Degen. scribit, sed 613), interemptus est: ut scribitur in Liv. Epit. 54 extr. Conf. Eutrop. IV, 7, 3 sqq. Beier.

24. *In constituta republica.* Alii codd. habent «et instituta reipubli-

XII. Mihi quidem non apud Medos[1] solum, ut ait Herodotus[2], sed etiam apud majores nostros, justitiæ fruendæ causa videntur olim bene morati reges constituti[3]. Nam quum premeretur inops[4] multitudo ab iis, qui majores opes habebant : ad unum aliquem confugiebant, virtute præstantem; qui quum prohiberet injuria tenuiores[5], æquitate constituenda summos cum infimis pari jure retinebat[6] : eademque constituendarum legum fuit causa, quæ regum. Jus enim semper quæsitum est[7] æquabile : neque enim aliter 42 esset jus. Id si ab uno justo et bono viro consequebantur, eo erant contenti. Quum id minus contingeret, leges sunt inventæ, quæ cum omnibus semper[8]

41

cæ ». Facc. — Beierus dedit « et in constituta rep. »

XII. 1. *Apud Medos.* Qui primi reges habuerunt. Diodorus Sic. lib. III; Strabo, lib. II. A. Man.

2. *Ut ait Herodotus,* lib. I, qui Clio inscribitur, quo loco ait, quibus artibus Dejoces ad regnum adspirarit. A. Manut.

3. *Bene morati reges constituti.* Int. ii qui bene morati erant, qui justitia excellebant, reges constituti.

4. *Inops.* Alii, *initio*. Facc. — Non pauci libri habent *in otio*. Duo libri Aldi, Magont. et Rom. 2, Græv. Ern. Heusingg. *inops*. J. F. Gronov. conjicit *innoxia*. Herodoti locus est de Dejoce, I, 96, cujus verbis πρότερον περιπίπτοντες ἀδίκοισι γνώμῃσι, τότε ἐπεί τε ἤκουσαν, ἄσμενοι ἐφοίτεον παρὰ τὸν Δηϊόκεα, convenientius legit impr. incert. « initio inops ». — Huic conj. non favet Beierus.

5. *Injuria tenuiores.* Pal. 1, Angl. tres, Vict. Gu. 1, « injuriam tenuiores », quod inde factum est, quia olim scribebatur « injuria tenuioris ». Hoc unice verum. J. F. Heus.

6. *Retinebat.* Gern. scribit *tenebat*. Ita, inquit, Gu. 2, Goth. ψ, imprr. incert. Heusing. ut c. 7, 24. Omnes MSS Langii, Lamb. Græv. novem libri Manut. *pertinebat*, al. *continebat*, ut unus Aldi et Ox. Muret. et Heus. patr. exemplo, cap. 23, 83. Facciol. cum vulg. « jure retinebat ». — Sed videtur facillime syllaba *re* retineri, absorberi potuisse ob præcedens *jure*, quod similiter desinebat.

7. *Quæsitum est.* Gern. transponit « est quæsitum » cum Heusing. e Gu. 1, 2, 3, 4, et ed. Gryph. ut paullo post ex iisdem Gu. lib. Tert. undec. Ald. et impr. Magont. « erant eo », pro vulg. « eo erant ». — Beierus dedit « erant eo », qui ceterum observat : Posidonio deberi etiam sequentia, cognoscitur e Senecæ l. c. « Postquam, surrepentibus vitiis in tyrannidem regna versa sunt, opus esse cœpit legibus ». — Sed vulgata « quæsitum est » nobis sonum suaviorem fundere videtur. Beierus tamen Gernhardum sequitur.

8. *Semper.* Goth. Vin. Gu. quint. atque omnes imprr. vett. excludunt

una atque eadem voce[9] loquerentur. Ergo hoc quidem perspicuum est, eos ad imperandum deligi solitos, quorum de justitia magna esset opinio multitudinis. Adjuncto vero[10], ut iidem etiam prudentes haberentur, nihil erat, quod homines his auctoribus non posse consequi se arbitrarentur. Omni igitur ratione colenda et retinenda justitia est, tum ipsa propter sese[11]; nam aliter justitia non esset: tum propter amplificationem honoris[12] et gloriæ. Sed ut pecuniæ non quærendæ solum ratio est, sed etiam collocandæ[13], quæ perpetuos sumptus suppeditet, nec solum necessarios, sed etiam liberales: sic gloria et quærenda, et collocanda

semper, quod tamen locum suum obtinet in libris antiquioribus. J. F. H.

9. *Eadem voce*. Quia leges carent ira et cupiditate. Facc.

10. *Adjuncto vero*. Quidam codd. et imprr. vett. addunt *hoc*, perperam. — *Adjuncto vero*. Locutio elegans et usitata. Sallust. lib. V Historiar. apud Priscianum: « At Lucullus, audito Marcium regem procos. per Lycaoniam cum tribus legionibus in Ciliciam tendere ». Et iterum: « Legiones Valerianæ comperto, lege Gabinia Bithyniam et Pontum consuli datum, missos esse ». Lang.

11. *Propter sese*. Gern. scribit *per sese*. *Propter sese*, quod probavit M. Heus. est, sine spe mercedis et fructus: quod optime cum sqq. *nam aliter* convenit.

12. *Amplificationem honoris*. Quæ ex ea trahitur.

13. *Sed etiam collocandæ*. Gern. sequente Beiero, scribit « verum etiam » cum Bald. J. Heus. et quatuor Gu. — *Collocandæ*. Recte collocanda pecunia est, ut fructus reddat non solum ad vitam nostram tuendam, sed etiam ad benefaciendum aliis. Facc. — Idem verbum transfertur ad gloriam, qua sic utendum est, ut conservetur et augeatur. Quod quum fiat rebus gerendis curandaque salute reipublicæ; non tamen id in verbo *collocare* continetur, ut vult J. F. Heusingerus, sed in voce *ratione* intelligitur. Quæ autem optima ratio sit, Cicero docet e Xenophontis Ἀπομνημ. I, 7 pr. et II, 6, 39. Deinde addit, quæ romanum adolescentem potissimum attingunt c. 13, 44: « Sed ut... tamen, etc. » Quibus verbis nostrum locum repetentibus orationem inde a « Quod si qui, etc. » tamquam parenthesi interruptam sic excipi censet Heusingerus, ut *Quamquam* spectet ad *sed... tamen*, cap. seq. Verum *Quamquam* ad superiora referendum est; quod Wyttenbachius in Biblioth. crit. I, 3, pag. 25, et II, 8, pag. 82, Chapmanni, qui pro *quamquam* suadet *quamobrem*, correctione rejecta, præclare monuit hoc sensu: Quamquam quid demus præcepta gloriæ quærendæ et collocandæ, quum vel Socratis præcepta sequi satis sit. Vide I, 9, 30, III, 22; Brut. cap. 4, 15. Gern. — In his omnibus Gernhardo Beier. assentitur.

ratione est[14]. Quamquam præclare Socrates, hanc 43
viam ad gloriam proximam, et quasi[15] compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis esset. Quod si qui simulatione, et inani ostentatione, et ficto non modo sermone, sed etiam vultu, stabilem se gloriam consequi posse rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tamquam flosculi, decidunt, nec simulatum potest quidquam esse diuturnum. Testes sunt permulti in utramque partem[16]; sed brevitatis causa, familia erimus contenti una[17]. Tib. enim Gracchus[18], P. F. tamdiu laudabitur, dum memoria rerum romanarum manebit: at ejus filii[19], nec vivi probabantur bonis[20], et mortui numerum[21] obtinent jure cæsorum.

XIII. Qui igitur adipisci veram gloriam[1] volet[2],

14. *Et collocanda ratione est.* Id est, honestus hujus et liberalis usus faciendus est, ita ut ipsa non imminuta, hic usus perpetuus esse possit.

15. *Hanc viam...quasi compendiariam.* Vide de hoc loco, et unde hauserit Cicero hoc apophthegma Socratis, disputantem P. Victorium, Var. Lect. lib. V, cap. 11. Græv. — Vide Xenoph. Memorab. I, 7, et II, 6.

16. *In utramque partem.* Et gloriam recte partam retineri, et malis artibus quæsitam citius amitti.

17. *Erimus contenti una.* J. F. Heusing. ex omnibus Gu. et Gryph. et Nonio, « contenti erimus una ».

18. *Tib. enim Gracchus.* Publii filius, consularis vir, triumphalis et censorius. Facc.

19. *Ejus filii.* Tiberius et Caius Gracchus, ex Cornelia, Scipionis Africani majoris filia, nati, qui legibus agrariis rempublicam perturbarunt. M. Heus.

20. *Bonis.* Nonnulli codd. *boni*; edd. vett. apud J. F. Heusing. vocem omittunt.

21. *Numerum obtinent*, etc. Caius et Tiberius, quia leges tulerunt reip. perniciosas, jure cæsi sunt. Alii leg. *nomen*, al. *locum*. Facc. — Vocem *numerum* post Grævium aliosque Heusingeri receperunt e plerisque suis, quibus aliquot libri Ald. Tert. Ascensius et Gronov. in Observatt. I, 4, pag. 45, suas ille quidem membranas atque edd. vett. sequutus, suffragantur. Ernm. — Aliis locis noster, qui primum populi partibus favebat, Gracchos laudavit; de qua re plura disserit Beier. quem vide.

XIII. 1. *Veram gloriam.* Gu. 1, 2, 5, edd. vett. « veram justitiæ gloriam ».

2. *Qui volet ... fungatur.* Facciolatus cum imprr. vett. « Qui volent ...fungantur ». Quæ videtur esse pronominis interpretatio. Ernm.

justitiæ fungatur officiis. Ea quæ essent, dictum est
44 libro superiore[3]. Sed, ut facillime, quales simus[4],
tales esse videamur, etsi in eo ipso vis maxima est,
ut simus ii[5], qui haberi velimus, tamen quædam præcepta danda sunt. Nam si quis ab ineunte ætate habet
causam celebritatis et nominis, aut a patre acceptam
(quod tibi, mi Cicero, arbitror contigisse), aut aliquo
casu atque[6] fortuna: in hunc oculi omnium conjiciuntur, atque in eum, quid agat, quemadmodum
vivat, inquiritur[7]; et, tamquam in clarissima luce versetur, ita nullum obscurum potest nec dictum ejus
45 esse, nec factum. Quorum autem prima ætas propter
humilitatem et obscuritatem in hominum ignoratione
versatur: hi simul ac juvenes esse cœperunt, magna
spectare, et ad ea rectis studiis debent contendere;
quod eo firmiore animo facient, quia non modo non

3. *Libro superiore*. Gern. scribit *in libro*. — Exclusa præpositione indicaretur, totum librum in hoc argumento versari. Vid. Gœrenz. ad Fin. I, 1, 2, pr. Quum autem non nisi particula libri respiciatur: non potuit non adhiberi præpositio. Beier.

4. *Quales simus*. Indicativus *simus*, non magis præferendus est, quam paullo post « qui haberi volumus ». Etenim conjunctivus in reliquis libris constanter utroque loco servatus adhibetur propterea, quod nec tempus definitum, nec certa persona est, sed utrumque patet latius. Cf. de Invent. II, 58: « ut non tales, quales ante habitæ sint, aut plerumque haberi soleant, habendæ videantur esse ». Secus statuendum est pro Rosc. Amer. c. 4: « Te quæso, ut, qualem te ... præbuisti, talem te impertias. Gern. — His assentitur Beierus ut infra in *inquiritur*. Tamen Schütz. dedit *sumus*.

5. *Ut simus ii, qui haberi velimus*. Id est vere simus ii, qui haberi volumus. Facc.

6. *Atque fortuna*. Goth. Gu. 3, 4, exc. Bedæ et Eybi *aut fortuna*. — *Aut aliquo casu atque fortuna*. Qualis fuit Æmilius Lepidus, « qui puer etiam tum progressus in aciem, hostem interemit, civem servavit: cujus tam memorabilis operis index est in Capitolio statua bullata, et incincta prætexta SC. posita. Iniquum enim putavit, eum honori nondum tempestivum videri, qui jam virtutis maturus fuisset ». Ut literis prodidit Valer. Max. III, 1, ubi vide plura eorum exempla, quos casus in adolescentia illustravit. Grævius.

7. *Inquiritur*. Rel. *anquiritur*. Vide quæ dixi ad I, 4, 11. Simul apparet, pro *in eum* male in nonnullis libris scriptis omnibusque impressis vett. legi *in eo*. Cf. Murena, cap. 21, 45: « scis tu illum ... inquirere in competitores »? Gern.

invidetur illi ætati, verum etiam favetur. Prima igitur est[8] adolescenti commendatio ad gloriam, si qua ex bellicis rebus comparari potest; in qua multi apud majores nostros exstiterunt: semper enim fere bella gerebantur. Tua autem ætas incidit in id bellum, cujus altera pars[9] sceleris nimium habuit; altera felicitatis parum. Quo tamen in bello, quum te Pompeius alæ alteri[10] præfecisset, magnam laudem et a summo viro, et ab exercitu consequebare equitando, jaculando, omni militari[11] labore tolerando. Atque ea quidem tua laus pariter cum republica cecidit. Mihi autem hæc oratio suscepta non de te est, sed de genere[12] toto. Quamobrem pergamus ad ea quæ restant.

Ut igitur in reliquis rebus multo majora sunt opera 46
animi, quam corporis: sic hæ res[13], quas persequimur ingenio ac ratione[14], graviores sunt, quam illæ,

8. *Prima igitur est.* Heusingerus e Gu. quatuor et edit. Gryph. restituit « Prima est igitur », eumque Gern. et Beier. sequuntur. — *Prima igitur*, etc. Cives omnes militiæ nomen dabant, nec poterant ad civiles honores contendere, nisi prius stipendia fecissent. Facc. — *Tua autem ætas.* Anno Pharsalico 705 (de quo vid. ad 6, 20, p. 42) Marcus erat sedecim annorum. Cf. 87, extr. Beier.

9. *Altera pars.* Cæsar felix, sed patriæ hostis; Pompeius parum felix. Facc.

10. *Alæ alteri.* Alteri ex duabus equitum alis, quæ legionem a lateribus muniebant. Facc. — *Præfectus alæ* dicebatur dux xxx turmarum equestrium (tot enim singulis legionibus additæ), quarum singulæ triginta equitum a tribus decurionibus, quorum primus etiam duobus reliquis præerat, sub uno vexillo regebantur. Vid. Manutius ad Epist. Fam. II, 17, cujus notam repetiit Schütz. in Lex. Cic. III, II, p. 302. Add. Lipsii de militia Rom. lib. II, dial. 10.

11. *Omni militari*, etc. Facciolatus, nescio qua auctoritate, dedit *omnique*. Gern.

12. *Genere toto*, universo genere juvenum, quibus præcepta danda sunt.

13. *Hæ res.* Retinui lectionem vulg. *hæ res*, i. e. hic eæ res, opp. *quam illæ*. Heusinger. ex Gu. 2, 3, edit. Magont. Lugd. 1527, et Gryph. dedit *eæ res*. Gern.

14. *Quas persequimur ingenio ac ratione.* Gern. quem Beier. sequitur, transponit: « quas ingenio ac rat. perseq. » Hunc, inquit, verborum ordinem restitui e MSS Gu. omnibus, edit. Gryph. et Bald. In excerptis Bedæ et Eybi legitur eodem loco *prosequimur*, ex quo Heusingerus con-

quas viribus. Prima igitur commendatio proficiscitur a modestia, tum[15] pietate in parentes, tum in suos benivolentia. Facillime autem et in optimam[16] partem cognoscuntur adolescentes, qui se ad claros et sapientes viros, bene consulentes reipublicæ, contulerunt : quibuscum si frequentes sunt[17], opinionem afferunt populo, eorum fore similes[18], quos sibi ipsi

jicit « quas ing. ac rat. consequimur ». At vero optima intelliguntur morum et artium studia, quæ afferunt adolescentibus commendationem. — Schützius Gernhardum sequitur. — *Graviores*. Gern. scribit *gratiores*, post Facc. qui notat : « Etiam lib. I dixit, fortitudinis officia majorem parere admirationem, sed justitiæ opera majorem gratiam et benivolentiam ». Oliveto, Ern. et J. F. Heusingero post H. Wolfium et Græv. qui Gruterum videtur sequutus esse, placet *graviores*. Non considerarunt autem, verba « majora sunt opera animi » significare, majus pretium statuitur animi operibus; *gratioresque* dici eas res, quæ propter suam excellentiam pluris fiunt, et gratiam facilius conciliant. Vide cap. 17, 60, 21, 72. Gern. — Fortasse tamen, utraque lectione juncta, hic etiam scribi possit *graviores* et *gratiores*. Ut hic, sic in orat. pro Murena, cap. 8, 19 sqq. describitur duplex ad rempublicam capessendam aditus. Beier.

15. *Tum pietate*, etc. Duæ particulæ *tum* inserviunt conjunctioni, non ordini. Ait igitur primam et potissimam commendationem oriri a modestia, ut pietate in parentes, et in suos benivolentia. Facc. — Ipse Gern. sequente Beiero, scribit : « a modestia cum pietate in parentes, in suos benivolentia ».

16. *Et in optimam*. Ald. Lamb. Fabric. omittunt *et*, non improbante M. Heus.

17. *Sunt*. Hoc Heus. ex suis Gu. omnibus aliisque libb. revocavit post Ern. alii *sint*.

18. *Eorum fore similes*. Pronomen *se*, quod vulgo post *fore* legitur, in Gu. 3 post *similes*, Ernest. fide cod. Goth. proscripsit. Accedit edit. Lugd. 1527, et Nonii auctoritas in voce *Opinio* edit. Plant. 1565 (nam in ejusdem Nonii nescio an cod. Gu. Heusingerus reperit « eorum se fore similes). In tali nexu *se* ne probam quidem est. Pendent enim hæc non e verbo *afferunt*, sed e voce *opinionem*. Opinantur autem, non *se*, sed *eos* (adolescentes) fore similes. *Eos* autem eleganter omittitur, ut Paradox. Præfat. extr. Ibid. I, 1, 6, et cap. 2 extr. « quid innumerabiles alii ? ... cogitasse (eos) putamus, quidquam in vita sibi expetendum, nisi, etc. » Gern. — At vero hic quidem, p. 462, in Addend. ad pag. 227, reponi jussit « fore se similes ». Verum tamen, sive hæc a sola voce *opinionem* pendent sive a rhesi *op. afferunt* : probari potest ellipsis pronominis *eos* exemplo Æmil. Probi I, 1, et ne reciproci quidem insolens ellipsis est. Vid. Goerenz. ad Fin. II, 15, 50, p. 198 sq. Matthiæ ad Cic. pro Rosc. A. 32, 61. Beier. — Qui v. *se* uncis inclusam exhibet.

delegerint[19] ad imitandum. P. Rutilii[20] adolescentiam 47
ad opinionem et innocentiæ, et juris scientiæ, P. Mucii[21] commendavit domus. Nam L. quidem[22] Crassus, quum esset admodum adolescens, non aliunde mutuatus est, sed sibi ipse[23] peperit maximam laudem ex illa accusatione nobili[24] et gloriosa. Et, qua[25] ætate qui exercentur[26], laude affici solent, ut de Demosthene accepimus[27], ea ætate L. Crassus ostendit, id se in foro

19. *Delegerint. Delegerunt* est in imprr. vett. omnibus atque edit. Ascens. Gryph. Bald. Reliqui et Nonius *delegerint*, quod non prorsus rejiciendum est, sed relinquit tamen dubitationem, aliquandone delecturi sint, an jam factus delectus sit. De Rutilio vid. III, 2, 10. Gern.

20. *P. Rutilii adolescentiam.* Recensetur etiam inter discipulos P. Mutii a Pomponio de Orig. Jur. § 40. Ejus adolescentia familiaritate delectatus est C. Lælius sapiens. Cic. in Læl. Oliv. — *P. Rutilii. Rufi*, quem *adolescentulum* Cic. in Bruto, c. 22, memorat. Idemque « admodum adolescens » dicitur in Læl. 27, 4, qui dialogus an. Urb. 624 habitus fingitur. Male igitur ibi Wetzel. et Ernestus in Indice histor. hunc Rutilium confundunt cum illo, qui jam ann. 616 tribunus pl. fuit. Rectius Schütz. in Ind. hist. p. 349, distinxit. Inter P. Mucii discipulos nominatur a Pomponio de Orig. jur. § 40. Beier.

21. *P. Mucii.* Hic est P. Mucius, P. F. Q. N. P. pron. Scævola. Consul fuit an. Urb. 620, collega L. Calpurnio Pisone Frugi. Pontificatum maximum adeptus est, occiso fratre P. Licinio Crasso Muciano ab Aristonico in Asia. Tertius ejus frater fuit Q. Mucius Scævola augur. Omnes tres æque virtutis ac integritatis ac jurisprudentiæ laudibus floruerunt. P. Mucium pontificem Cicero in Bruto vocat jurisconsultorum disertissimum. Sed et filius ejus Q. Mucius Scævola juris fuit peritissimus. Vide de his Muciis Rupertum ad Pompon. de Orig. Juris § 39 et 41. Oliv.

22. *L. quidem Crassus, quum esset adm. ad.* Ut Cicero testatur III de Orat. sed secundum auctorem Dialogi de causis corruptæ eloquentiæ, quem Quintilianum esse nullus dubito, cap. 34, annos natus unum et viginti, C. Carbonem accusavit et damnavit. Grævius.

23. *Sibi ipse.* Facciolatus cum Gu. 4, Lipss. et Lugd. 1527, edidit « sibi ipsi peperit. Quod facile intelligitur, quam sit ineptum. *Ipse* opponitur *aliis* in voce *aliunde*. Gern.

24. *Accusatione nobili.* Accusavit C. Carbonem admodum adolescens, ut est in. Bruto, cap. 43, et Orat. cap. 20, et obtinuit, ut damnaretur. Facc.

25. *Et, qua.* Hoc est ab Aldo 1561: Goth. Ven. Ox. omnes. Rom. Ven. tres Gu. omnes Gryph. Camerar. imprr. vett. *ex qua.*

26. *Exercentur*, in schola declamando.

27. *Ut de Demosthene accepimus, ea ætate.* Ruhnken. dicit vv. *ea ætate* transponenda esse ante vv. *ut de Dem. acc.* « Crassus, inquit Vir Do ad Rut. Lup. p. 108, cum Demosthene

optime jam facere[28], quod etiam tum[29] poterat domi cum laude meditari[30].

48 XIV. Sed quum duplex ratio sit orationis, quarum in altera sermo sit, in altera contentio; non est id quidem dubium, quin contentio orationis[1] majorem vim habeat ad gloriam[2] (ea est enim, quam eloquentiam dicimus); sed tamen difficile dictu est, quantopere conciliet animos hominum[3] comitas affabilitasque

comparatur, quod eadem, qua Demosthenes, ætate eloquentiam protulit in forum. Nam Crassus Carbonem accusavit anno ætatis XIX, vel XXI, Demosthenes tutores suos anno XVIII». Ex his satis patet, turbatum verborum ordinem ita restituendum esse: «et, qua ætate qui exercentur, laude affici solent, ea ætate, ut de Demosthene accepimus, L. Crassus ostendit, etc.» GERN. — Addit Gern. qui post J. F. Heus. edidit «ut Demosthenem accepimus, ea ætate»: Assentitur Ruhnkenio Wyttenbachius in Biblioth. crit. I, 3, p. 26, et Reizius in margine. Sed Heusingerus e Gu. 1, excerpt. Pith. et edit. Gryph. recepit «ut Demosthenem accepimus» (fecisse), quod est exquisitius. Schol. Gu. adnotationi præfigit *Ut Demost.* ut I, 6, 18. Verr. III, 18: «Eriphylam accepimus in fabulis ea cupiditate, ut, etc.» Add. Læl. c. 2, 7. Hæc lectio Hottingero in not. p. 220, sic probata est, ut eam etiam Ruhnkenio tribueret. Eamdem lectionem Camerarius reperit in Venetis et Græv. in V. L. ait: Pith. exc. et vulgg. «ut Demosthenem accepimus». Beierus, quia Plutarchus scribit non multam laudem accepisse Demosthenem ex hac causa quam adolescens oravit, mavult interpretari comparationem ab auctore esse constitutam inter meditationes quibus Crassus et Demosthenes se dediderunt. — Schützius Ruhnkenium sequutus est.

28. *Facere*. Plerique leg. «præmeditatum facere»; sed vox *præmeditatum* jam explosa a criticis est. FACC.

29. *Etiam tum*. Etiam Grævio et Pearc. suspectum fuit; sed valet, ut intp. M. Heus. «eo adhuc tempore».

30. *Meditari*. Id est, exercere se domi et in umbra. Quint. Inst. IV, 2, 29. FACC.

XIV. 1. *Orationis majorem vim habeat*, etc. Vict. cum Ven. quart. «orationis plurimum valeat, et majorem, etc.» Lambin. cum Oxon. quibusdam et aliis «plus (al. *plurimum*) possit, et majorem vim, etc.»

2. *Ad gloriam*. Lamb. «et ad gratiam, et ad gloriam».

3. *Animos hominum*. Et in meo codice et in editione prima deest *hominum*. FACC. — Omiserunt hanc vocem etiam Pearc. et Heusinger. Vide Orat. I, 14, 60: «num admoveri possit oratio ad sensus animorum atque motus vel inflammandos, etc.» Ut intelligerentur *homines*, scripsisset «hominum animos»: ut animi, non corpora hominum, «animos hominum». Quum autem vellet benivolentiam animorum cogitari, satius erat omittere genitivum, simul cavere, ne verba «animos hominum comitas» structuræ afferrent aliquid ambigui. GERN. — Beier. Gernhardum sequitur,

sermonis. Exstant epistolæ, et Philippi ad Alexandrum[4], et Antipatri[5] ad Cassandrum, et Antigoni[6] ad Philippum filium[7], trium prudentissimorum[8] (sic enim accepimus), quibus præcipiunt, ut oratione benigna multitudinis animos ad benivolentiam alliciant, militesque blande appellando[9] deleniant. Quæ autem in

addens tamen eum argutari de positu verborum.

4. *Alexandrum*, Magnum, filium.

5. *Antipatri*. Qui cum Alexandro militavit, et postea rex Macedoniæ fuit, regnumque ad Cassandrum filium transtulit. Facc.

6. *Antigoni*. Hic quoque sub Alexandro meruit, et post ejusdem mortem in Asia regnavit. Filium habuit non solum Philippum, sed etiam Demetrium Poliorcetem, de quibus vide Plut. in Demetrio. — Antigonum eum, cujus hic laudantur epistolæ, Chapmann. vult esse Antigoni Gonatæ nepotem, Demetrii fratrem minorem (immo patruelis fuit, ἀνεψιός. Vid. Plutarch. in Æmil. c. 8 pr. Pausanias, VII, p. 2; II, 8, 3; VI, 16, 3, VIII, c. 9 extr.), qui Doson et Soter nuncupatus, Philippo, Demetrii filio, parvulo admodum, tutor datus est, et in matrimonium accepta matre pupilli, fuit ipsi vitricus et in regno Macedoniæ antecessor (Polyb. II, p. 183; Justin. XXVIII, 3). Beier.

7. *Ad Philippum filium*. Gern. *filium* uncis includit, notatque: Quod vulgo addunt *filium*, id proscribendum puto fide cod. Gu. 1, ψ, et impressorum vett. fere omnium, additum illud quidem a glossatore, metuente, ne quis Philippum intelligeret alium, quam Antigoni filium. Antigonum autem cum J. M. Heusingero defendo esse Asiæ regem, de quo Plutarchus in Demetrio, p. 889, edit. Franc. et in Apophthegm. pag. 182: Πρὸς δὲ τὸν υἱὸν Φίλιππον πυθόμενον, πλειόνων παρόντων, πότε μέλλομεν ἀναζευγνύναι; Τί δέδοικας, εἶπε, μὴ μόνος τῆς σάλπιγγος οὐκ ἀκούσῃς; Schütz. et Beier. *filium* delevere: præterea Schütz. addere maluit *virorum* post *prudentissimorum*.

8. *Trium prudentissimorum*, etc. Necessarium esse, quod Gu. 2 addit, *virorum*, judicat Erfurdtius cum Hottingero in nota ad h. l. p. 222, qui ut in versione verba « sic enim accepimus » omisit, ita et hæc, et illos genitivos habet pro spuriis: illorum prudentiam enim Ciceronem non accepisse, sed ex literis ipsis cognovisse. Intelligitur vero ea prudentia, quam illi in consiliis et factis et vita sua reliqua exprompserunt, quæ ut fuit maxima, ita eorum præcepta non poterant non plurimum in hac re apud Marcum filium habere auctoritatis. Quamquam, nisi vera est Hottingeri correctio, nescio an fuerit sic scriptum: « Exstant epistolæ trium prudentissimorum (sic enim accepimus) et Philippi ...... ad Philippum, quibus præcipiunt, etc. » Ita vox *virorum* minus desideratur. Gern. — Hanc conj. damnat Beierus.

9. *Blande appellando*. Sic editur ex Lamb. et Gulielmi libris: nec muto, licet in Gu. omnibusque imprr. vett. « blando sermone appellando » reperiatur. J. F. Heus.

multitudine cum contentione habetur oratio, ea sæpe universam excitat[10]. Magna est enim admiratio copiose sapienterque dicentis : quem qui audiunt, intelligere etiam[11], et sapere plus, quam ceteros, arbitrantur.
49 Si vero inest in oratione mista modestiæ gravitas, nil[12] admirabilius fieri potest; eoque magis, si ea sunt in adolescente. Sed, quum sint plura[13] causarum genera, quæ eloquentiam desiderant, multique in nostra republica adolescentes et apud judices, et apud senatum dicendo laudem assequuti sint; maxima admiratio[14] est in judiciis : quorum ratio duplex est. Nam ex accusatione et defensione constat : quarum etsi laudabilior est defensio, tamen etiam accusatio probata persæpe est[15]. Dixi paullo ante de Crasso. Idem fecit adolescens M. Antonius[16]. Etiam P. Sulpicii eloquentiam accusatio illustravit, quum seditiosum et inutilem
50 civem, C. Norbanum, in judicium vocavit. Sed hoc quidem non est sæpe faciendum, nec umquam, nisi aut reipublicæ causa, ut ii[17], quos ante dixi; aut ul-

10. *Universam excitat.* Id est, universam multitudinem excitat ad plausum. Alii addunt *gloriam* : quæ vox est etiam in editione prima. Sed facile apparet, inductam fuisse a malo interprete. Facc.

11. *Intelligere etiam*, etc. Garvium hæc referentem ad eos, qui audiunt, quum pertinent ad « sapienter dicentem », notat Hottingerus, pag. 224. Gern.

12. *Nil.* Pro *nil*, Heus. e MSS Gu. et edit. Gryph. restituit *nihil;* idem fecit Schütz.

13. *Quum sint plura.* Al. « quum sint plurima ». Sunt autem hæc in curia, et in foro; sed illa admirationem maximam pariunt, quæ ad forum pertinent. Facc.

14. *Maxima admiratio est.* Gernhardus, sequente Beiero, transponit « maxima est admiratio in judiciis : quorum, etc. »

15. *Tamen etiam accusatio probata persæpe est.* Vid. Epist. ad Atticum, lib. IX, 21 extr. Plutarch. in Lucullo.

16. *M. Antonius.* Triumviri avus, qui adolescens accusavit Cn. Papirium Carbonem. Facc. — Vid. Brut. cap. 43.

17. *Ut ii ... ulciscendi.* Hæc in omnibus libris desunt, præter unum codicem Langii, a quo sunt restituta. Reipublicæ autem causa non Luculli Servilium, sed Carbonem Crassus et Antonius, et Norbanum Sulpicius accusarunt. Gern.

ciscendi, ut duo Luculli[18]; aut patrocinio[19], ut nos pro Siculis[20]; pro Sardis, pro M. Albucio Julius[21]. In accusando etiam M'. Aquillio[22] L. Fufii[23] cognita industria est. Semel igitur, aut non sæpe certe. Sin erit,

18. *Duo Luculli.* L. et M. admodum adolescentes paternas inimicitias magna cum gloria sunt persequuti, et patris sui accusatorem Servilium augurem accusarunt. Cic. et Plut. in Lucullo. Fabric. Acad. II, 1, 1.

19. *Patrocinio.* Al. *patrocinii*, quod tuentur Gu. tres priores, septem Aldi, Victorius, Ald. Balduin. Lamb. Fabric. Wolf. Pearc. Heusing. et Schützius.

20. *Nos pro Siculis.* Contra Verrem. Facc.

21. *Pro Sardis, pro M. Albucio Julius.* Julii Cæsaris Strabonis oratio pro Sardis, qua Titum Albucium accusavit, memoratur a Suetonio in Cæsaris vita, cap. 55. De accusatione hac meminit Cicero etiam in oratione in Pisonem et in Bruto, cap. 26. Librarii hunc in locum inseruerunt *Albucii* nomen ex interpretum adnotationibus. Facc. — Sequutus videtur Facciolatus cum Heusingero patr. Lambinum, qui verba pro *M. Albucio*, in nullo codice omissa, excludit. Ex locis a Facciolato memoratis et orat. in Pison. c. 38, de provinciis consul. c. 7, apparet, non Marcum, sed Titum Albucium intelligi; eumque accusavit a Sardis rogatus C. Julius, ut Cicero Verrem pro Siculis; vid. Divin. in Cæcil. c. 19, 63. Itaque suspicor scriptum fuisse id, quod Balduinus me docuit conjecisse etiam Steph. Doletum in Commentar. linguæ latinæ, « pro Sardis in T. Albucium Julius ». *NT* abiit in *M*, cui ad similitudinem superiorum « pro Sic. pro S. » eadem particula mutato casu præposita est. Idem C. Langius dubitat, « contra Albucium » corrigat, an *in Alb.* Illud placuit Aldo Manut. Corrad. J. F. Heusing. Wyttenbachio in Biblioth. crit. II, 8, pag. 80, et Hottingero in vers. Sigonius vult « pro Sardis vero Albucium Julius Cæsar » sc. accusavit. Eodem sensu *J. H. Withof. kritische Anmerkungen über Horaz und andere Röm. Schriftst. von Grimm. Düsseld.* 1798, IV *St.* p. 147, et seq. conjicit « pro Sardis gravis Albucio Julius ». Cui assentitur Erfurdtius in notis manusc. Grævius « pro Sardis Julius, Mucius Albucium ». Pearcius « pro Sardis Mucius et Julius ». Hinc juncta Manutii Pearciique lectione J. H. Brem. ad Fin. I, 3, corrigit, « pro Sardis contra Albucium Mucius et Julius ». Mucius augur autem, ut T. Albucium de repetundis accusaverit, vide Brut. c. 26 extr. non id tamen fecit causa patrocinii, nec rogatus a Sardis, ut Julius. Gern. — Schützius « pro Sardis in T. Albucium Julius », quod J. V. L. quoque necessario scribendum esse dicit. — Præfert « pro Sardis in proprætore Albucio Julius » Beierus, cui videtur compendium *propr.* hic ansam dedisse, ut alibi; similisque corruptelæ nonnulla affert exempla.

22. *M'. Aquilio.* De hac ipsa accusatione loquitur Cic. in Bruto, c. 62. Facc. — De hujus nominis scriptura plura annotavit Gern. ad III, 15 pr. — De re vid. annotat. Corradi ad Brut. c. 62.

23. *L. Fufii cognita.* Alii peccant *L. Fusii cognita.*

cui[24] faciendum sit sæpius, reipublicæ tribuat hoc muneris, cujus inimicos ulcisci sæpius[25], non est reprehendendum. Modus tamen adsit. Duri enim hominis, vel potius vix hominis videtur, periculum capitis inferre multis. Id quum periculosum ipsi est, tum etiam sordidum ad famam, committere, ut accusator nominere[26]: quod contigit M. Bruto[27], summo genere[28] nato, illius filio, qui juris civilis in primis
51 peritus fuit. Atque etiam hoc præceptum officii diligenter tenendum est, ne quem umquam innocentem judicio capitis arcessas[29]: id enim sine scelere fieri nullo pacto potest. Nam quid est tam inhumanum, quam eloquentiam, a natura ad salutem hominum, et ad conservationem datam, ad bonorum pestem perniciemque convertere? Nec tamen, ut hoc fugiendum est, ita habendum[30] est religioni, nocentem aliquando,

24. *Sin erit, cui.* Gern. scribit: *Sin erit, cur,* cum Facciolato, et post *tribuatur,* pro *tribuat.* — Atque hæc ratio probatur J. M. Heusingero et Hotting. in vers. Non quæritur enim, an aliquis sit, qui sæpius accusare debeat, sed an causa justa sit accusandi: quamquam una excusabit salus reipublicæ. Gern. — Nobis lectio *cui* omnino eumdem sensum præbere videtur; nam valet: si vero quis in id ob temporum vel ob personarum rationem incidat, ut ipsi causa sit, cur hoc faciat sæpius.

25. *Sæpius* Gu. 4, 5, omnes imprr. vett. apud J. F. Heus. *sæpe.*

26. *Nominere.* Hoc, quod Facc. recepit pro vulg. *nominetur,* octo Manutii, uno Tertii, et optimis Heusingg. codd. confirmatur, quamquam alii *nomineris,* ut ψ, alii *nominare.* Gern.

27. *M. Bruto.* De quo locus insignis est in eamdem sententiam in Bruto de claris Oratoribus, cap. 34. Grævius.

28. *Summo genere.* Ex gente Junia, vetustis Romæ regibus sanguine juncta: sed hic fuit dedecori generi suo, quod esset accusator vehemens et molestus; atque in hoc sibi placeret, alienus ceteroquin a gerenda rep. Facc.

29. *Judicio capitis arcessas.* In prima editione leg. « in judicio capitis arcessas », sed satis apparet duo hæc verba addita fuisse ab aliquo interprete. Alii remedium attulere deleta particula *in;* sed legere malim « innocentem capitis arcessas ». Facc.—Idem suadet optimis libris usus C. Langius et Heumannus, ut pro Dejot. c. 11, 30: « non ficto crimine insectari, non expetere vitam, non capitis arcessere ». Plerique libri « judicio capitis ». — Gern. v. *judicio* uncis inclusit, in quo a Beiero reprehenditur.

30. *Ita habendum.* Sic Goth. Vin. Gryph. Gron. Pearc. et vulg. Gern.

modo ne nefarium[31], impiumque defendere. Vult hoc multitudo[32], patitur consuetudo, fert etiam humanitas. Judicis est, semper in causis verum sequi; patroni, nonnumquam verisimile, etiam si minus sit[33] verum, defendere : quod scribere (præsertim quum de philosophia scriberem) non auderem, nisi idem placeret gravissimo stoicorum Panætio. Maxime autem et gloria paritur[34] et gratia defensionibus, eoque major[35], si quando accidit, ut ei subveniatur, qui potentis alicujus opibus circumveniri, urgerique videatur[36]. Ut nos et sæpe alias, et adolescentes, contra L. Sullæ dominantis opes pro S. Roscio Amerino fecimus : quæ, ut scis, exstat oratio.

XV. Sed expositis[1] adolescentium officiis, quæ va- 52
leant ad gloriam adipiscendam, deinceps de beneficentia ac liberalitate[2] dicendum est. Cujus est ratio duplex. Nam aut opera benigne fit[3] indigentibus, aut

post J. F. Heus. dedit *item*, sequente Beiero, quod est in antiquis libris C. Langii, Tertii, Grævii 1, Gu. 2, et Nonio in voce *Nocens* et *Religio*. — Præterea J. F. Heus. e suis libb. transp. *est habendum*.

31. *Modo ne nefarium*. Ex eodem Nonio Fabricius reposuit « modo ne nefarium », quod Grævius reperit in suo pervetusto. Adde μ et ψ, qui assentiuntur cum plerisque editoribus recentt. et Facciol. Reliqui « noc. aliquando et nefarium ». Gern.

32. *Multitudo*. Quæ gaudet, esse humanæ infirmitatis patronos. Facc.

33. *Etiam si minus sit verum*. Religiosior est Quintilianus, qui lib. II, 15, 52, et lib. XII, 1, minus licentiæ oratoribus concedit. M. Heus.

34. *Paritur*. Goth. Exc. Bedæ, Gu. sec. *paratus*. Eyb. *parantur*.

35. *Eoque major*. E MS. Gu. impr. Magont. et Colon. Ern. laudat *eaque major*.

36. *Urgerique videatur*. Gu. quint. imprr. vett. apud J. F. Heusingerum *videtur*.

XV. 1. *Sed expositis*, etc. Jam potissimam gloriæ parandæ rationem, quam proposuit in cap. 5 (c. 9), explicare aggreditur. Facc.

3. *Ac liberalitate*. Gern. *ac de liberalitate*. Malui, inquit, cum Heusingero interponere præpositionem *de*, quæ in Gu. 1, 2 (3 *et de*) et 5. Eamdem præpositionem recipere debebam I, 14 pr. Distinguendas enim has benignitatis partes esse, et hoc caput cum sequente docet, et I, 14, 42 : « non benefici neque liberales esse voluerunt ».

3. *Benigne fit*. Beneficentiam exercemus erga indigentes, aut operam eis præbendo, aut pecuniam dando.

pecunia. Facilior est hæc posterior, locupleti præsertim : sed illa lautior[4] ac splendidior, et viro forti claroque dignior. Quamquam enim in utroque inest gratificandi liberalis voluntas, tamen altera ex arca, altera ex virtute depromitur; largitioque, quæ fit ex re familiari, fontem ipsum benignitatis exhaurit. Ita benignitate benignitas tollitur[5] : qua quo in plures
53 usus sis, eo minus in multos uti possis. At qui opera, id est, virtute et industria, benefici et liberales erunt, primum, quo pluribus profuerint, eo plures ad benigne faciendum adjutores[6] habebunt : deinde consuetudine beneficentiæ paratiores erunt, et tamquam exercitatiores ad bene de multis promerendum. Præclare epistola[7] quadam Alexandrum filium Philippus accusat, quod largitione benivolentiam Macedonum consectetur. « Quæ te, malum[8], inquit, ratio in istam spem induxit, ut eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupisses? An tu id agis, ut Mace-

4. *Lautior.* Heumann. cum Chapmanno malit *latior.* — Vocem *lautior* Degenio, originem a verbo *lavendi* et veriloquium urgenti, videtur significare i. q. *purior;* F. Heusingero autem, Pareum in Lex. crit. s. v. arbitrum adhibenti, i. q. « copiosior et ad bene de multis promerendum magis idonea ». Conferri potest 66 extr. et 54 pr. ubi tamen eodem sensu dici videtur *honestior.* Erit igitur fere i. e. « cum majori dignitate conjuncta, quippe virtuti propior ». Beier.

5. *Benignitate benignitas tollitur.* Non benignitas ipsa ex animo, sed ex facto tollitur, quia tollitur fundus unde beneficus esse possis.

6. *Adjutores.* Dum eos benevolos sibi reddiderunt, eorum studiis adjuti pluribus benefacere poterunt. M. Heus.

7. *Epistola quadam.* Gern. qui scribit *in epist. q.* notat : Præpositionem e MSS Heusingg. omnibus restitui. Neque probabile est, omnem hanc epistolam versatam esse in accusando. Assentiuntur Heusingeri, teste adhibito Valer. Max. VII, 2, 10, extrem. « Age, Philippi quam probabilis epistola, in qua Alexandrum, etc. »

8. *Quæ te, malum, inquit, ratio in istam spem ind.* etc. Alii quum non intelligerent vim interjectionis *malum*, corruperunt scribentes aut « Quod te malum, inq. rationis », aut, « Quæ te, mala, inq. » Vox *malum* cum indignatione quum apud Comicos frequens est, tum similiter apud nostrum legitur Philipp. X, cap. 9, 18 : « Quæ (malum!) est ista ratio ». Ibid. I, cap. 6, 15, et locis aliis. Gern.

dones non te regem suum, sed ministrum et præbitorem sperent fore[9]?» Bene ministrum et præbitorem; quia sordidum[10] regi: melius etiam, quod largitionem, corruptelam esse dixit[11]. Fit enim deterior[12], qui accipit, atque ad idem semper exspectandum paratior. Hoc ille filio; sed præceptum putemus omnibus.

Quamobrem id quidem non dubium est, quin illa 54 benignitas, quæ constet[13] ex opera et industria, et honestior sit, et latius pateat, et possit prodesse pluribus; nonnumquam tamen est largiendum, nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum est[14], et sæpe idoneis[15] hominibus indigentibus de re familiari impertiendum[16]; sed diligenter[17] atque moderate.

9. *Sperent fore*. Al. *putent*. Facc. — Dedit Vir D. quod verum est, et in suis libris repertum ab Anemœcio, Grutero, Grævio. Gern.

10. *Quia sordidum*. Al. « quo quid sordidius? » Facc. — Ascens. et H. Wolf. verba « Bene ministrum et præbitorem » omittit, quæ vv. firmantur optimis codd. Anemœcii, Gruteri, Grævii. Facciolatus, nescio qua auctoritate, dedit « Bene quod minist. et pr. » Otiosum est *quod*. Gern. — Bene dixit Philippus « ministrum et præbitorem », quia sordidum est regi tali munere fungi.

11. *Esse dixit*. Facc. cum multis codd. et edd. vett. *dixit esse*, et sic Beier. auctore Gœrenzio ad Acad. I, 1, 2.

12. *Deterior*. Qui semel pecuniam dono accepit, alterius doni cupidus fit, et jam est ad corruptelam paratior. Nonius in voce *Exspectare* male « Est enim deterior ». Gern.

13. *Quæ constet ex opera*. Hoc Ern. sine libris, ut solet, reposuit: nam omnes codd. et edd. præter Anem. 1541, habent *constat*.

14. *Repudiandum est*. *Est* cum Lactant. VI, 11, 10, et Beda, sustulit Beierus, invito Heusingero.

15. *Idoneis hominibus indigentibus*. J. F. Heus. vocem *indigentibus*, quæ abest a Gu. tert. exc. Bed. et Eybi sustulit quasi glossam redolentem: sed eum ita temere grassantem ceteri non sequuti sunt. — *Idoneis*. Id est, probis hominibus, quibus recte datur: non ut interpretatur Lactantius, lib. VI, c. 2: « Quid est, inquit, idoneis? Nempe iis, qui restituere, ac referre gratiam possint ». Facc. — Lactantii ævo, inquit J. F. Gronov. in Observv. IV, 9, p. 610, *idonei* homines haud alii fere, quam boni et locupletes dicebantur. — Sed « idoneos indigentes » omnino dicit Cicero probos homines paupertate oppressos: ut in Cæcilium, c. 3, et Cornificium, lib. IV, ad Herennium. Gern.

16. *Impertiendum*. Nonnulli codd. et libb. *impartiendum*. Vid. supra I, 42.

17. *Sed diligenter*. Recte Langius exponit *diligenter* cum dilectu, non cuivis promiscue, sed dignis et idoneis indigentibus. Sic « diligenter scribere »

Multi enim patrimonia effuderunt, inconsulte largiendo. Quid autem est stultius[18], quam quod libenter facias, curare[19], ut id diutius facere non possis? Atque etiam sequuntur largitionem rapinæ[20]. Quum enim dando egere cœperint[21], alienis bonis manus afferre coguntur. Ita, quum benivolentiæ comparandæ causa benefici esse velint: non tanta studia assequuntur eorum, quibus dederunt, quanta odia eorum, quibus ademerunt. Quamobrem nec ita claudenda est[22] res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit; nec ita reseranda, ut pateat omnibus. Modus adhibeatur, isque referatur ad facultates. Omnino meminisse debemus id, quod a nostris hominibus sæpissime usurpatum, jam in proverbii[23] consuetudinem venit, largitionem fundum non habere[24]. Etenim quis potest

ap. Cic. est eleganter, magno verborum dilectu adhibito. In eodem sensu *diligentia* in orat. pro Planc. « Non est consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia ». Hoc est, populus agit omnia temere, inconsulto, nullo rerum hominumve dilectu habito, et discrimine. Sic et *elegantia* oritur ab *eligere*. Qui sine dilectu donant, eos lepide Socrates Gratias virgines tamquam scorta prostituere dixit apud Stobæum : Σωκράτης ἰδών τινα προχείρως πᾶσι χαριζόμενον, etc. « Socrates, quum facile quemdam omnibus gratificari, nulloque delectu suppeditare animadvertisset : Male pereat, inquit, qui Gratias virgines prostituit ». Græv.

18. *Quid autem est stultius.* Contra libb. auctoritatem Beierus vocem *est* sustulit, nec caret rationibus, quibus hanc temeritatem comprobare tentet. Sed, oro, quid mali v. illa *est* faciebat?

19. *Curare*, etc. Id est, agere, ita ut.

20. *Sequuntur largitionem rapinæ.* Præclare locum hunc explicatum habes apud Aristotelem in lib. IV Ethic. c. 1. Facc.

21. *Cœperint.* Gern. scrib. *cœperunt.* Reliqui, inquit, « egere cœperint ». Secus statuendum de verbis seqq. *quum velint.* Alterum *quum* rem factam inducit, alterum exponit causam. — Schützius Gern. sequitur, cum Beiero.

22. *Claudenda est res.* Beier. *claud. res est.*

23. *Jam in prov.* Nonnullæ edd. vett. *jamque in prov.*

24. *Fundum non habere.* Quasi pertusum dolium, quod, etiamsi plurimum ingeras, numquam tamen expletur. Largitio enim numquam eorum famem satiat, in quos suas opes effundit. Itaque nullum modum habet. M. Heus.

modus esse[25], quum et idem qui[26] consuerunt, et idem illud alii desiderent?

XVI. Omnino duo sunt genera largorum: quorum alteri, prodigi; alteri, liberales. Prodigi, qui epulis[1], et viscerationibus[2], et gladiatorum[3] muneribus, ludorum, venationumque[4] apparatu, pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut brevem[5], aut nullam omnino sint relicturi[6]. Liberales autem, qui 56
suis facultatibus aut captos a prædonibus[7] redimunt, aut æs alienum suscipiunt amicorum[8], aut in filiarum

25. *Modus esse.* Gu. quint. et imprr. vett. omnes, apud J. F. Heus. *esse modus.*

26. *Et idem qui.* Qui non intellexerunt vim pronominis *idem* repetiti, prius *idem* mutaverunt in *iidem*, aut scripserunt *et hi.* Solet nimirum *idem*, ubi bis ponitur, ad subjectum pertinere, ut Epist. IX, 2: «Caninius idem tuus et idem noster». Eodem jure hoc loco *idem* ad objectum, id est ad beneficia refertur, quæ ut plurimis dantur, ita a plurimis exspectantur. Gærn. — Int. quum idem sc. largitiones et ii qui eas accipere consuerunt, et alii innumeri, qui spe accipiendi trahuntur, desiderent.

XVI. 1. *Epulis.* Epulas populo præbent ad favorem aucupandum, ludos gladiatorios, ferarum pugnas, et venationes. Hos prodigos vocat, quia tota effundunt patrimonia, et ut verbis Lact. utar in lib. VI, c. 11: «populari levitate ducti vel magnis urbibus suffecturas opes impendunt». Facc.

2. *Viscerationibus.* Carnibus crudis coctisve populo divisis. M. Heus.

3. *Gladiatorum muner.* Gern. scribit *gladiatoriis.*—Unde *munera* dicantur, Gesneri Thesaur. III, p. 364, sqq. 82 et de *gladiatorum* origine, generibus, etc. ib. II, p. 812, 13-61. Uberiora desiderantibus satisfaciet P. Faber in Agonisticis L. B. 592, 4, et in Gronov. Thesaur. t. VIII. Nec vero pœnitebit, legisse Tiedgii epistolam, Romæ scriptam, in *Zeitung für die elegante Welt* 1808, p. 1460 sqq. Beier.

4. *Venationumque.* Quum nobiles feræ, leones, pantheræ, elephanti, vel cum aliis bestiis, vel etiam cum hominibus pugnantes, in amphitheatro conjiciebantur.

5. *Aut brevem*, etc. «Ut unius horæ sibi favorem acquirant», inquit divus Ambrosius in serm. 66. Facc.

6. *Sint relicturi.* Gern. qui scribit *sunt*, notat: Facciolatus cum plurimis imprr. vett. transponit «sint relicturi omnino». — Beierus Gernhardum sequitur.

7. *Captos a prædonibus redimunt.* F. Maturantius laudat Fabium Max. qui sua prædia vendidit, ut captos a Pœnis redimeret: de quo vide Valer. Max. IV, 8, 1. Gern.

8. *Aut æs alienum suscipiunt amicorum.* Tales erant in Atheniensium republica ἐρανισταί. Dicebantur autem ἐρανισταὶ, qui amicorum æs alienum, collecta stipe ab aliis amicis, dissolvebant. Græv. — Exemplo est Epami-

collocatione adjuvant, aut opitulantur vel in re quærenda[9], vel augenda. Itaque miror, quid in mentem venerit Theophrasto, in eo libro, quem de divitiis scripsit : in quo multa præclare; illud absurde. Est enim multus in laudanda magnificentia, et apparatione popularium munerum; taliumque sumptuum facultatem, fructum divitiarum[10] putat. Mihi autem ille fructus liberalitatis, cujus exempla pauca[11] posui, multo et major[12] videtur, et certior. Quanto Aristoteles[13] gravius, et verius nos reprehendit[14], qui has pecuniarum effusiones non admiremur[15], quæ fiunt

nondas apud Corn. Nep. cap. 3, 4. M. Heus.

9. *Vel in re q.* Græv. *in re vel q.* Facciolatus voculam *vel*, quæ deest in duobus Aldi libris, omittit. Ernest. cum reliq. *vel in re quær.* Beier. cum vulg. facit.

10. *Fructum divitiarum.* Maximam ex divitiis voluptatem et utilitatem capere putat eos, qui talia munera populo suis sumptibus apparare possint.

11. *Exempla pauca.* Gern. scribit : *pauca exempla.*

12. *Multo et major.* Ed. Gronov. *multo etiam major.*

13. *Aristoteles.* Alii legere malunt *Aristo*, qui philosophus fuit inter Stoicos non postremus; quod videlicet nihil tale in Aristotelis operibus, quæ exstant, inveniatur. Facc. — Muretus suspicatur scriptum fuisse « Aristo Stoicus », qui ea quæ inter virtutem et vitia interjecta essent, dicebat indifferentia : de quo Fin. II, 13, 43; Legg. I, 21, 55, et al. l. J. M. Heusingerus vult *Aristo Chius.* Atque nomina propria quidem in codicibus sæpe vehementer corrupta sunt. Atque vix est credibile, Aristotelem suæ ætatis Romanos, moderatos illos homines, notasse de munerum magnificentia. Itaque latius patere Aristotelis sententia atque a Cicerone ad suæ ætatis homines prodigos transferri videbitur. Sed nullus equidem dubito, quin Mureti conjectura veram lectionem assequuta sit, ex quo Manutius me docuit, in uno libro scriptum esse *aro*, quo quis miretur librarios putasse significari notissimum illum *Aristotelem*. Gern.—Beier. scribit *Aristo Ceus*, hoc notato : M. Heusingerus : *Aristo Chius.* At vero non hic, sed *Ceus* Peripateticus, qui floruit post an. Urb. 530, circa bellum Punicum secundum, a Panætio, Nostri auctore, apud Diog. Laert. VIII, 163, agnoscitur auctor ὑπομνημάτων ὑπὲρ κενοδοξίας, quæ vulgo *Aristonis Chii* ferebantur. Ex iis hæc suspicor deprompta a Plutarcho in Cat. Maj. c. 18: Ὃ δὴ καὶ μάλιστα, φασὶ, τὸν φιλόσοφον Ἀρίστωνα θαυμάζειν, ὅτι τοὺς τὰ περιττὰ κεκτημένους μᾶλλον ἡγοῦνται μακαρίους ἢ τοὺς τῶν ἀναγκαίων καὶ χρησίμων εὐποροῦντας.

14. *Nos reprehendit.* Duo hæc verba Langius et Facciol. excludunt, scribuntque *admiretur.* Vide not. seq. Mox Beier. cum Facc. e Gu. 5, et edd. vett. « has effusiones pecuniarum ».

15. *Admiremur.* Legere oportet

ad multitudinem deleniendam! At ii[16], qui ab hoste obsidentur, si emere aquæ sextarium[17] mina cogantur[18], hoc primo[19] incredibile nobis videri omnesque mirari; sed, quum attenderint[20], veniam necessitati dare[21]: in his immanibus jacturis, infinitisque sumpti-

admiretur; quod est in multis codd. — Ait gravius facere Aristotelem, quam Theophrastum, quod non laudet, nec admiretur effusiones pecuniarum in munera popularia. Facc. — Quæ de ingenti aquæ pretio traduntur, recte dicuntur non Romani soli, sed omnes admirari; deinde autem ad Romanos revertitur inde ab *in his*, quemadmodum exorsus erat ab iisdem, id quod indicat etiam pronomen *has* ante *pecuniarum*. *Admirantur* autem quæ sunt contra opinionem omnium, quæ videntur in suo genere nimia, vide cap. 10 pr. III, 19; pro Mur. c. 19. Facciolatus cum Gu. 5 et imprr. vett. transponit « effusiones pecuniarum ». Gern. — Sententia est hæc: Aristoteles graviter reprehendit nos scilicet omnes, qui non admiremur reperiri homines tam fatuos, qui tantum effundant pecuniæ in ludos, et munera, brevis temporis oblectationem; eos vero miremur, qui mina in obsessa urbe sextarium aquæ emerint. Græv.

16. *At ii.* Pearcius corrigit « ait, ii qui ab hoste, etc. » ob sequentes infinitivos. Sed *ait* subaudiendum est ut sæpe, quod maxime apparet ex sequentibus « bene etiam colligit ».

17. *Aquæ sextarium mina.* Sextam congii partem, id est, libram unam et semissem, drachmis centum. Facc.

18. *Cogantur.* Pro vulg. *cogerentur* cum Pearcio, Ernest. et J. M. Heusing. scripsi *cogantur.* Opus erat enim exemplo non ficto, sed ex usu et experientia repetito. *Si.....cogerentur* post præsens tempus intelligere jubet: quod quidem non solet accidere, sed fingamus cogi. Is locus, quo J. F. Heusingerus usus est, ut imperfectum pro præsenti excusaret, Epist. XIII, 47, « ut scires, tibi hæc scribo », parum idoneus est. Vide I, 11, 36, ubi plures codd. pro *obligaret* simili temporum permutatione præbent *obliget.* Gern. — Beier. qui Gernhardum sequitur, dicit tamen *cogerentur* defendi posse et exemplis et ratione.

19. *Primo incred. Primo auditu* Grævii exemplo J. F. Heusing. e cod. Græv. et Anemœc. ut *primo adspectu;* pro Marcello cap. 4, 12: « Vereor ut hoc, quod dicam, perinde intelligi auditu possit ». Reliqui omnes vocem *auditu* apud Ciceronem hoc sensu insolentiorem omittunt. Ejusmodi voces librarii sæpius addiderunt, quam omiserunt. *Primo* est ut primum audiunt. Vide Verr. I, 9, 26. Gern. — Beierus defendit *auditu.* Nos vero, inquit, movet F. A. Wolfii, V. S. auctoritas, ad Sueton. Jul. 75, p. 92, a. alia de re monentis, « omnino temerarium esse, tam angustis finibus coercere latinitatem. Non posse omnia exemplis defendi: sæpe sufficere rationem analogiæ ». De voc. *nobis* a Gern. et Beier. deleta vide notam in voc. *admiremur.*

20. *Quum attenderint.* Pendet persona hæc tertia a voce *omnes*, quasi sit *omnes homines.* Facc. — Rem perpenderint, quæ causa talis emptionis sit, perspexerint. M. Heus.

21. *Veniam necess. dare.* Excusatos habere eos, qui vitæ servandæ causa rem vilissimam tanti emant.

bus, nihil nos magnopere mirari; quum præsertim nec
necessitati[22] subveniatur, nec dignitas augeatur; ipsaque
illa delectatio multitudinis sit ad breve[23] exiguumque
tempus; eaque a levissimo quoque[24]: in quo tamen
ipso, una cum satietate, memoria quoque moria-
57 tur voluptatis. Bene etiam colligit[25], hæc pueris, et
mulierculis, et servis, et servorum simillimis liberis, esse
grata; gravi vero homini, et ea, quæ fiant[26], judicio
certo ponderanti, probari posse nullo modo. Quamquam
intelligo, in nostra civitate inveterasse jam a[27] bonis

22. *Nec necess.* J. F. Heus. e suis libb. *neque necess.* cum H. Wolfio, quos Beierus sequitur.

23. *Sit ad breve*, etc. Ad horam unam vel *paullo plures.* Alii addunt *duratura*, ex glossemate. Facc.—Misere corruptus hic locus est in nonnullis libris. Gern.

24. *Eaque a levissimo quoque.* A pueris, mulierculis, servis, ut infra explicat. In eo tamen ipso, qui levissimus est, cum satietate memoria exstinguitur. Mihi tamen hæc non satis cohærentia videntur. Addita fortasse margini fuerant ad id notandum, quod sequitur post verbum *colligit.* Itaque verba, *in quo tamen*, referenda puto ad *tempus.* Facc. — Idem suspicatur Heumannus in parerg. critic. pag. 38. J. F. Heusingerus tamen recte interpretatur « ad levissimum quemque pertinent », ut Orat. I, 13 pr. « Sed vide ne hoc, Scævola, totum sit a me ». Patruus intelligit eos, qui populum oblectant, ad similitudinem § 57, et cap. 18, 63 « hæc (benignitas) est gravium hominum atque magnorum : illa (largitio) quasi assentatorum populi multitudinis levitatem voluptate quasi titillantium. Gern.—Has vv. Schützius uncis includit. Beier. Facciolatum reprehendit vv. *in quo tamen* ad *tempus* referentem. Idem in seqq. e cod. ψ *enim* pro *etiam* scribit, quia sequens sententia præcedentis rationem reddere videtur.

25. *Colligit.* Quidam codd. cum plerisque imprr. vett. *colligitur*, a scribis scilicet oblitis Aristotelem ab auctore induci.

26. *Fiant.* Hoc Ernest. dedit libris omnibus reclamantibus, quem nec J. F. Heusing. nec Gern. nec Beier. sequitur.

27. *Jam a bonis temporibus.* Gern. scribit « et (et quidem) jam bonis temporibus ». Schützius vulgatam *jam a bon. temp.* retinuit : idem fecit Beierus, qui hæc intp. *jampridem*, dicens *a bonis* i. valere ac *a longis* : alias auctorem daturum fuisse *melioribus.* Quis hoc credat? Constat hunc fuisse ordinem in tergeminis (i. e. curulibus) honoribus petendis, ut primo ædilitatem, deinde præturam, postremo consulatum peterent. Quapropter multo sumptu ludos magnificos mobilium turbæ Quiritium parabant ædiles, fabulas agendas emebant, etc. ut promptiorem sibi populum et faventiorem ad reliquos magistratus deinceps petendos viderent. Sua enim ædiles impensa ludos pro modo patrimonii ac dignitatis suæ celebrandos curabant.

temporibus, ut splendor ædilitatum[28] ab optimis viris postuletur. Itaque et P. Crassus, quum cognomine dives, tum copiis, functus est ædilitio maximo munere[29]. Et paullo post L. Crassus cum omnium hominum moderantissimo Q. Mucio, magnificentissima ædilitate functus est; deinde C. Claudius[30], Appii[31] filius; multi post, Luculli[32], Hortensius, Silanus. Omnes autem P. Lentulus, me consule, vicit superiores. Hunc est Scaurus imitatus. Magnificentissima[33] vero nostri Pompeii munera secundo consulatu. In quibus omnibus[34] quid mihi placeat, vides.

XVII. Vitanda tamen est suspicio avaritiæ. Ma- 58
merco[1], homini divitissimo[2], prætermissio ædilita-

28. *Ædilitatum*. Primus magistratus curulis, qui ludos curabat, et annonam. Hoc uno maxime se quisque populo commendabat, qui « duas tantum res anxius optat, Panem et circenses ». Juvenal. Sat. X. Facc.

29. *Maximo munere*. Primos elephantos in arenam produxit. Facc.

30. *C. Claudius*. De ludis Claudii Pulchri, Lucullorum fratrum, Scauri, Pompeii, vide Plinium lib. VIII, c. 7, 16 et seq. De splendida Lentuli ædilitate vide eumdem lib. IX, c. 39. De spectaculis scenicis ejusdem Claudii, Lucullorum, Lentuli, vide Valerium Max. lib. II, cap. 6. Facc.

31. *Appii*. Contracta forma genitivi *Appi* hoc loco placuit Grævio, non dixit an alicujus codicis auctoritate. Idem tamen III, 13 med. vulgarem formam retinuit *Pythii*, ubi Gu. 1 et Ven. 1498 *Pythi*, ut ibid. 15, 62, cum codice Gu. Nonii *Publi*, non item *Panæti*. Consentit J. F. Hensingerus, sed non ausus est hanc formam recipere. Vide R. Bentleium ad Terent. Andr. II, 1, 20, qui non solum in poetis veteribus, qui ante Ovidium fuerunt, sed etiam in Cicerone hanc contractiorem formam genitivi in nominibus substantivis exeuntibus in *ius* vel *ium* vult restitui. Nostro loco pro *Pompeii* in Gu. 1, 5, Ven. 1498, Lipss. atque Anemœc. legitur *Pompei*. Gern.

32. *Luculli*. Sic recte emendarunt viri docti: constat enim duos Lucullos fratres L. et M. eodem anno ædilitatem gessisse, de qua Plutarch. et Plin. lib. VIII, cap. 7. Fabr. — Alii, *Lucullus*.

33. *Magnificentissima*. Produxit in arenam leones quingentos, pantheras sexcentas, et elephantos viginti. Facc.

34. *In quibusd. omnibus*. Scil. de quibus omnibus profusionibus pecuniarum, vides quid mihi placeat. Has scilicet paullo ante vituperat.

XVII. 1. *Mamerco*. Goth. Vin. Rom. et omnes imprr. vett. apud J. F. Heusing. *nam Mamerco*. Paullo ante Beier. transp. *suspicio est*.

2. *Divitissimo* est in libris Langii, Fabric. Græv. Aldi tribus et uno Tert. Gu. 1, 3, 5, μ, edit. Oliv. et Heus. Reliqui libri et imprr. vett. *ditissimo*.

tis[3] consulatus repulsam attulit. Quare et[7], si postulatur a populo, bonis viris si non desiderantibus[3], attamen approbantibus, faciendum[6] est, modo pro facultatibus; nos ipsi ut fecimus[7]: et, si quando aliqua res major atque utilior populari largitione acquiritur; ut Oresti[8] nuper prandia in semitis decumæ[9] nomine magno honori fuerunt. Ne M. quidem Seio vitio datum est, quod in annonæ caritate[10] asse modium populo

GERN. — Explicatiorem superlativi formam *divitissimus* Gern. e libris MSS restituit etiam in Parad. VI, 2, 48 (laudatis interpretibus ad Cornel. Nep. 7, Alcib. 2, 1, et Phoc. 19, 1, 2), itemque comparativi formam *divitiores*, ibid. § 50, quæ incorrupta servatur Orat. III, 48, 185. Cf. Fabric. ad h. l. et Voss. de Analog. II, 25, p. 804. BEIER.

3. *Ædilitatis*. Prætermissæ scilicet ob avaritiam, ne populo ludos daret.

4. *Quare et, si...et, si*. Quare faciendum est, ut ædilitia munera edantur, et si postulatur a populo, et si aliquando res major atque utilior hac largitione acquiritur.

5. *Desiderantibus*. Scilic. qui hæc non desideraturi essent, si abessent; qui tamen approbant, quum adsunt.

6. *Faciendum*. Satis commode dici potuit *faciendum est* pro *mos gerendus est*, quum præcesserit *si postul. a pop.* ut non opus videatur Gernhardi conjectura, quamvis elegantissima illa, *largiendum est*, ut 54, præsertim quum res declaretur iis, quæ statim sequuntur, « populari largitione »: cum qua v. *facere* ex more jungi solet, ut Tuscul. III, 20, 48 pr. Cf. Arist. Eth. ad Nic. IV, cap. 2, sect. 5, § 2. BEIER.

7. *Nos ipsi ut fecimus*. De ædilitate Ciceronis vide Verrin. cap. 14. In ea trinos ludos fecit (pro Mur. cap. 19), Siculorumque liberalitate ad annonam urbis levandam usus est, Plutarch. Cic. p. 864. M. HEUS. — Facc. cum Gu. 3 transp. « ut nos ipsi fecimus ».

8. *Oresti*. Cn. Aufidius Orestes ex gente Aurelia, ut Manutius putat, prandia populo dedit in semitis urbis, ut eum sibi conciliaret: sed dedit decumæ nomine, quasi decimam divitiarum suarum partem diis sacraret. FACC.

9. *Decumæ nomine*. Fructuum decumas primum regibus, deinde vero diis præstari consuevisse, scribit Aurelius Victor de Origine gentis romanæ. Itaque narrat Suetonius in Caligula, cap. 26: « Scenicis ludis decumas datas », hoc est, dona populo sparsa, si placet, in honorem deorum. FACC. — Veteres Romani, ut in exoptata re bonum exitum consequerentur, decumam fructuum vel prædæ alicui deo vovebant: ut Herculi vovit Sulla; vide Plutarch. in Sulla, c. 35 pr. t. I, 474, A. Hunc morem ab Evandro, Aboriginum rege, fluxisse, qui decumam boum, interfecto Caco latrone, Herculi vovere instituerit, auctor est Diodor. Sic. lib. IV. BEIER.

10. *In annonæ caritate*. Facc. cum quibusdam libb. et edd. transp. « in caritate annonæ ». Gern. voc. *annonæ* uncis includit; nam, inquit, quamquam caritas per se est etiam ceterarum rerum ad vitam necessariarum,

dedit. Magna enim se, et inveterata invidia, nec[11] turpi jactura, quando erat ædilis, nec maxima liberavit. Sed honori summo nuper nostro Miloni fuit, quod [12] gladiatoribus emptis reipublicæ causa, quæ salute[13] nostra continebatur, omnes P. Clodii conatus, furoresque compressit. Causa igitur largitionis est, si aut necesse
est, aut utile. In his autem ipsis mediocritatis regula 59
optima est. L. quidem Philippus, Q. F. magno vir ingenio, in primisque clarus, gloriari solebat, se sine ullo munere adeptum esse omnia, quæ haberentur amplissima. Dicebat idem C. Curio[14]. Nobis quoque

eaque vox addita est III, 12, 50 et 23, 89; hoc loco tamen satis apparet illud caritatis genus, quod potissimum est, intelligendum esse, præsertim quum etiam aliis in locis, ut Verr. III, 93, J. F. Heusingerus docuit caritatem dici simpliciter ac nude. — Et Schütz. delevit vocem *annonæ* cum Beiero. — *Asse modium.* Id est, libras frumenti xxiv nummo exiguo. Modius enim sexdecim sextarios continet: sextarius libram unam et semissem. Facc.

11. *Nec turpi.* Jactura hæc nec turpis fuit, quia ad ædilem pertinebat annonam curare, nec sane maxima. Facc.

12. *Quod glad.* Gern. scribit *qui glad.* post J. F. Heus. e Gu. 1, 4, et Exc. Pith. Sed quum altera lectio nihil habeat vitiosi, rectius est servare cum Beiero, quod consensu fere omnium libb. defenditur. — *Gl. emptis.* Quum Clodius magnam manum armatorum hominum comparasset, qua utebatur ad turbandam rempublicam, ad leges et judicia evertenda, ei ut resisteret Milo et ipse gladiatores emit, et vim vi repulit. Vide Dionem libro XXXI, ad annum U. C. 697, et Cic. ad Q. fratrem Epist. II, 6. Græv.— Testatur Plinius, XXXVI, sect. 24, § 2: «Milonem sestertium septingenties æris alieni debuisse»: de quo orationis Tullianæ fragmenta cum antiquo commentario edidit Ang. Maius Mediolani primum 1814, p. 30-42, atque iterum 1817, p. 85-101. Beier.

13. *Salute nostra.* Clodius enim rempublicam petebat per Ciceronis latus. Facc.

14. *C. Curio.* Gern. quem Schütz. sequitur, scribit *Cotta, Curio.* Cottæ nomen, inquit, in multis libris est depravatum. Facciolatus cum C. Langio, Grævio, Oliv. et Ernest. *C. Curio.* Alii libri *Cocta, Quota, coacta, coram, contra.* J. F. Heusingero reponenti *Cotta*, quod est in Goth. Vin. Gu. 4, imprr. vett. Ascens. Bald. et al. assentitur Wyttenbachius, Biblioth. crit. II, 8, p. 80, qui testatur in Gron. esse *Cotta, Curio;* in Huydekoop. *Comta Curio;* in Duisb. *Coeta Curio.* Aliis, ut Grævio, qui ægre fert omissam copulam *et*, iisque, qui Curionis prænomen desiderant, respondet J. F. Heusingerus *C. Cottam* intelligens, summum oratorem, quum e Gallia provincia triumphaturus esset, mortuum ante *C. Curionem*, oratorem eumdemque consulem

licet in hoc quodammodo gloriari. Nam pro amplitudine honorum, quos cunctis suffragiis adepti sumus, nostro quidem anno [15], quod contigit eorum nemini, quos modo nominavi, sane exiguus sumptus ædilitatis fuit.

60 Atque etiam illæ impensæ meliores [16], muri, navalia [17], portus, aquarum ductus, omniaque, quæ ad usum reipublicæ pertinent. Quamquam quod præsens tamquam in manum [18] datur, jucundius est : tamen hæc in posterum gratiora. Theatra, porticus, nova templa, verecundius reprehendo, propter Pompeium [19]: sed doctissimi non probant, ut et hic ipse Panætius,

cum Cn. Octavio anno U. C. 677. De C. Aurelio Cotta vide Wetzelium ad Brut. 55 pr. de C. Scribonio Curione idem disp. l. l. c. 58. Suspicor autem, Ciceronem scripsisse *C. Cotta*, *Curio*, ut ab aliis propter iteratam literam *C*, neglectum videatur prænomen *Caii*, ab aliis Cottæ nomen prætermissum, aut corruptum. Gern. — Prænomen Beiero inutile videtur, quia pariter in Bruto, cap. 90, sine prænomine nominatur.

15. *Nostro anno.* Ipso anno, quo honores petere per leges licebat. Facc. — Gloriatur Noster de populi hac benivolentia et judicio in deferendis certatim sibi honoribus, Agr. II, cap. 1 extr. et 2; in Pis. cap. 1; Brut. 93, 321, 94, 323; Catil. I, 11, 27. Cf. Plutarch. in vita Ciceronis, cap. 9 pr. 11, et Fabric. in Ciceronis histor. ad a. 40, n. 24-30; et ad a. 43, n. 1-15. Beier.

16. *Meliores.* Quædam edd. addunt *sunt.*

17. *Navalia.* Loca munita et tecta, ubi in sicco stant naves e mari subductæ. Vide Serv. ad Virgil. Æneid. lib. XI, v. 326. M. Heusing.

18. *In manum.* Alii *in manu.* Facc. — Altera lectio est in Goth. Vin. et imprr. vett. sed nemini probabitur, qui meliorum libb. Grævii, J. F. Heusingeri, octo Manut. et Tert. aliorumque lectionem *in manum* noverit. Facciolatus post *quamquam* interponit *enim*, nescio unde. Gern.

19. *Propter Pompeium.* Etsi Pompeius hoc tempore non supererat, sanctior tamen ejus memoria erat Ciceroni, quam ut ejus acta sine gravi causa reprehenderet, et in hoc Cæsarianis gratificaretur.—Pompeius autem Magnus theatrum, quod, incendio absumptum, etiam post restitutionem dicebatur Pompeianum (Sueton. Tib. 47; Martial. VI, 9, XIV, 29; cf. XI, 22, 6), summa impensa in Campo Martio (Plin. XXXIV, 7, m. sect. 18), Tiberim versus, Vaticano monti oppositum (Horat. I, od. 20, 3-8), ædificaverat magnificentissimisque ludis dedicaverat altero consulatu, ut testatur Plutarchus in Pomp. p. 647, c. 52 extr. (cf. c. 40 extr.) Beier. — Idem Pompeius ædem Victoriæ voverat tertio consulatu : de ceteris ab eo exstructis monumentis plura disserit

quem multum in his libris sequutus sum, non interpretatus; et Phalereus[20] Demetrius, qui Periclem, principem Græciæ, vituperat, quod tantam pecuniam in præclara illa propylæa[21] conjecerit[22]. Sed de hoc genere toto, in iis libris, quos de republica scripsi, diligenter est disputatum. Tota igitur ratio talium largitionum, genere, vitiosa est; temporibus, necessaria; et tum[23] ipsa et ad facultates accommodanda, et mediocritate moderanda est.

XVIII. In illo autem altero genere[1] largiendi, quod 61
a liberalitate proficiscitur, non uno modo in disparibus causis affecti esse debemus. Alia causa est ejus, 62
qui calamitate premitur, et ejus, qui res meliores quærit, nullis suis rebus adversis. Propensior benignitas esse debebit in calamitosos, nisi forte erunt

Beier. quæ operæ pretium est legere.

20. *Phalereus.* Facciolatus, qui I, 1, 3, recte dedit *Phalereus*, hoc loco male scripsit *Phaleræus*; vide Ruhnkenium ad Rutil. Lup. II, 16, et Heusingeros ad l. l. Garn.

21. *In præclara illa propylæa.* Hæc erant arcis, quæ Cecropia dicebatur, vestibula, lapide albo tecta, quibus exstruendis Pericles annos quinque, et bis mille ac duodecim talenta impendit, hoc est, nostra pecunia, duodecies centies mille, et septies mille ducentos coronatos, teste Suida et Harpocratione in προπύλαια. Per solas horum vestibulorum portas quinque patebant aditus in arcem. Illarum claves Archontes singuli singulis diebus tantum, ne tyrannidem affectare umquam possent, asservabant, quoque eas die habebant, dicebantur ἐπιστάται. J. Meursius in Cecropia, c. 6. Græv. — Vide Plut. in Pericle.

22. *Conjecerit.* Alii libri *projecerit*, al. *projecit*, quod impr. vett. servant.

23. *Et tum.* Et iis quidem temporibus, ubi necessariæ sunt, modo et ratione fieri largitiones debent. Alii leg. *et tamen.* Facc. — Gern. scribit *tamen ipsa*, quod postulant superiora, quasi præcesserit: Etsi tota ratio.... necessaria est, ut evitari omnino non possit; ut cap. 16, 56, «in quo tamen ipso, etc.» et I, 44 pr. Similiter paullo ante § 59, in eadem re: «In his autem ipsis mediocritatis regula optima est». Garn. — Nobis optima videtur lectio *et tum*, altera *et tamen* nihilominus probari potest. Sed omnino vitiosa nobis videtur ea quam Gern. sequutus est, quia sic omissa copula, necessario nexu postremum membrum egere videtur, et quia sic *tamen* in primo sententiæ loco non ponitur, sed secundo. Beier. qui scribit *et tamen*, intp. *et nihilominus*, conj. *ea tamen*.

XVIII. 1. *In altero genere.* Cap. 16 init. «Omnino duo sunt genera largorum: quorum alteri, prodigi, alteri liberales»,

digni calamitate. In his[2] tamen, qui se adjuvari volent, non ut ne[3] affligantur, sed ut altiorem gradum adscendant, restricti omnino[4] esse nullo modo debemus; sed in deligendis idoneis judicium et diligentiam adhibere. Nam præclare Ennius[5]:

Benefacta male locata, malefacta arbitror.

63 Quod autem tributum est bono viro et grato, in eo quum ex ipso[6] fructus est, tum etiam ex ceteris. Temeritate enim remota[7], gratissima est[8] liberalitas: eoque eam studiosius plerique laudant, quod summi cujusque bonitas commune perfugium est omnium. Danda igitur opera est, ut his beneficiis[9] quam plurimos afficiamus, quorum[10] memoria liberis posterisque

2. *In his*. Facc. dedit *in eos* post Lambinum, plerisque libb. scriptis et imprr. dissentientibus. Heuss. Oliv. Gern. *in iis*.

3. *Ut ne*. Quidam libb. et imprr. omittunt *ut*.

4. *Restricti omnino*. Facciol. notat: Quia animi restrictio semper vitiosa est; ego reposui *animo* ex meo codice, pro *omnino*: quæ particula quamvis sit in vulgatis omnibus, certe redundat, et abest ab editione prima. *Omnino* excludunt Goth. Vin. decem Manutii libri et impressi vett. Quod non mirum est, quum in iisdem imprr. male transponitur « nullo modo esse » et in Gu. « omnino nullo modo esse », quo verborum ordine admisso particula *omnino* videbitur otiosa : sed pertinet ad *restricti*, non ad *debemus*. J. M. Heusingero placet quod est in Pith. « omnino esse non debemus ». Gern. — Intelligendum puto, *omnino*, hic pro *quidem* positam, prospicere ad seq. *sed*, ut 72, I, 83 pr. Beier.

5. *Ennius*. Vide Ennii Fragm. apud Columnam, p. 299. Benefacta *male locata* vocat, quæ indignis conferuntur. Facc.

6. *Ex ipso*. Qui accepit beneficium, et ex aliis, qui laudant liberales homines. Facc. — Gu. 3 transponit « Quod autem tributum bono viro et grato est », isque verborum ordo mihi arridet propter proximum *in eo*, quod referendum est ad *Quod... tributum... est*, non ad verba « bono viro et grato ». Nec vero obstare ejusdem verbi *est* in eodem proximæ enuntiationis loco iterationem docet I, 8, 26 extr. Gern. — Gu. 3 Beierus sequutus est lectionem.

7. *Temeritate remota*. Quoties cum delectu et ratione datur. Facc.

8. *Gratissima est lib*. Iis etiam, ad quos minime pertinet.

9. *Ut his beneficiis quam plurimos*. Grævius et Heusinger. exhibent *ut iis ben*.

10. *Quorum*, beneficiorum.

prodatur, ut iis[11] ingratis esse non liceat[12]. Omnes enim immemorem beneficii oderunt; eamque injuriam in deterrenda[13] liberalitate sibi etiam fieri, eumque, qui faciat, communem hostem tenuiorum putant. Atque hæc benignitas etiam reipublicæ utilis[14] est, redimi e servitute captos, locupletari tenuiores : quod quidem vulgo solitum fieri ab ordine nostro[15] in oratione Crassi scriptum copiose videmus. Hanc ergo consuetudinem benignitatis largitioni[16] munerum longe[17] antepono. Hæc est gravium hominum, atque magnorum : illa quasi assentatorum[18] populi, multitudinis levitatem voluptate quasi titillantium.

Conveniet[19] autem quum in dando[20] munificum 64

11. *Ut iis*. Heusingg. *his*.

12. *Ingratis esse non liceat.* Ut non possint esse ingrati, nisi in omnium reprehensionem incurrere velint.

13. *Deterrenda*. *Deterenda* (hoc est, minuenda) est in Palat. 1, uno Ox. duobus Fabricii. Gern.—Int. sibi etiam injuriam fieri putant, ob id, quod liberalitas hoc ingrato animo deterretur, ita ut ipsi spem in posterum accipiendi amittant. — De transferenda beneficii obligatione in propinquos, vide disputationem Senecæ de Benef. V, 19. Beier.

14. *Reipublicæ utilis est*. Gernhard. post J. F. Heusingerum transp. « reipublicæ est utilis ». Hanc, inquit, ordinem tenet Gu. 1, 2, 5, et Gryph. consentiente Lactanctio, VI, 12, 15, qui postea pro *Hanc ergo* scribit *Hanc ego*. Idem H. Wolf. annotàvit in margine placetque J. F. Heusingero. — Et ita edidit Beierus harum vv. confusionem sæpe factam dicens, Ciceronemque pronomina conjungere solere. — Deinde in Gu. 3, duobus Aldi et quibusdam codd. Lactantii, VI, 12, 15, legitur « redimi e servitute captivos », quod, sic indefinite positum, prætulerim equidem vulgato *captos*. Est fere idem discrimen, quod *libertorum* et *libertinorum*. Vide I, c. 12, p. 93; III, 99, 100, 101 pr. 110, 111, 113. Ad Herenn. III, 2, « captivos ab hostibus redimat ». Alia res fuit supra 56 pr. Ne apud Æmil. Prob. quidem Alcib. VII, 5, 5, *capti* dici videntur pro *captivis*. Beier.

15. *Ordine nostro*. Senatorio.

16. *Largitioni munerum*. De qua dictum est in capite superiore. Facc.

17. *Longe*. Hæc vox abest a plerisque MSS et imprr. vett.

18. *Quasi assentatorum*. *Quasi* præter Palat. 1, est in libris scriptis et imprr. omnibus, male suspecta Grutero. Neque abesse debet hæc particula, quæ est *fere*, qua levatur quædam vocis *assentatorum* offensio, quum munera ab optimis viris postulantur. De *quasi* vide Ald. Manut. ad Parad. VI, 3, 7. Gern.

19. *Conveniet*. Facciol cum Gu. 4, Vincent. Bellov. et reliquis libb. imprr. vett. *convenit*. Gern.

20. *Quum in dando*. Gu. 1, 2, 4,

esse, tum in exigendo[21] non acerbum; in omnique re contrahenda, vendendo, emendo, conducendo, locando, vicinitatibus[22] et confiniis, æquum et facilem; multa multis de jure suo[23] cedentem[24]: a litibus vero, quantum liceat, et nescio an paullo plus etiam, quam liceat, abhorrentem. Est enim non modo liberale, paullum nonnumquam de suo jure decedere, sed interdum etiam fructuosum[25]. Habenda autem est ratio rei familiaris, quam quidem dilabi[26] sinere, flagitiosum est; sed ita, ut illiberalitatis avaritiæque absit suspicio. Posse enim liberalitate uti, non spoliantem se patrimonio, nimirum is est pecuniæ fructus maximus.

Recte etiam a Theophrasto est laudata hospitalitas. Est enim, ut mihi quidem[27] videtur, valde decorum, patere domos[28] hominum illustrium illustribus hospi-

5, exc. Bed. atque Eybi, veteresque imprr. omnes apud J. F. Heusinger. « tum in dando ».

21. *In exigendo*, quod sibi debetur. In sqq. Beierus cum Heusinger. « vendundo, emundo », in qua solemni formula servari dicit archaismum.

22. *Vicinitatibus*. Id est, vicinis. Al. præponunt particulam *in*. Facc. — Præpositio legitur in imprr. vett. omnibus. Sed ψ, Magont. et incert. *in civitatibus*. Gern. — Confinium peculiariter denotat spatium v vel vi pedum, agros vicinos separans, quod, utriusque commune, propter legem XII Tabb. usucapi non poterat. Sic *vicini* et *confines* distinguuntur. — Contra Facc. M. Heus. notat *vicinitatibus* non poni pro *vicinis*, sed pro iis rationibus, quæ ob propinquitatem inter vicinos intercedunt.

23. *De jure suo*. Gu. omnes, exc. Bed. atque Eybi, « de suo jure ».

24. *Cedentem*. Facc. *concedentem*. — Talis a Corn. Nepote, 25, 6, 3, seq. fuisse laudatur Atticus, qui « in jus de sua re numquam iit; judicium nullum habuit ». Voces « quantum liceat » Degen. refert ad rei familiaris rationem, ut pro hac tolerabilis sit jactura. Fortasse etiam ad injuriæ genus referuntur, ut sensus sit : Nisi, per injuriam nimis manifestam defraudari, indignum videatur. Beier.

25. *Fructuosum*. Prorsus ob litium eventus incertos et sæpe miseros.

26. *Dilabi*. Multi imprr. vett. dant *delabi*.

27. *Quidem*. Hanc particul. quam Goth. et omnes imprr. vett. abjecerant, servant Gu. omnes, nec Anem. eam abesse passus est. J. F. Heus.

28. *Domos*. Gern. *domus*. Antiquiorem, inquit, esse accusativi plur. formam *domus* apparet quum e Livii Historiis, tum e Q. Claudii primo Annali ap. Gellium, N. A. XVII, 2: « Domus suas quemque ire jubet, etc. » ubi Gellius ait verbum *frunisci* rarius

tibus; idque etiam reipublicæ est ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe nostra non egere. Est autem etiam vehementer utile iis, qui honeste posse multum[29] volunt, per hospites apud externos populos valere opibus et gratia. Theophrastus quidem scribit, Cimonem Athenis etiam[30] in suos curiales[31] Laciadas[32] hospitalem fuisse: ita enim instituisse, et villicis imperavisse, ut omnia præberentur, quicumque Laciades in villam suam devertisset[33].

fuisse ætate M. Tullii, non item notat accusativ. *domus*. Gern. — Schützius Gern. sequitur. — Locum hunc perstringit Lactant. VI, 12, 5-13, exprobrans nostro philosopho, quod « hospitalitatem detorserit a vera justitia et ad commodum rapiat ». Verum tamen præcipitur hic de officiis « virorum illustrium » : quibus nihil quidquam negligendum, quod *reipublicæ*, cujus personam gerunt, *ornamento* esse possit, omniaque circumspicienda præsidia, quibus adjuti « honeste possint multum ». Beier.

29. *Posse multum*. Alii, « posse multa ». Facc. — *Multa* reperitur in Goth. exc. Eybi omnibusque imprr. vett. Gern. — Qui, quantum licet, sine malis artibus potentes esse volunt.

30. *Athenis etiam*. Non debebant Heusingeri hac omnium librorum lectione offendi, et ut Lambinus Verburgio teste conjecit *Atheniensium*, corrigere *Atheniensem*, quod est in Var. Lect. H. Wolfii. Memorabile enim in Cimone hoc loco illud est, quod quum ceteri hospitio excipiant externos, is etiam eos qui ejusdem essent curiæ in eademque urbe viverent, in hac ipsa urbe exceperit hospitio. Erant autem villæ prope Athenas. Ita Athenis Athenienses fuerunt Cimonis hospites. Idem fere auctore Aristotele Plutarchus tradit de Cimone in ejus vita, p. 434, C. edit. Fr. Postquam narravit Cimonem prædiis suis septa detraxisse, ut et peregrini et cives quotquot quærerent, libere sumerent poma, pergit : οὐχ ἁπάντων Ἀθηναίων, ἀλλὰ τῶν δημοτῶν αὐτοῦ Λακιαδῶν παρεσκευάζετο τῷ βουλομένῳ τὸ δεῖπνον. Gern. — Pearcius intelligebat *Athen. etiam*, etiam quum ipse esset Athenis, eum villas suas patere voluisse se absente : sed sic nimis contracte hoc diceretur. Et tamen Pearcio Schütz. assentitur cum Beiero; eumque J. V. L. sequitur in versione gallica.

31. *In suos curiales*. Male Manutius φράτορες exponit : sunt δημόται, ejusdem pagi homines. Curiales latine vocavit Cicero, petito ex sua republ. vocabulo, quo græcum expressit. Quis nescit populum romanum divisum fuisse in triginta curias, quæ quum convenirent publice, curiata habebantur comitia? ejusdem vero curiæ homines dicebantur curiales. Populus vero Atticus erat descriptus in pagos, quos ipsi δήμους vocant; ejusdem vero pagi homines δημόται appellabantur. Græv.

32. *Laciadas*. Ex Lacia Atticæ vico, unde Cimon. Facc.—Parem Gilliæ Agrigentini liberalitatem celebrat Valer. Max. IV, 8 extr. 2. Beier.

33. *Devertisset*. Ita Grævius, quem

65 XIX. Quæ autem opera, non largitione, beneficia dantur, hæc tum in universam rempublicam, tum in singulos cives conferuntur. Nam in jure cavere[1], consilio juvare, atque hoc scientiæ genere prodesse quam plurimis, vehementer et ad opes[2] augendas pertinet, et ad gratiam. Itaque quum multa præclara majorum, tum quod optime[3] constituti juris civilis summo semper in honore fuit cognitio atque interpretatio : quam quidem ante hanc confusionem temporum in possessione sua principes[4] retinuerunt : nunc ut honores, ut omnes[5] dignitatis gradus, sic hujus scientiæ splendor deletus est; idque eo indignius, quod eo tempore hoc contigit, quum is esset[6], qui omnes superiores, quibus honore par esset, scientia facile vicisset. Hæc igitur opera, grata multis, et ad beneficiis obstringendos[7] homines accommodata.

Ernest. et Heusingeri sequuntur, ex cod. suo optimo. Reliqui libri scripti et editt. *divertisset*. In his plurimi male *divertissent*, qui *Laciadas* habuerunt pro plurali. Gern.

XIX. 1. *In jure cavere*. Rationes formulasque dictare iis, qui consilium petunt, quod est jurisperiti, Facc. — Est hominis juris prudentis, qui consultori suo rationem præscribit, formulamque dictitat paciscendi aut contrahendi, et monitis, consilio instruit, ne conditionem deteriorem faciat. Budæus.

2. *Ad opes*. Ad comparandam potentiam et gratiam. Facc.

3. *Tum quod optime*. Goth. Vin. Gu. sec. et multi imprr. vett. « tum quam optime ». — Intell. tum illud est præclarum, quod juris scientia semper in honore fuit.

4. *Principes*. Principes in civitate viri, stante republica, de jure consulentibus respondebant. Facc.

5. *Ut omnes dignit. gradus*. Gu. quart. quint. ut imprr. vett. multi « ut omnes dignit. gr. »

6. *Is esset*. Is viveret. Ser. Sulpicium significari, recte Lambinus admonet. Atque ita Corradus quoque in Commentario doctissimo in Brutum Ciceronis hunc locum interpretatur : quem docti quidam inepte de Julio Cæsare intelligunt. Fabric. — Vide Brut. cap. 41 de Ser. Sulpicio, « videtur mihi in secunda arte (in jure civili) primus esse maluisse, quam in prima (eloquentia) secundus ... sed fortasse maluit, id quod est adeptus, longe omnium non ejusdem modo ætatis, sed eorum etiam qui fuissent, in jure civili esse princeps ». Garn. — Exstat Ev. Ottonis lib. sing. de vita, studiis, scriptis et honoribus Serv. Sulpicii Rufi, Traject. ad Rh. 837, in-8, et in Thes. Jur. Rom. t. V, p. 1555-1630. Vide Bach. l. c. § 44. Beier.

7. *Obstringendos*. Corrector Gu.

Atque huic arti finitima[8] est dicendi gravior[9] facultas, et gratior[10], et ornatior. Quid enim eloquentia præstabilius[11], vel admiratione audientium, vel spe indigentium, vel eorum, qui defensi sunt, gratia? Huic quoque ergo[12] a majoribus nostris est in toga[13] dignitatis principatus datus. Diserti igitur hominis, et facile laborantis[14], quodque in patriis[15] est moribus, multorum causas, et non gravate, et gratuito[16] defendentis, beneficia, et patrocinia late patent. Admone- 66 67

quint. omnesque imprr. vett. *astringendos*. J. F. Heusing.

8. *Finitima*. Quia post jurisprudentum consilia proxime oratoris accedit opera, quæ una maxime in judiciis valet. Garv.—De harum « artium studiorumque finitima vicinitate » (ut dicitur in Bruto, 42), vid. Orat. I, cap. 55, m. Top. 17, 65 extr.

9. *Gravior* a Cicerone dicitur, quia plus ad hominum salutem ponderis habet, et plus ingenii postulat. Facc.

10. *Et gratior*. In duobus codd. Ox. et ex Heumanni conjectura in pererg. crit. p. 36, omittuntur verba *et gratior*. Atque me quoque hæc offendunt, quum præsertim præcedant verbis *et ornatior*, id est, splendidior, in quo ipso est, ut sequentia verba docent, gratiæ, quam illa facultas conciliat, significatio. Non mirum igitur est, interpositum esse illud *et gratior*, quum in juris scientiæ, quæ *grata multis* dicta est, contentione dicendi facultas videretur evadere gratia superior (gratior). Accedit quod in Gu. 4 legitur « facultas gravior gratior ». Quare scribendum puto : « Atque huic arti finitima est dicendi facultas gravior et ornatior ». Vide pro Murena, cap. 11. « Gravis etiam illo est et plena dignitatis dicendi facultas ». Hæc Gern. qui vv. *et gratior* delevit, sequente Beiero.

11. *Præstabilius*. Goth. impr. Magont. Gu. quart. « laudabilius, præstabilius ». Rom. incert. Ven. 1498, uterque Lips. ac Lugd. 1527, « laudabilius et præstabilius ». J. F. Heus.

12. *Huic quoque ergo*. Gern. Facciolatum sequutus, delevit *quoque*, primumque inducit Facc. notantem : « Quandoquidem in MSS plerisque particulæ istæ per notas exprimebantur, alii aliter exscripserunt, et ex hac varietate orta est interdum duplicatio.— Cum iis fecit Schütz.

13. *In toga dignitatis princ.* Hoc e melioribus libb. restituerunt critici veteres, quum olim legeretur *in tota dignitate* vel *dignitatis*. Addidit *in toga* Cicero, ne eloquentiam, pacis artem, qua togati cives romani utebantur, militari virtuti præferre videretur. M. Heusing.

14. *Et facile laborantis*. *Libenter*, interpretare cum Manutio, i. e. non gravate. M. Heus. — At vero ita exsisteret tautologia, quum sequatur *non gravate*. Vide 33 pr. pro leg. Manil. 1, 2. Beier.

15. *Patriis moribus*. Ad patrios mores accessit postea lex Cincia, quæ vetabat, ne quis ob causam orandam sibi pecuniam pacisceretur, vel munera acciperet. Innuit idem etiam in Paradoxo VI. Facc.

16. *Et gratuito*. Gu. quint. veteresque imprr. omnes, *sed gratuito*.

bat me res, ut hoc quoque loco intermissionem eloquentiæ, ne dicam interitum deplorarem : ni vererer, ne de me ipso[17] aliquid viderer queri. Sed tamen videmus, quibus exstinctis oratoribus, quam in paucis spes, quanto in paucioribus facultas[18], quam in multis sit audacia[19].

Quum autem omnes[20] non possint, ne multi quidem, aut jurisperiti esse, aut diserti : licet tamen opera prodesse multis, beneficia petentem[21], commendantem judicibus et[22] magistratibus, vigilantem[23] pro re alterius, eos ipsos, qui aut consuluntur[24], aut defendunt, rogantem[25] : quod qui faciunt, plurimum gratiæ consequuntur, latissimeque eorum manat in-
68 dustria. Jam illud non sunt admonendi (est enim in promptu), ut animum advertant[26], quum juvare alios

17. *De me ipso*. Cui erepta est occasio eloquentiæ exercendæ. Facc. — Hoc retinendum est non tam propter librorum consensum, quam ipsius loci et oppositionis ratione. De quo pronominis *ipse* usu post Dukerum ad Florum, III, 18, 7, vide Breminm ad Fat. cap. 11, et quæ notavimus ad I, 38, 137. Non audiendus est Pearcius et Ernest. qui malunt *de me ipse*. Gern. — Egregie notat M. Heus. *de me ipso*, qui eloquentiæ tanta ornamenta debeo, eaque curia, foro, rostris pulsa, minore dignitate sum, jamque minus regnare videor. — Solet Noster quavis occasione « deflere judiciorum vastitatem et fori », ut § 2 extr. 3, 6 extr. Epist. IV, 3, 11; in Bruto, c. 42 extr. Ibid 6, 21 sqq. Beier.

18. *Spes...facultas. Spes*, in juvenibus futuræ facultatis, *facultas* est ingenium in maturis hominibus.

19. *Audacia*. Opinio est nimium sibi pro sua facultate arrogantis : bene vertit intp. gallicus *présomption*.

20. *Omnes*. Ab edit. Ascensii abest, in Goth. Gu. 3 et 4, transponitur « non possint omnes », quod Beierus edidit; probante M. Heus.

21. *Beneficia petentem*. Quartus hic casus, additus verbo *licet*, animadvertendus. Habet et Plautus in Pseudolo, sc. 1, v. 14. Facc. — Comp. I, cap. 26 extr. Gern. — Postulantem ut ceteris beneficia præbeantur, qui per se ipsi ea obtinere non possint.

22. *Et*. Hanc vocem multi codd. omittunt.

23. *Commendantem ... vigilantem*. Exc. Bed. atque Eybi cum Corrado, *commendare*, Eyb. *vigilare*, Corrad. *invigilare*.

24. *Consuluntur*. Jurisperiti. Facc. — Ita libri Grævii et Gu. 1 et 2, unus Aldi et Tertii. Reliqui *consulunt*. Gern. — *Defendunt*. Oratores. Facc.

25. *Rogantem*. Bed. Eyb. Corrad. *rogando*.

26. *Animum advertant*. Sic Heus. Ernest. e Palat. 1, Græv. 1 et ψ. Fac-

velint, ne quos offendant. Sæpe enim aut eos lædunt, quos non debent[27]; aut eos, quos non expedit[28]. Si imprudentes, negligentiæ est; si scientes, temeritatis. Utendum etiam est excusatione adversus eos, quos invitus offendas, quacumque possis[29], quare id, quod feceris, necesse fuerit, nec aliter facere potueris; ceterisque operis et officiis erit, quod violatum est, compensandum.

XX. Sed quum in hominibus juvandis aut mores 69
spectari, aut fortuna soleat : dictu quidem est proclive[1], itaque vulgo loquuntur, se in beneficiis collocandis mores hominum, non fortunam sequi. Honesta oratio est[2]. Sed quis est tandem, qui inopis, et optimi

ciolatus cum reliquis libris scriptis et imprr. vett. *animadvertant*. Idem, ut imprr. et quinque Manutii libri, male transponit « quum alios juvare velint ». Gern.

27. *Quos non debent*. Gern. scribit *debeant*. Ita, inquit, pro vulg. *debent* conjunctivum restitui ex antiquo libro Gu. et edit. Plant. 1565 Nonii in voce *expedire*. Solet autem Cicero hoc verbum sic efferre, ut I, 9 pr. Ad quem loc. vide Heusingerum. Ascens. edidit *quos non deberent*, quod suffragatur veræ Nonii lectioni *debeant*. Gern. — Idem dedit Schütz. at non Beierus, qui notat : Retinendam duximus tamen vulgatam, quum etiam in altero membro sit ind. « quos non expedit ». Nam III, 1, 3, ad quem loc. provocat Gern. alii legunt *debebat*. Mox Beier. scribit cum quibusdam libb. *utendum est etiam*, et vix sese abstinuit a v. *est* delenda.

28. *Quos non expedit*. Quia timendi sunt.

29. *Quacumque possis, quare id, quod feceris, necesse*, etc. Gern. scribit *possit*, notatque : Tertia persona servata est in uno optimo illo quidem MS Gu. 1, quam quum non intelligerent, correxerunt *possit*. Frequens est *potest* absolute dictum pro, fieri potest. Sed simillimus est locus, quem citat Heusingerus, c. 21 pr. « Danda opera est omnino, si possit, utrisque, etc. » *Potest* pro vulg. *potes* post *quantum* reddidit Bentleius Terentio, Adelph. IV, 5, 66, et Phorm. IV, 3, 69. Ac nostro quidem loco *quacumque possit* vera lectio est, quod pertinet ad *Utendum est excusatione*, quum vulgata *quacumque possis* ad *offendas* videatur referenda esse. Nec mirum est in hac secundæ personæ frequentia *possit* mutatum esse in *possis*. Gern.—Schützius Gern. sequutus est, et Beierus, qui observat *possit* esse contractum ex *potesit*.

XX. 1. *Dictu ... proclive*. Facile dicitur, sed non facile fit. Facc. — Beiero delere *est* placuit. In seqq. *itaque* valet *atque ita*.

2. *Honesta oratio est*. Verba horum hominum probanda sunt; sed ipsi ea factis refutant. Sic Terent. I, Andr. I, 114. M. Haus.

viri causæ non anteponat, in opera danda, gratiam[3] fortunati, et potentis? A quo enim expeditior, et celerior remuneratio fore videtur, in eum fere est voluntas nostra propensior. Sed animadvertendum est diligentius, quæ natura rerum sit. Nimirum enim inops ille, si bonus est vir, etiam si referre gratiam non potest, habere certe potest[4]. Commode[5] autem, quicumque dixit[6], pecuniam qui habeat[7], non reddidisse; qui reddiderit[8], non habere : gratiam autem et qui retulerit habere[9]; et qui habeat, retulisse[10]. At, qui se locupletes, honoratos, beatos[11] putant, hi ne obligari quidem beneficio volunt[12]. Quin etiam beneficium se dedisse arbitrantur, quum ipsi quamvis magnum aliquod[13] acceperint : atque etiam a se[14] postulari, aut

3. *Gratia.* Est is gratus animus qui beneficia sequi debet.

4. *Habere ... potest.* Habetur enim non re, sed animo. Facc.

5. *Commode*, apte, elegánter, scite.

6. *Quicumque dixit.* Non constat, quinam hoc dixerit. Cicero autem ter dixit, ut observat Gellius in lib. I, c. 4, hoc loco, pro Plancio (c. 28), et ad Quirites post Reditum (c. 9). Ludit porro in ambigua significatione verbi *habere*. Facc.

7. *Qui habeat*, quam ab aliquo mutuatus est.

8. *Qui redd.* Gu. omnes, primo excepto, omnesque imprr. vett. *et qui redd.* J. F. Heus.

9. *Habere.* Dum gratum animum retinet.

10. *Retulisse.* Quia sufficit ipse animus, quo gratiam referre cupimus, ut gratia reipsa relata videatur.

11. *Honoratos*, *beatos.* Honoribus præditos copiaque rerum omnium. Facc.

12. *Obligari ... volunt.* Quum beneficium acceperunt, non volunt se obligatos putare, nec gratum animum debere se arbitrantur.

13. *Magnum aliquod.* Al. *magnum aliquid.*

14. *Atque etiam a se postulari.* *Æque etiam* est in omnibus fere libris Heusingg. *Æque enim* ante Facciolat. edidit H. Wolf. *Atque etiam* versione exprimit Hotting. qui in nota ad h. l. p. 224 seq. monet, hunc locum non causam continere superioris, in quo sit superbiæ significatio, sed aliud genus esse eorum, qui respuunt aliorum beneficia, quod suspicantur, alios non nisi cupiditate lucrique studio ad largiendum impelli. Itaque plenius vult post *acceperint* interpungi, ut c. 15, 54, et c. 21, 74. Quamquam id hic non magis fieri oportet, quam ante « patrocinio vero, etc. » quibus verbis quarta opulentorum nonnumquam eorumdem ratio inducitur. Opes enim et divitiæ cum nobilitate in multis sæpe gignunt superbiam, quæ ut minus divites homines putat inferiores, ita eos contemnit ab omnique liberalitate credit esse alienos, quibus

exspectari aliquid suspicantur; patrocinio vero[15] se usos, et clientes appellari, mortis instar putant. At vero ille tenuis, quum, quidquid factum sit, se spectatum, non fortunam putet[16], non modo illi, qui est meritus[17], sed etiam illis, a quibus exspectat[18] (eget enim multis), gratum se videri studet. Neque[19] vero verbis auget suum munus, si quo forte fungitur, sed etiam[20] extenuat: videndumque[21] illud est, quod si opulentum, fortunatumque defenderis, in illo[22] uno, aut forte in liberis ejus manet gratia; sin autem ino-

ne minimum quidem vult videri obligatus. Priorem particulam *aut*, quam Heusingg. ante *postulari* e suis codd. admiserunt, excludit Græviauus 1. Gern. — Sensus est: atque etiam, quum aliquod beneficium acceperint, tum suspicantur a se aliquid postulari aut certe exspectari.

15. *Patrocinio vero*. Alii addunt *tuo*. Si quid addendum, ego libeuter adderem *dici*. Ita enim naturalis loquendi ratio poscit. Facc. — In Græv. 1 legitur « patrocinio vero tuo se usos », quod ingeniosa Facciolati conjectura mutat in « patrocinio vero dici, etc. » Idem pro *aut clientes*, quod est in omnibus utriusque Heusingeri libris et plerisque reliquis, dedit *et clientes* cum Grævio, Oliv. Ern. et Heusingg. In promptu autem est, sive *aut*, sive *et* (quod potius est) legatur, vocem *clientes*, quæ habet aliquid ignominiæ, interposito verbo *dici*, e proprio suoque *appellari* capere majorem quamdam gravitatem. Quamquam jam ex verborum ordine et quod duo illa « patrocinio usos » ad unam eamque graviorem vocem *clientes* revocantur, additoque verbo *appellari*, sententiæ vis et natura elucere videbitur. Ita repudianda est Heumanni et Pearcii ratio « patrocinio vero usos clientes appellari », quasi esse cliens possit sine patrono, aut patrocinii nomen, remota clientela. Gern.

16. *Fortunam putet*. Gern. scribit *putat*. Sic et Schützius.

17. *Qui est meritus*. Qui beneficium dedit. Facc.

18. *A quibus exspectat*, similia beneficia.

19. *Neque verbo verbis*. Facciol. delet *vero*.

20. *Sed etiam*. *Etiam* imprr. vett. omnes omittunt, servatam a Gu. omnibus. — Hic ejus compendium inter *sed* et *ex* facillime ab alterutra syllaba absorberi potuit. Posita est autem pro *adeo*. Beier.

21. *Videndumque illud est*. Particula *quod* pendet e pronomine *illud*, ut I, 12 pr. Similis, non eadem ratio est eorum locorum, in quibus post verba sentiendi et dicendi sequitur *quod*, ut Epist. VII, 28 pr. « Memini, quod mihi desipere videbare », ad quem locum Manutius utrumque dicendi genus confundit. Gern. — Facc. scribit « videndum et illud est ».

22. *In illo uno, aut*, etc. Gernh. quem Schützius sequitur, transponit *in uno illo*.

pem, probum tamen et modestum, omnes non improbi humiles (quæ magna in populo multitudo est) præsidium sibi paratum vident[23]. Quamobrem melius apud bonos, quam apud fortunatos, beneficium
71 collocari puto. Danda omnino opera est, ut omni generi satifacere possimus. Sed si res in contentionem veniet[24], nimirum Themistocles est auctor adhibendus[25]; qui quum consuleretur[26], utrum bono viro pauperi, an minus probato diviti filiam collocaret: « Ego vero, inquit, malo virum, qui pecunia egeat, quam pecuniam, quæ viro ». Sed corrupti mores depravatique sunt admiratione divitiarum: quarum magnitudo quid ad unumquemque nostrum pertinet[27]? Illum fortasse adjuvat, qui habet; ne id quidem semper: sed fac juvare: utentior[28], sane fit; honestior

23. *Vident*, ideoque grati sunt ob spem acceptam futuri præsidii.

24. *Veniet.* Uter sit præferendus.

25. *Auctor adhibendus.* Themistoclis judicium est sequendum.

26. *Quum consuleretur*, etc. Quum unicæ filiæ pater eum consuleret, utri ex duobus filiam rectius collocari putaret. M. Heus. — Intp. gallicus ita vertit, ut intellexisse videatur: quum interrogaretur Themistocles utri suam (Themistoclis scilicet) filiam collocaret. Sed haud scio an vox *consuleretur* eodem sensu atque v. *interrogaretur* sumi possit: contra in eo sensu, quem probat M. Heus. hoc claudicare videtur, quod v. *collocaret* non habet subjectum cui referatur.— Plutarch in Them. p. 121, c. 18 extr. et Ἀποφθεγμ. στρατ. c. 38, ια', pag. 185, E, hoc ab eo dictum in suæ ipsius filiæ proco deligendo refert. A Cicerone stat Valer. M. VII, c. 2 extern. 8 (al. 9). Beier.

27. *Pertinet.* Divitiæ alienæ, earumque magnitudo quid ad nos, ut nostra judicia regant? Facc.

28. *Utentior* post Turnebum, Advers. XIX, 1, Gruterum, Græv. Oliv. et Ern. probatur J. F. Heusingero servatum in tribus libris Langii, totidem Angl. Græv. 1, Gu. 1, 2, μ et ψ. Lambinus, Fabriç. Facc. et Heuman. præferunt paucorum librr. lectionem *opulentior*. Reliqui libri scripti impressique vett. *potentior*, quod, ut *opulentior*, pro interpretamento habendum est rarioris illius participii, quod exemplo vocis *parentior*, I, 22, 76, adjectivi locum sustinet, recteque est a Grævio et J. F. Heusingero intellectum de eo, qui pluribus utitur ad vitam tuendam, ut Læl. c. 6, « divitiæ (opportunæ sunt) ut utare ». Gern. — *Utentior* est, is, qui pleniore pecunia fruitur ex eaque plus impendit in cultum vitæ; qui pluribus *utitur* ad vitam tuendam et sumptus majores facit. Turnebus, Advers. XIX, 1: « illud constat, inquit, potius hic

vero quomodo? Quod si etiam bonus erit vir, ne impediant divitiæ, quo minus juvetur, modo ne adjuvent[29]; sitque omne judicium[30], non quam locuples, sed qualis quisque sit. Extremum[31] autem præceptum in beneficiis, operaque danda est[32], ne quid contra æquitatem contendas, ne quid per injuriam[33]. Fundamentum enim perpetuæ commendationis et famæ, est justitia; sine qua nihil potest esse laudabile.

XXI. Sed quoniam de eo genere beneficiorum di- 72
ctum est, quæ ad singulos[1] spectant: deinceps de iis, quæ ad universos, quæque ad rempublicam pertinent, disputandum est. Eorum autem ipsorum partim ejusmodi sunt, ut ad universos[2] cives pertineant, partim

Ciceronem de *usu* divitiarum, quam de *potentia*, verba facere debuisse». Hic comparativus non magis offendere debet, quam I, 22, 76, *parentiores;* in Læl. 14, 50, *appetentius*, et Tusc. II, 24, 58, *appetentissimi*. Beier.

29. *Modo ne adjuvent.* Modo ne divitiæ ipsæ in causa sint, cur dives juvetur. Facc.

30. *Sitque omne judicium.* Atque id tantum consideretur.

31. *Extremum autem præceptum est.* Recte interpretatur J. M. Heus. « Extremo loco præcipiendum est ». Degen. magis sensum sequentium, quam usum loquendi, sequutus, « extremum præceptum » conjuncte accipit pro « summo et gravissimo præcepto ». Beier.

32. *Operaque danda est.* Id est in primis in iis beneficiis, quæ fiunt opera, ut hoc cap. pr. Grævius aliique, qui post *beneficiis* commate interpungunt, videntur hunc locum sic intelligere: Extremum autem præceptum in beneficiis illud est, ut opera detur, ne, etc. Gern.

33. *Per injuriam.* Sic Aldus, Veneti, Græv. in prima ed. Grut. Lamb. Lallem. et Facc. intp.—Ne cui operam tuam præstes contra jus et æquum, aut per injuriam alterius. Contra Gern. quem Schütz. sequitur, scribit *pro injuria*, notatque: Verbis *contra æquitatem* opponitur non *per injuriam*, sed *pro injuria*, quæ lectio est codicum utriusque Heusingeri. — Sed nihil dicit Gern. sua distinctione inducta; nam vel cum vulgata sensus hic optimus est: ne quid quod injustum sit obtinere velis, neve quid quod vel justum per se sit via injusta et mala ratione obtinere velis: hoc sensu bene vertit intp. gallicus: *contre l'équité et par la voie de l'injustice.* — Beier. Gernhardum sequitur, interpretans *pro injuria*, i. e. ad juvandam injuriam, quo vincat injuria.

XXI. 1. *Ad singulos spectant.* Ad privatos homines inter se. Facc.

2. *Ad universos cives pertineant.* Conferantur in universos, in totam civitatem, ita tamen, ut singuli nihil inde ferant: ut si quis agris, viris, vectigalibus imperium augeat. M. Heus.

singulos ut attingant, quæ sunt etiam gratiora. Danda est opera omnino[3], si possit[4], utrisque[5], nec minus, ut etiam singulis consulatur; sed ita, ut ea res[6] aut prosit, aut certe non obsit[7] reipublicæ. C. Gracchi[8]

— Ceterum, ut recte sensit J. M. Heus. alio sensu, nempe active dicebatur ante : « quæ ad singulos spectant (quæ singuli aut opera præstant, aut e re sua familiari largiuntur), quæ ad universos pertinent » (quæ magistratus et ii, penes quos est τὸ χαρίζεσθαι τὰ δημόσια, ex ærario omninoque publico sumptu largiuntur); hic autem passive, « ut ad universos cives pertineant (iis prosint), partim singulos ut attingant », e. g. ὀφλημάτων καὶ τελῶν ἄνεσις ἢ δόσις, privilegio quodam (πρὸς χάριν) singulis concessæ. Vide Plutarch. in Cat. Min. c. 18 pr. Sin autem cum Degenio utrobique eodem modo interpretari placuerit, absurdissima hæc divisio erit. Pronn. « eorum ipsorum » significant, eamdem divisionem esse et subjectorum et objectorum beneficentiæ. Beier.

3. *Danda est opera omnino*. Gern. quem Schütz. sequitur, scribit « danda opera est omnino ». Cum Ascensio, inquit, et Heusing. scripsi « Danda opera est omnino »; ut *omnino* ad *utrisque*, i. e. singulis et universis pertineat, pro « Danda opera est, ut omnino, si possit, utrisque consulatur ». Heusingero, qui ad *utrisque* conjunctionem alterius membri *ut* cum verbo intelligit, non assentior. Dativus pendet e verbo *Danda*, quæ structura ejusque variatio haud insolens est, hoc autem loco et superioribus et sequentibus verbis illustratur. Multo minus concedo Facciolato *ut* his scribenti. — Cum Gern. Beierus facit.

4. *Si possit*. Non sum ausus duo hæc verba movere; sed tamen a Cicerone post vocem *singulis* posita fuisse existimo. Facc. — Verum enim non dubitatur, an quis possit consulere, sed an possit universis simul atque singulis. Gern.

5. *Utrisque*. Facc. scribit *ut universis*, quia, inquit, vox *utrisque* nec ipsa per se hoc loco ferenda videtur, nec recte cohæret cum duabus, quæ proxime sequuntur, particulis. Sed mera hæc est Facciolati conjectura. *Utrisque* complectitur et universos et singulos, quibus cunctis non tamen satis est consulere, debebis etiam separatim singulis. Nam quæ in ærarium conferuntur, ad universos, simul ad singulos pertinent, sed minus grata hæc sunt, quam quæ in manus dantur. Item duplex genus curæ et operæ est, qua illud ut fiat, efficitur. Gern.

6. *Ea res*, qua singulis consulitur.

7. *Aut certe non obsit*. Gern. scribit « aut certe ne obsit ».

8. *C. Gracchi*. Cicero pro Sextio, c. 48 : « Frumentariam legem C. Gracchus ferebat. Jucunda res plebi romanæ. Victus enim suppeditabatur large sine labore ». Facc. — Cf. Appian. Alex. Civ. lib. I, p. 617 seq. Amstelod. — Nimirum ille tribunus pl. an. Urb. 630 legem tulerat « frumentariam, ut semisse et triente (h. e. tertia et dimidia parte assis vel dextante, ex nostra moneta trinis teruncciis cum dodrante, 3 $\frac{1}{4}$ *Pfennig*) frumentum plebi daretur », ut scribitur in Liv. Epit. 60. Cf. p. Sext. c. 48 extr. Tusc. III, 20, 48; Vell. Pat. II, 6, 3. De ea re Florus, II, c. 13, ad f. « emptio

frumentaria magna largitio; exhauriebat igitur ærarium: modica M. Octavii[9], et reipublicæ tolerabilis, et plebi necessaria; ergo et civibus, et reipublicæ salutaris. In primis autem videndum erit ei, qui rem- 73
publicam administrabit, ut suum quisque teneat, neque de bonis privatorum publice deminutio[10] fiat. Perniciose enim Philippus[11] in tribunatu, quum legem agrariam ferret, quam tamen antiquari[12] facile passus est, et in eo vehementer se moderatum[13] præbuit; sed[14] quum in agendo multa populariter, tum illud male[15]: « non esse in civitate duo millia hominum, qui rem haberent[16] ». Capitalis oratio[17], et ad æquationem bonorum pertinens: qua peste quæ potest esse major? Hanc enim ob causam maxime, ut sua tenerent[18], respublicæ civitatesque constitutæ sunt. Nam

frumenti ipsos reipublicæ nervos exhauriebat ærarium ». Quippe illud frumentum, plebi levissimo pretio vendundum, ex ærario emebatur. Beier.

9. *M. Octavii*. Qui frumentariam Gracchi legem moderatus est. Porro Octavii lex *necessaria* dicitur, quia lata est in magna annonæ caritate. Facc.

10. *Publica deminutio*. Ne lege deminuantur bona privatorum ad æquandas facultates civium, ut contendebant Gracchi. Facc.— Bene M. Heus. interpr. *publice*, publica auctoritate.

11. *Philippus*. Tribunus plebis anno Urb. 649. Facc.

12. *Antiquari*, rejici: hæc enim lex non accepta est.

13. *Vehementer se moderatum*. Beier. v. *vehementer* uncis includit, a MS μ, repudiatam, quia cum v. *moderatum* stare posse non videtur.

14. *Sed*. Hæc particula parenthesi interruptam orationem religat et continuat.

15. *Tum illud male*. Conj. Beier. « tum illud maxime ».

16. *Qui rem haberent*. Qui tantum possiderent, ut de suo vivere possent. Facc. — Cf. Sallust. Catil. 20.

17. *Capitalis oratio, et ad*. Quidam leg. « Capitalis oratio est, et ad ». Al. « Capitalis oratio est ad ». Al. « Capitalis omnino oratio est ad », vel « oratio, et ad ». — *Capitalis* dicitur, quod perniciosa est civitati. M. Heus.

18. *Sua tenerent*. Facc. scribit « sua tuerentur »,—Pearc. « sua tenerentur », quod mihi propter alterum passivum probaretur, si liceret dici *sua* pro *sua cujusque*, aut *sua cuique*. Quare recepi *sua tenerent*. Reliqui libri, impressique omnes *tuerentur*, frequenti errore. Vide I, 31, pr. II, 4, 15. Gern. — Civitatis autem principium et urbium Cicero eodem modo a « spe custodiæ rerum suarum » duxisse videtur in lib. I de Gloria, e quo apud Festum, l. XIII, hoc exstat fragmentum: « Oppidorum appellationem usur-

etsi, duce natura, congregabantur[19] homines, tamen, spe custodiæ rerum suarum, urbium præsidia quærebant.

74 Danda etiam opera est, ne (quod apud majores nostros sæpe fiebat, propter ærarii tenuitatem, assiduitatemque bellorum) tributum[20] sit conferendum; idque ne eveniat, multo ante erit providendum. Sin qua necessitas[21] hujus muneris alicui reipublicæ obvenerit (malo enim alteri[22], quam nostræ, ominari, neque tamen[23] de nostra, sed de omni republica dis-

patione appellatam esse existimo, quod opem darent », cum Varrone, L. L. IV, 32. Beier.

19. *Natura, congregabantur.* Hominibus naturale est congregari multo magis, quam apibus, ut dixit in lib. I, c. 44. Facc.

20. *Tributum*, quod a quoque cive exigatur; postea tributi cives immunes fuerunt, quia sufficiebant vectigalia, quæ pendebant subjecti populi, vel socii. — *Tributa* a civibus rom. in ærarii penuria exacta memorantur, e. g. apud Liv. XXIII, 48. Ejus modi onera publica imperata dicuntur *munia* : unde *municipes*, quibus ea imperari solent, et *immunes*, qui nihil conferunt. Beier.

21. *Sin qua necessitas hujus muneris.* Facc. mallet « hujus generis »; sed non opus est hac correctione, quum munus sit onus tributorum conferendorum. Gern. — Inde *municipes*, qui ea onera sustinent, *immunes*, qui bis ferendis carent. Cic. Agr. II, contra Rull. c. 17 : « Imperabitur aliquid muneris, non recusabunt ». — Pro *si qua* Gernhardus scribit *si quæ*, notatque : Eamdem pronominis fem. formam e duobus codd. idem J. F. Heusingerus restituit III, 4, 17, nullo tamen utriusque formæ constituto discrimine, quasi ante substantivum ubique *si quæ* scribendum sit, ad similitudinem adjectivi *si quod*. Equidem sic judico, ubi vis sententiæ sit in particula condit. *si*, pro *aliqua* casu nomin. sing. non *quæ*, sed *qua* scribendum esse. Contra « si quæ necessitas obvenerit », est aut ea necessitas, quæ obv. aut h. l. si quædam, i. e. si non minima, si quodammodo hujus muneris necessitas obvenerit. — Inde Schützius dedit *si quæ*. Multa de discrimine locutionum *si qua* et *si quæ* h. l. disserit Beierus, quæ nobis adeo incerta et dubia videntur, ut silentibus veteribus grammaticis, sapientius sit in his ignarum se fateri.

22. *Malo enim alteri.* Gern. vocem *alteri* tollit, notatque : Cogitatione repetendum esse *alicui* (alii reip.); non bis scribendum. — Vel cum J. F. Heus. supplendum : malo enim dicere hoc, sc. « sin ... alicui reip. obvenerit », quam nostræ ominari.

23. *Neque tamen.* Gern. scribit « neque tantum » cum Facc. Quum enim, inquit, videretur « alicui reipublicæ » tamquam per euphemismum dixisse pro « nostræ reipublicæ »; ne intelligi quidem vult solam romanam remp. sed omnem, i. e. totum genus. — Schütz. dedit *tantum*. — Si *tamen*

puto) : danda erit opera, ut omnes intelligant, si salvi esse velint, necessitati esse parendum. Atque etiam omnes, qui rempublicam gubernabunt, consulere debebunt, ut earum rerum copia sit, quæ sunt necessariæ [24]. Quarum qualis comparatio [25] fieri soleat, et debeat, non est necesse disputare. Est enim in promptu : tantum locus attingendus fuit.

Caput autem est [26] in omni procuratione negotii, et 75
muneris publici, ut avaritiæ pellatur etiam minima suspicio. « Utinam, inquit C. Pontius [27] Samnis, ad illa tempora me fortuna reservasset [28], et tum essem natus, si quando [29] Romani dona accipere cœpissent ! non essem passus diutius eos imperare ». Næ illi [30] multa

serves, hæc part. ad ea tantum quæ præcedunt, « malo enim... ominari », pertinebit, hoc sensu : et tamen non mihi necesse erat addere potius me dixisse « alicui ... reipublicæ », ne viderer male aliquid nostræ ominari; nam hac in disputatione non privatim de nostra, sed de omni rep. disputo.

24. *Necessariæ*, in quibus princeps locus est annonæ. M. Heus.

25. *Comparatio*, ratio qua comparantur.

26. *Caput est*. Primaria cura esse debet.

27. *C. Pontius*. Samnitium imperator tempore pacis Caudinæ sæculo Urbis quinto, optabat Romanos corrumpi pecunia posse. Facc. — De Pontio Telesino duce Samnitium Reizius in margine laudat Vell. Paterc. II, 27. Gern. — Minime cogitandum de Pontio Telesino, qui Samnitium Italico bello dux fuit. Intelligitur potius C. Pontius, Herennii F. Erasmus et J. M. Heus. credunt, hoc dictum, quum M'. Curius aurum, a Samnitibus sibi publice missum, repudiasset. Cat. Maj. 16, 3; Parad. VI, 2, 4; Valer. M. IV, 3, 5; Flor. I, 18, 22. Sed hoc factum esse post III Curii triumphum an. U. 478, innuere videtur Plutarch. in Cat. Maj. c. 2 pr. cf. ἀποφθεγμ. ςρατ. p. 194, F. β'. C. autem Pontius securi percussus est post Fabii Gurgitis triumphum an. U. 462, teste Liv. Ep. XI. Anno demum post Curius primo consul rem contra Samnites gessit. Beier.

28. *Reservasset*. Al. *servasset*. Facc.

29. *Si quando Romani*. Al. *quando Romani*. Facc. — Particula *si* e Græv. 1, plerisque editoribus probata legitur etiam in μ. A reliquis libris omnibus male abest. Gern.

30. *Næ illi*. In libb. vulgatis leg. « ne illi quidem » : in codicibus aliis *nec illi*. Facc. — *Næ* (certe, profecto) *illi* reposuit Langius, Turneb. Advers. c. 19. Lamb. Græv. ex suis et Heusing. et Gu. 1 et 2, in quibus, ut in reliquis, additum *quidem* est, *ne* scribitur. Reizius in margine edit. suæ scripsit « ne illi quidem » Venet. 1498. Gern. — Plerique critici intp. multa sæcula Pontio exspectanda fuisse, et

sæcula exspectanda fuerunt. Modo enim[31] hoc malum in hanc rempublicam invasit. Itaque facile[32] patior tum potius Pontium fuisse, siquidem in illo tantum fuit roboris[33]. Nondum centum et decem anni sunt, quum de pecuniis repetundis a L. Pisone[34] lata est lex[35], nulla antea quum fuisset. At vero postea tot leges, et proximæ quæque duriores; tot rei, tot da-

sæcula dici non pro centum annorum spatio, sed pro ætatibus hominum, quæ xxx circiter annis constant: quasi hac sententia bonos majorum mores laudare auctor voluerit. Nobis potius videtur intp. v. *næ* ironice dictam, ita ut h. l. Cic. reprehendat Romanos suæ ætatis, qui tam cito ab integritate majorum desciverunt: namque non multo plus quam ccxxx anni a mortuo Pontio tum elapsi erant; et sic duo tantum sæcula, ideo non multa Pontius exspectavisset.

31. *Modo enim.* Nam malum hoc cœperat ante Pisonis tribunatum, et ad fastigium pervenerat Ciceronis ætate, vel paullo ante. Facc. — *Modo* hic de tempore multorum, et quidem, si a Jugurthino bello rationem ducas, septuaginta amplius annorum dici, post J. F. Gronovium ad h. l. observat Ern. et Schütz. in Lex. Cic. s. v. n. 4, haud dubie propter C. Memmii verba ap. Sallust. in Jug. 13, sub fin. « Non peculatus ærarii factus est neque per vim sociis ereptæ pecuniæ : quæ quamquam gravia sunt, tamen consuetudine jam pro nihilo habentur ».

32. *Facile patior.* Hæc per litotem dicta sunt : significare vult felicitati fuisse reip. romanæ, quod illis temporibus olim Pontius vixisset, quia si hac ipsa ætate, qua scribit Cicero, natus esset, imperium pop. rom. oppressisset.

33. *Tantum fuit roboris.* Gern. quem Schütz. sequitur, delet *roboris.* Hanc vocem, inquit, quum abesset a Græv. 1, Heusingerus exclusit, docuitque *in illo* non ad Pontium referendum esse, sed ad « tum Pontium fuisse », hoc sensu : si quidem in illo quod Pontius tum vixit, tantum fuit, ut in ea re pop. romani imperium verteretur. — Nobis non sufficere videtur unius cod. auctoritas, ut vox *roboris* ejiciatur, quæ nihil habet in se aut inelegantis aut inepti. Ceterum, ea vel exclusa, sensus idem esse debere videtur atque hac voce servata, et dicit auctor : Quoniam in eo Pontio erat tantum virtutis et fortitudinis, ut imperium romanum, si minus bonis moribus fretum fuisset, potuisset evertere, lætor equidem eum nostra ætate non fuisse natum. Nam præcipue vult auctor probare remp. jam non vi sua, sed imbecillitate aliorum stare, ita ut nil nisi alter Pontius desit, ut ea funditus evertatur. — V. *roboris* Degenius restituit, improbante Beiero.

34. *L. Pisone.* A L. Pisone Frugi, tribuno plebis anno Urb. 604, lata lex est adversus eos, qui ob res judicandas pecuniam acciperent, et socios expilarent. Facc. — Vide Brut. c. 7 extr. Vide h. l. Beierum, qui colligit leges omnes quæ de primis repetundis latæ fuerunt.

35. *Lata est lex.* Gern. post J. F. Heus. e Gu. 1, 2, *lata lex est.*

mnati, tantum Italicum bellum[36] propter judiciorum metum excitatum; tanta, sublatis legibus et judiciis, expilatio direptioque sociorum, ut[37] imbecillitate aliorum, non nostra virtute valeamus.

XXII. Laudat Africanum[1] Panætius, quod fuerit abstinens. Quid ni laudet[2]? Sed in illo alia majora. Laus abstinentiæ[3], non hominis est solum, sed etiam 76
temporum illorum. Omni Macedonum gaza, quæ fuit maxima, potitus est Paullus[4]: tantum in ærarium pecuniæ[5] invexit, ut unius imperatoris præda finem

36. *Italicum bellum*. Sociale, vel Marsicum, excitatum a M. Livio Druso, qui, quum senatores ab equitibus, penes quos tunc judicia erant, cupidius repetundarum criminibus damnari viderentur, an. Urb. 662, « tribunus plebis, ut majoribus viribus senatus causam susceptam tueretur, socios et Italicos populos spe civitatis romanæ sollicitavit, iisque adjuvantibus .... judiciariam quoque legem pertulit, ut æqua parte judicia penes senatum et equestrem ordinem essent. Quum deinde promissa sociis civitas præstari non posset: irati Itali defectionem agitare cœperunt ». Liv. Epit. 71. Beier.

37. *Ut imbecillitate*, etc. Adhuc tamen imperamus, quia alii sunt imbecilles. Facc.

XXII. 1. *Africanum*, Minorem, cui Panætius familiaris erat.

2. *Quid ni laudet?* Int. certe hoc laudandum est.

3. *Laus abstinentiæ*. Multi scrib. « laus enim abstin. »

4. *Paullus*. L. Æmilius Paullus, pater naturalis Africani Minoris, qui Macedoniam subegit, et bis millies centies H-S ærario contulit; ut est apud Paterculum, lib. I, cap. 9. Facc.

5. *Tantum in ærarium pecuniæ*. Gern. scribit « tantam in ærarium pecuniam ». Hæc, inquit, MS Græv. 1, et Palat. lectio probata Grævio est et J. F. Heusingero. Reliqui codices et editiones, « tantum in ærarium pecuniæ ». Quod in Gu. 3 est, « tantumque pecuniæ in ærarium », deleta copula, facilius ferri posset. — Beierus vulg. servavit, qui notat: Liv. XLV, 40 pr. « Summam omnis captivi auri argentique sestertium millies ducenties fuisse, Valerius Antias tradit ». Tantumdem faciunt quinque millia talentum. Suidas autem refert « sena millia talentum »; Plutarch. in Paullo, cap. 32 extr. « argenti signati bis mille, ducenta et quinquaginta talenta, et (c. 33) auri », cujus valor argentum decuplo superasse æstimatur, « ducenta triginta et unum ». Quod si argenti talentum æquaveris nongentis thaleris: hæc summa 4560 talentum conficiet 4,094,000 thalerorum. Velleius P. I, 9, 6, numerat « bis millies centies H-S », i. e. ex Degenii calculo (nescio, quo) 6, e nostro 7,000,000 thalerorum: quibus ducenties H-S. (6666 $\frac{2}{3}$ thal.) addit Plinius, XXXIII, c. 3, sect. 17 extr. si quidem satis certa est lectio recepta: « Intulit Æmilius Paullus, Perseo victo, e Macedonica præda H-S bis millies et trecenties cent. mil. (ed. Paris, 1516: « Perseo

attulerit tributorum. At hic nihil domum[6] suam præter memoriam nominis sempiternam detulit. Imitatus patrem[7] Africanus, nihilo locupletior Carthagine eversa. Quid? qui ejus collega in censura fuit L. Mummius, numquid copiosior, quum copiosissimam[8] urbem funditus sustulisset? Italiam ornare, quam domum suam, maluit. Quamquam Italia ornata, domus
77 ipsa mihi videtur[9] ornatior. Nullum igitur vitium tetrius[10] (ut eo, unde degressa[11] est, referat se oratio), quam avaritia, præsertim in principibus[12] rempublicam gubernantibus. Habere enim quæstui rempublicam non modo turpe est, sed sceleratum etiam, et nefarium. Itaque quod Apollo Pythius oraculo[13] edidit, Spartam nulla re alia, nisi avaritia perituram, id videtur non solum Lacedæmoniis, sed et omnibus

rege Macedonico devicto, prædam pondo trium millium »): a quo tempore populus rom. tributum pendere desiit »: nempe per cxxv annos.—Cf. Tab. Nummorum, etc. ad Liv. t. XII.

6. *Domum.* Al. *in domum*, et postea *intulit* pro *detulit*. Facc.

7. *Patrem*, naturalem, Paullum.

8. *Copiosissimam urbem.* Corinthum, quam statuis et picturis spoliavit, quibus ornaret Italiam. Erat autem Mummius ita rudis et incuriosus harum rerum, ut quum tabulas ac statuas in Italiam portandas locasset, jusserit conducentibus prædici, si eas perdidissent, novas reddituros. Vell. Patercul. lib. I, c. 13. Facc.

9. *Mihi videtur.* Imprr. vett. *videtur mihi.* Pronomen a Gu. 4, atque ed. Andmocc. egregie abest. Gern.

10. *Tetrius.* In meo codice leg. *turpius:* in al. *deterius*. Facc.

11. *Degressa est.* Gern. scribit *egressa* post Heuss. adsentiente Beier.

12. *Principibus remp. gub.* Plerique libb. « principibus et rempubl. gub. »

13. *Oraculo edidit.* Alii leg. *oraculum:* et quidem fortasse melius pro latini sermonis natura et consuetudine. Facc.—J. F. Heusinger. statuit, duo illa « oraculo edidit » non esse a Cicerone. Ceterum « oraculo edere » recte censet Grævius Ciceroni non esse usitatum. Aliud enim illud est Episᵗ. ad Brutum, 2 extr. « Hæc ex oraculo Apollinis Pythii edita tibi puta », et Livii « Responsum oraculo editum ». Recentiorum Curtii et Velleii non multum valet auctoritas. Ipsum autem oraculum prodidit Plutarch. instit. Lacon pag. 239, Fr. Ἀλκαμένει καὶ Θεοπόμπῳ τοῖς βασιλεῦσι χρησμὸς ἐδόθη· ἁ φιλοχρηματία Σπάρταν ὀλεῖ. Schol. Aristoph. ad Εἰρήν. 622, et Suidas in voce δωροφαγοῦντες addunt ἄλλο δὲ οὐδέν· quæ verba Plutarch. l. l. omittit. Quapropter J. F. Heusinger. vocem *alia* vulgo post *nulla re* positam ejicit. Gern. — *Alia* Schütz. restituit.

opulentis populis, prædixisse. Nulla autem re conciliare facilius benivolentiam multitudinis possunt ii, qui reipublicæ præsunt, quam abstinentia et conti-
nentia. Qui vero se populares volunt[14], ob eamque 78
causam aut agrariam rem[15] tentant, ut possessores suis sedibus pellantur, aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant: ii labefactant fundamenta reipublicæ; concordiam primum, quæ esse non potest, quum aliis adimuntur, aliis condonantur pecuniæ; deinde æquitatem, quæ tollitur omnis, si habere suum cuique non licet. Id enim est proprium (ut supra dixi) civitatis atque urbis[16], ut sit libera, et non sollicita
suæ rei cujusque[17] custodia. Atque in hac pernicie rei- 79
publicæ ne illam quidem consequuntur, quam putant, gratiam[18]. Nam cui res erepta est, est inimicus; cui data, etiam dissimulat se accipere voluisse; et maxime in pecuniis[19] creditis occultat suum gaudium, ne videatur

14. *Se populares volunt*. Gern. quem Schütz. sequitur, scribit « populares se esse volunt ».

15. *Agrariam rem*. Qui de agrorum divisione leges ferunt ad æquanda civium bona, et qui de novis tabulis conficiendis ad æs alienum exstinguendum. Facc. — *De legibus agrariis populi rom.* est Ulr. Obrechti Diss. Arg. 1674, in-4, et in Opuscc. p. 109-132. Heynii Progr. « Leges agrariæ pestiferæ et exsecrabiles », Gottingæ 1793 f. et in Opuscc. IV, p. 350—373. Cf. Niebuhrii *Röm. Geschichte*, t. I, p. 450—455; II, p. 17—26, 64—66, 197 sq. 394 sqq. 394—402. Beier. — Si plura desideres, vid. h. l. Beierus, qui varias leges agrarias enumerat auctorum collectis locis.

16. *Civitatis atque urbis*. Prima voce homines intelligit eodem jure viventes, eaque interdum ita late patet, ut multa oppida complectatur; altera locum mœnibus septum. Facc. — Plato de Rep. VIII, p. 566, A. tyrannidem affectare ostendit quemque, ὃς ἂν, δήμου προεστὼς ..... ὑποσημαίνῃ χρεῶν τε ἀποκοπὰς (*tabulas novas*) καὶ γῆς ἀναδασμόν. Ib. E. ὑπισχνεῖταί τε πολλὰ καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ, χρεῶν τε ἠλευθέρωσε καὶ γῆν διένειμε δήμῳ τε καὶ τοῖς περὶ ἑαυτόν. Beier.

17. *Suæ rei cujusque*. In duobus MSS Manutii, duob. Ox. et ψ legitur *cuique*, quod J. F. Gronovius mutat in *cuique*, ceteris dissentientibus, tum Wyttenbachio in Biblioth. crit. I, p. 26, qui utitur exemplo, I, 33, 119, et III, 12, 53. Vide Heusingerum ad I, 7, 21, « ex quo quia suum cujusque fit ». Gern.

18. *Gratiam*. Goth. Vin. vulgati olim *gloriam*, ex compendio *griam*, fonte erroris.

19. *In pecuniis creditis*. Grævius in posteriore editione ex antiquioribus et

non fuisse solvendo. At vero ille, qui accipit injuriam, et meminit, et præ se fert dolorem suum; nec, si plures sunt ii, quibus improbe datum est, quam illi, quibus injuste ademptum est[20], idcirco plus etiam valent. Non enim numero hæc judicantur[21], sed pondere. Quam autem habet æquitatem, ut agrum multis annis, aut etiam sæculis[22] ante possessum, qui nullum habuit, habeat; qui autem habuit, amittat?

80 XXIII. Ac propter hoc injuriæ genus Lacedæmonii Lysandrum[1] ephorum expulerunt; Agim[2] regem (quod numquam antea apud eos acciderat) necaverunt; ex eoque[3] tempore tantæ discordiæ sequutæ sunt, ut et tyranni[4] exsisterent, et optimates exterminarentur,

emendatioribus libris legit « in iis pecuniis creditis », quod Pearcius cupide amplectitur, de iis pecuniis creditis intelligens, quæ novis tabulis condonantur. Hujus lectionis vestigium nullum mihi occurrit. M. Heus.

20. *Ademptum est.* Quia Gu. 4 transponit *est ademptum*, Beierus *est* delet. Quin ergo ocius statuit, ubicumque v. *est* transponitur in libro vel uno eam esse delendam? sic multum laboris iis criticis vitabit, quos non tædet in his graviter se exercere.

21. *Non enim numero hæc judicantur, sed pondere.* In his rebus non multitudo eorum, qui amici sunt vel inimici, consideranda est, sed causa benivolentiæ odiive. Contra Plinius, lib. II, Epist. XII, 5, « numerantur enim sententiæ, non ponderantur ». M. Heus.

22. *Multis sæculis. Multa sæcula* possessoribus dant auctoritatem præscriptionis immemorialis. Vid. Krug. Dicæol. pag. 161 sq. Sed legum agrariarum latores populi in agros publicos auctoritatem æternam, i. e. jus, cui nulla consuetudo possessionis detrahere posset, *imprtæscriptibile*, ut vocant, esse voluerunt. Beier.

XXIII. 1. *Lysandrum ephorum.* Non fuit hic Lysander Aristocliti filius, qui vicit ad Ægos potamos, ut plerique interpretes existimant, sed Lysander Libyos filius, ephorus, de quo Plutarchum in Agide vide. Græv.

2. *Agim.* Vide Plutarch. loco laud. Pausanias vero in Arcadic. lib. VIII, cap. 10 et 27, Agim ad Mantineam pugnantem ab hostibus interfectum scribit.

3. *Ex eoque.* Al. *exque eo.* Præpositiones enim monosyllab. cum conjunctione Cicero non respuit. Vide I, 34 pr.

4. *Tyranni.* Lacedæmoniorum tyranni fuerunt Agesipolis (Polyb. IV, 81 sq. V, 29), Machanidas et Nabis, qui crudelissime in omnes bonos sæviit. (Paus. VIII, 50, 2, 5; Plutarch. in Philopœmene; Liv. XXIX, 12 extr. XXXIII, 44 extr. XXXIV, 22-41.) Interfecto Nabide, Lacedæmonii a Philopœmene, abrogatis Lycurgi legibus, quæ per DCC annos valuerant, Achæis parere sunt coacti p. R. c. a.

et præclarissime constituta respublica dilaberetur. Nec vero solum ipsa cecidit, sed etiam reliquam Græciam evertit contagionibus malorum, quæ a Lacedæmoniis profectæ[5], manarunt latius. Quid? nostros Gracchos, Tib. Gracchi, summi viri, filios, Africani[6] nepotes, nonne agrariæ contentiones perdiderunt? At vero Aratus[7] Sicyonius jure laudatur: qui, quum ejus civitas quinquaginta annos a tyrannis teneretur, profectus Argis Sicyonem, clandestino introitu urbe est[8] potitus; quumque tyrannum Nicoclem improviso oppressisset, sexcentos exsules, qui fuerant ejus civitatis locupletissimi, restituit, remque publicam adventu suo liberavit. Sed quum magnam animadverteret in bonis et possessionibus difficultatem, quod et eos, quos ipse restituerat, quorum bona alii possederant, egere iniquissimum arbitrabatur, et quinquaginta annorum possessiones moveri[9] non nimis æquum putabat,

81 (margin, beside "At vero Aratus")

564. (Liv. XXXVIII, 34.) Mox tamen recuperata per Romanos pristina reipublicæ forma, pari cum ceteris Græciæ civitatibus jure in Achæorum fœdus recepti sunt, sed, eversa Corintho, tota Achaia in provinciæ formam redacta est. Sic cecidit respublica «disciplina institutisque memorabilis» (ut dicitur ib. XLV, 28), quæ laudabatur supra I, 22, 76 pr. Beier. — *Optimates*. Ephori. Facc. — *Optimates exterminarentur*. Vide Plutarch. in vita Cleomenis.

5. *Profectæ*. Sic Heusingg. e suis libris post Fabric. Oliv. Facc. probantibus Schützio et J. V. L. Gern. dat *profecta*. Hoc, inquit, restitui e duobus libb. Manutii, Goth. Gu. 2. Idem placet Manutio, Pearcio et Ernest. qui tradit Lambinum id reperisse in duobus MSS. Conjecit autem Lambinus *profecta* suis libris invitis. Proxima enim vox est *malorum*, quæ si serpunt latius, contagio fit. Gern. — Beierus Gernhardum sequitur.

6. *Africani nepotes*. Cornelia Africani majoris filia nupsit Tib. Graccho, et ex eo peperit Caium et Tiberium. Facc. — Vide Plut. in Tib. et C. Graccho; Vell. Paterc. II, 2 sqq.

7. *Aratus*. De eo vide Plutarchum.

8. *Urbe est potitus*. Al. «urbem est potitus». Facc. — Accusativum e quibusdam libris recepit Langius. Sed Manutii, Grævii et Heusingerorum codices tuentur usitatum casum ablativum. Gern. — Beier. dedit *urbem* provocans ad Tuscul. 1, 37, 90; de Fato, cap. 7; de Inv. II, 31, 95, ubi æque incerta lectio est.

9. *Moveri*. Al. *movere*. Facc. — Egregia lectio codicis Græv. 1 placuit etiam Grævio, Ernest. et Heusing. Cum reliquis libris Oliv. *movere*. Gern.

propterea quod tam longo spatio multa hæreditatibus, multa emptionibus, multa dotibus tenebantur sine injuria; judicavit, neque illis[10] adimi, neque his[11]
82 non satisfieri, quorum illa fuerant, oportere. Quum igitur statuisset, opus esse ad eam rem constituendam pecunia, Alexandriam se proficisci velle dixit[12], remque integram[13] ad reditum suum jussit esse : isque celeriter[14] ad Ptolemæum[15], suum hospitem, venit, qui tum regnabat alter post Alexandriam conditam; cui quum exposuisset, patriam se liberare velle, causamque[16] docuisset, a rege opulento vir summus facile impetravit, ut grandi pecunia[17] adjuvaretur. Quam

10. *Illis ademi*. Scil. præsentibus possessoribus.

11. *His*. Qui possessionibus olim injuste ejecti fuerant.

12. *Se proficisci velle dixit*. Verbum *velle*, quod non esset in Gu. 5 et Goth. Heusingerus delevit exemplo Epist. IX, 2 : « Proficisci ad me statim dixit» (Caninius). At minus probabile est, Aratum Alexandriam se profecturum dixisse, quum in eo esset ut abiret, sed cum reliquis civitatis principibus itineris consilium communicasse. Ceterum eidem Heusingero accidit, ut I, 14, 42, verbum *velle* in nonnullis libris omissum, quum non deberet, expelleret. Garn. — Gu. 2 hic scripsit *Alexandream*, eodemque modo paullo post, ut editur in Æmil. Prob. de Regib. XXI, 3, 4, et in Vell. Pat. II, 87, 1, ubi de hac rt exprimendi ratione vide Krause, cl. Gœrenzio ad Fin. V, 19, 54 pr. Contra I, 75, p. 174, in plerisque ll. scriptum est *Ariopagitas* et *Ariopagum*. Beier.

13. *Rem integram*. Scil. nihil in statu reipublicæ et fortunarum privatarum immutari.

14. *Isque celeriter*. Assentior Wyttenbachio in Biblioth. critic. I, 3, p. 27. Quum *isque*, inquit, de eodem dicatur Arato, de quo antecedentia dicuntur, videtur nulla ratione in hunc locum cadere, sed mutandum esse in *itaque*. Neque vir doctus mentem mutavit, quum l. l. II, 8, p. 82, moneret Heusingerum *isque* retinuisse, et in nullo libro suam correctionem inveniri. Quamquam non minus aptum videtur, quod mihi aliquando in mentem venit : *Atque celeriter*, etc. Garn. — Eæ nobis videntur minime necessariæ conjecturæ, quibus critici elegantiam suam et perspicuitatem in locutionum discrimine faciendo inaniter exercent.

15. *Ptolemæum*. Philadelphum, ejus filium, qui ex ducibus Alexandri fuit, et primus Alexandriam regio jure tenuit. Facc. — Regnavit Ægyptum ann. Urb. 471-507. De eo vide Justin. II, 16 extr. Beier.

16. *Causamque docuisset*. Scilic. suam, et patriæ, quo in discrimine versaretur ipse.

17. *Grandi pecunia*. Talentis cl, ut scribit Plutarchus. Facc. — Opina-

quum Sicyonem attulisset, adhibuit sibi in consilium quindecim principes, cum quibus causas cognovit et eorum, qui aliena tenebant[18], et eorum, qui sua amiserant; perfecitque[19] æstimandis possessionibus, ut persuaderet aliis[20], ut pecuniam accipere mallent, possessionibus cederent; aliis, ut commodius putarent, numerari sibi, quod tanti esset[21], quam suum recuperare. Ita perfectum est, ut omnes, concordia constituta, sine querela discederent. O virum magnum, 83
dignumque, qui in nostra republica natus esset! Sic par est agere cum civibus, non, ut bis[22] jam vidimus, hastam[23] in foro ponere, et bona civium voci subjicere præconis. At ille Græcus (id quod fuit sapientis et præstantis viri) omnibus consulendum putavit: eaque est summa ratio et sapientia boni civis, commoda civium non divellere[24], atque omnes æquitate eadem continere. Habitent[25] gratis in alieno. Quid

tur Degen. Aratum æs alienum contraxisse apud Ptolemæum. At hic picturas egregias, ab Arato e Græcia iterum iterumque sibi missas, *remuneratus* est CL talentis (Plutarch. c. I, 3 extr.), quæ non 150,000, sed 202,500 florenis æquiparanda sunt. Beier. — Cf. Tabulam ad Liv. t. XII, p. 117.

18. *Tenebant*. Goth. Vin. Gu. quint. omnesque imprr. vett. ap. J. F. Heus. *detinebant*.

19. *Perfecitque*. Gu. sec. a correctore, quart. quint. omnesque imprr. vett. *præfecitque;* Gu. tert. *præfecitque eos*. J. F. Heusing. — *Perfecitque*, etc. Alii pecunia contenti cesserunt possessionibus exsulum; alii ex ipsis exsulibus, pecuniam maluerunt, quam possessiones: atque ita satisfactum est omnibus. Facc.

20. *Ut persuaderet aliis*. Goth. Oxx. Londin. cum principp. edd. Rom. Ven. Arg. Ald. Gu. sec. tert. omnibusque imprr. vett. apud J. F. Heusing. *ut persuaderent aliis*, quod a Pearcio revocatum.

21. *Quod tanti esset*, pretii, quanti possessiones quas amiserant.

22. *Bis*. Sulla primum, deinde Cæsare dictatoribus. Facc.

23. *Hastam*. Vid. cap. 8 supra.

24. *Non divellere*. Al. *defendere, non divellere*. Facc. — Particula *atque* intensivam vim habet, ut Parad. VI, 1: «Si testamenta amicorum exspectas, aut ne exspectas quidem, atque supponis». Plura exempla collegit Gœrenz. ad Leg. III, 14, 32. Gern. — Omnium utilitati pariter consulere; non una civium parte neglecta, alteram tueri. M. Heus.

25. *Habitent*. Nullus dubito, quin vera sit hæc lectio, non *habitant*. Arati nimirum æquitas Ciceroni in

ita[26]? Ut, quum ego emerim, ædificarim, tuear, impendam, tu, me invito, fruare meo? Quid est aliud,
84 aliis sua eripere, aliis dare aliena? Tabulæ vero[27] novæ quid habent argumenti[28], nisi, ut emas mea pecunia fundum; eum tu[29] habeas, ego non habeam pecuniam?

XXIV. Quamobrem, ne sit æs alienum[1], quod reipublicæ noceat[2], providendum est; quod multis rationibus caveri potest: non, si[3] fuerit, ut locupletes

mentem revocat non ferendam illam iniquitatem, quam extremo cap. 22 notavit, ut abruptius dicat « Habitent gratis, etc. » i. e. contra, quam iniquum est velle, ut ii, qui nullum fundum habent, habitent gratis in alieno. Ita non opus est, ut legum agrariarum denuo injiciatur mentio, quam desiderat Heumannus in parerg. crit. p. 26, qui h. l. aliquid abesse putat. — Recte Turnebus, Adv. XIX, 1, notavit sensum figurarum: « Habitarene debent gratis in ædibus alienis? » Indicavimus igitur interrogationem, ut III, 68 extr. Fortasse etiam corrigendum *Habites*, nisi forte ad *Habitet*, quod est in μ et edit. Ven. 1506, subaudire placet *quis*. Beier.

26. *Quid ita?* quem ob finem?

27. *Tabulæ.....novæ.* Quibus æs alienum debitoribus condonabatur. Facc. — Vulgo dicuntur « codices accepti et expensi », nempe « argenti »; « ratio domestica », quæ patris familiæ continet censum. Itaque « expensi lationi », qua quis, se aut mutuum dedisse, aut æs alienum solvisse, in codice suo perscripsisset, respondebat « accepti latio », qua quis aut debitorem se profiteretur, aut jam sibi satis factum esse creditori. Non numquam vero ab hominibus rerum novarum cupidis et factiosis perlatum est cum ruina reipublicæ, ut omnia debitorum nomina aut antiquarentur aut mutarentur per totum imperium romanum ita, ut creditores aut omnia, quæ iis debebantur, aut partem de sorte amitterent (78 seq.), factis tabulis novis. De his Grævio laudatur Jo. Schefferi dissertatio. Pearcius autem annotavit, irrita veterum tabularum auctoritate fieri potuisse, ut, qui ante legem pecuniam ad fundum emendum mutuatus esset, post legem et fundum emptum et pecuniam etiam creditam, qua emptus esset, sibi retineret, creditor autem nec fundum, nec pecuniam suam recuperaret. Beier.

28. *Quid habent argumenti.* Quid sibi volunt aliud?

29. *Eum tu.* Al. *et eam tu*, al. *quum tu*. Facc.

XXIV. 1. *Æs alienum.* Quo premuntur cives singuli.

2. *Quod reip. noceat.* Id fit, quum fœneratores nimio fœnore civitatem premunt: unde seditiones. Facc.

3. *Non, si*, etc. Non vero, si sit æs alienum, per novas tabulas fraudare creditores. Facc. — Lectionem Facciolati sequor, non interpretationem, quæ eadem est Fabricii. J. M. Heusinger. comprobante Wyttenbachio in Biblioth. crit. I, 3, pag. 26, legit « si non fuerit ». Sed præstat optimorum codd. lectio eo sensu, qui placet J. F. Heusingero, « non (caveri potest, ne sit æs alienum quod reip. noceat) si fuerit », i. e. si rem

suum perdant, debitores lucrentur alienum. Nec enim ulla res vehementius rempublicam continet, quam fides : quæ esse nulla potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum. Numquam vehementius actum est[4], quam me consule, ne solveretur. Armis et[5] castris tentata res est ab omni genere hominum et ordine : quibus sic restiti[6], ut hoc tantum[7] malum de republica tolleretur. Numquam nec majus æs alienum fuit; nec melius, nec facilius dissolutum est. Fraudandi enim spe sublata, solvendi necessitas consequuta est. At vero hic nunc victor[8], tum quidem victus, quæ co-

sic instituunt, ut locupletes suum perdant, etc. In aliis libris est « si non hoc fuerit » : in al. « si hoc non fuerit ». Reiz. in margine editionis suæ scripsit : *si non* Heusing. Obs. antib. pag. 405. Gern. — Langius, cui Sch. assentitur, int. sin vero jam est contractum, non per leges agrarias, non per novas tabulas, quærenda ratio ejus dissolvendi. Atque Langius optime sensum vidit, sed non erroris communis causam indicavit, nec omnino veram loci rationem percepisse videtur. Turba ex hoc orta est, quod voces « non ut », quæ alias semper proxime junguntur, hoc loco vv. « non fuerit » disjunctæ sunt. Sed eadem loci omnino ratio atque si scriptum fuisset, « non ut, si fuerit, locupl. » Si ita scriptum fuisset, quis non vim vv. *non ut* percepisset, quæ est gallice, *mais ce n'est pas à dire pour cela que*. Sic Horatius ad Pison. princ. dicit varietatem in poematibus quærendam esse, « non ut Delphines avibus geminentur, tigribus agni ».— Vel forsan potius, ut observat Bavius Voord. *ut* respondet per oppositionem præcedenti *nec sit*, ita : providendum est ne sit æs alienum; si fuerit, non providendum est, etc.

4. *Vehementius actum est.* Primum a tribunis plebis, novas tabulas et leges agrarias proponentibus, tum et ab aliis, qui cum Catilina vel conjuraverant, vel, fortuna illi adspirante, societatem coituri erant. M. Heus.

5. *Armis et castris.* Modus proverbialis; quemadmodum dicitur « velis remisque ». Facc.

6. *Sic restiti.* J. F. Heusing. ex Gu. omnibus, et Gryph. post Ascens. et P. Balduin. *ita restiti*, et sequuntur Gern. et Schütz. nobis *sic* majorem vim et sono et sententiæ dare videtur.

7. *Hoc tantum.* Alii, *hoc totum.* Facc. — *Hoc tantum malum.* Nempe æs alienum (de cujus magnitudine cf. Catilin. II, 2, 4 extr. 3, 5, 4, 8 extr. 8, 18, 10, 21) fraudandique spes. Hanc enim Cicero eripuerat jam orat. II Catilinaria ad Quirites, cap. 9, 18. Beier. — Cf. ad Att. IX, ep. 9, sect. 9; Ernest. de negotiatoribus rom. in opuscc. philoll. critt. pag. 11 seq. — *Auctione facta.* Id est, debitorum bonis sub hasta positis et venditis, æs alienum solutum esse monet Beierus, quem vide, si plura desideras.

8. *Hic nunc victor.* Jul. Cæsar. Facc. — Imprr. vett. Manut. Pearc.

gitarat[9], ea perfecit[10], quum ejus jam nihil interesset. Tanta in eo peccandi libido fuit, ut hoc ipsum eum delectaret, peccare, etiam si causa[11] non esset.

85 Ab hoc igitur genere largitionis, ut aliis detur, aliis auferatur, aberunt ii, qui rempublicam tuebuntur; in primisque operam dabunt, ut juris, ut[12] judiciorum æquitate suum quisque teneat, et neque tenuiores propter humilitatem[13] circumveniantur, neque locupletibus ad sua vel tenenda[14], vel recuperanda obsit invidia; præterea quibuscumque rebus vel belli, vel domi poterunt, rempublicam augeant[15] imperio, agris, vectigalibus. Hæc magnorum hominum sunt; hæc apud

« hic noster victor ». Lambinus mavult « hic noster nunc victor », suffragante Gu. 5. Gern.

9. *Quidem victus... cogit.* Oppressa Catilinaria conjuratione, cujus particeps fuerat: quia et ipse eo tempore ære implicatus alieno, in rebus novis salutem quærebat. Facc. — Vide Sallust. Catilin. cap. 49; Plutarch. Cæs. cap. 5 et seqq. Vinar. quinque Angl. imprr. vett. Vict. Manut. « hic noster victor nunc quidem victus », scilicet occisus. Gern.

10. *Ea perfecit.* Non recte hæc cepit Langius de agris publicis, quos egentibus largitus est. Intelligenda sunt de æstimationibus possessionum, per quas quarta parte crediti creditores sunt fraudati. Sueton. Jul. 42; Cæsar de Bell. Civil. III, 1. Sequentia quoque « quum ejus nihil interesset », respiciunt illa tempora, quibus Cæsar, spoliata Gallia, ære alieno, quo laboraverat maxime, liberatus erat. Sueton. in ejus vita, cap. 18. J. F. Gron.

11. *Etiam si causa,* etc. Causam enim Cæsar fraudandi non amplius habebat, quum ipse non amplius egeret. Facc.

12. *Ut juris, ut.* Sic Ernest. inquit Gern. nescio an ullius libri auctoritate: omnes enim « ut juris, et » præbent.

13. *Propter humilitatem.* Facc. cum Goth. Vinar. imprr. vett. Ascens. « propter imbecillitatem ». Item ex octo suis libris Manutius, qui judicat *imbecillitatem* vix glossema esse posse vocis *humilitatem*. Verum *imbecillitas* est in voce *tenuiores* quodammodo significata, eorumque est, in quibus non satis est virium ad resistendum. *Humilitas* autem est ejus, qui se patitur opprimi, propter quamdam ex paupertate et ignobilitate acceptam animi debilitatem. Vide Fin. I, 15. Ita servanda est lectio *humilitatem*, quam tuentur multi codd. Gern. — Beierus contra Gernhardum *humilitatem* intp. eam conditionem, in qua est ille qui caret ope necessaria ad resistendum injuriæ: melius, ut nobis videtur.

14. *Tenenda.* Gu. quart. unus Ox. Vin. quart. Lang. *tuenda*. *Tenenda* melius opponitur v. *recuperanda*.

15. *Augeant.* Ii qui rempublicam tuebuntur.

majores nostros factitata : hæc genera officiorum qui persequuntur[16], cum summa utilitate reipublicæ magnam ipsi adipiscentur[17] et gratiam, et gloriam.

In his autem utilitatum præceptis Antipater[18] Tyrius, 86
stoicus, qui Athenis nuper est mortuus, duo præterita censet esse a Panætio, valitudinis curationem et pecuniæ[19]. Quas res a summo philosopho præteritas arbitror, quod essent faciles : sunt certe utiles[20]. Sed valitudo[21] sustentatur notitia sui corporis; et observatione[22], quæ res aut prodesse soleant, aut obesse;

16. *Persequuntur*. Al. *sequuntur*, al. *persequentur*. Facc. — Hæc varietas est paucorum librorum Manutii.

17. *Ipsi adipiscentur*. Ejusdem libri duo cum Gu. 3 et 5 mox *adipiscuntur*. Ascensius, Anemœc. et Facciol. pro « ipsi adipisc. » dederunt « sibi adipisc. », quod verum putat J. F. Heusingerus. Exempla hujus dativi cum verbo *adipisci* a Cicerone conjuncti desidero. Gern.

18. *Antipater Tyrius*, *Stoicus*. Hic alius est ab illo Antipatro Syrio, qui æqualis fuit Carneadi, quem scriptis oppugnavit, quum coram non auderet cum illo congredi, unde dictus est *καλαμοβόας*, quasi qui calamo clamaret, ut auctor est Plutarchus de garrulitate. Dicebatur etiam Antipater Sidonius, ab aliis Tarsensis, III, 51, memoratus. Sed hic longe recentior est, æqualis Ciceroni et Catoni Uticensi. Græv. — De diversis Antipatris disputarunt Jonsius de scriptt. hist. philos. I, 13, 3, p. 82; Purgold. in Obss. p. 342; Jacobs in Animadvv. in Anthol. Gr. vol. III, Part. III, pag. 487 seq. Beier.

19. *Valitud. curationem et pecuniæ*. Stoici valitudinem et pecuniam ponebant inter commoda vitæ, quamvis non ponerent inter bona; ideoque de utriusque curatione præcipi posse putabant. Facc.

20. *Sunt certe utiles*. Heumanno et J. M. Heusing. hæc aliunde accessisse videntur, sic, puto, interpretantibus : si minus faciles sunt, sunt certe utiles : quo nihil ineptius. Recte de hoc loco disputavit Hottingerus in not. ad versionem, pag. 228. Sensus is est : Panætius, opinor, has res præteriit, quod per se essent ad intelligendum faciles. Certe non propterea præteriit, quod eas non in utilibus rebus haberet : sunt enim sane utiles. Gern.

21. *Sed valitudo*. Particula *Sed* gratis addita ab aliquo grammatico videtur. Interdum servit transitioni, sed hic vacat. Facc. — Heumannus eamdem particulam mutat in *scilicet*. Assentior Heusingero sic interpretanti *Sed*, ut aliquid de his dicatur, quæ Panætius omisit, « valitudo sustentatur ». Idem statuit Gottleber. Specim. IX. Vide cap. 25 pr. « Sed utilitatum, etc. » Gern.

22. *Et observatione, quæ res*. Facc. cum Vin. quatuor Oxx. pluribus Manut. Venet. Arg. « et observatione earum rerum, quæ res ». Sed has voces omittunt antiquiores codices. Sequentium verborum structura pendet e substantivo *observatione* (observando).

et continentia in victu omni, atque cultu[23], corporis tuendi causa; et prætermittendis[24] voluptatibus; postremo arte eorum[25], quorum ad scientiam hæc per-
87 tinent. Res autem familiaris quæri debet iis rebus, a quibus abest turpitudo; conservari autem diligentia, et parcimonia; iisdem etiam rebus augeri. Has res commodissime Xenophon Socraticus persequutus est in eo libro, qui Œconomicus inscribitur: quem nos, ista fere ætate quum essemus, qua es tu nunc[26], e græco[27] in latinum convertimus.

88 XXV. Sed utilitatum[1] comparatio, quoniam hic locus erat quartus[2] a Panætio prætermissus, sæpe est

Vide cap. 6, 22, «aut spe, sibi id utile futurum». Plura exempla vide apud Heusingeros.

23. *Cultu. Cultum*, quæ v. Degenium hic non magis offendere debebat, quam 4, 15, referimus ad munditiem, ad balineorum usum, ad exercitationes, etc.

24. *Prætermittendis*. Non quærendis. Facc.

25. *Eorum*. Medicorum, quos domi suæ plerique Romanorum principes habebant.

26. *Qua es tu nunc*. Annum filius tum agebat XXI. Vide ad lib. I, cap. 1 pr. M. Heus.

27. *E græco in latinum convertimus*. Verba *e græco* in Gu. 1 omissa suo jure uncis inclusit J. F. Heusing. Atque hoc magis probabile est a glossatore hæc esse addita, quod in Gu. 3 eadem explicatius leguntur «e græco transtulimus», ejectis verbis *in latinum*. In Gu. 5, quum verba «in latinum convertimus» omissa essent, corrector supplevit «e græco transtulimus in latinumque convertimus». Aptissimum est exemplum, quod Heusingerus laudat Tuscul. III, cap. 14: «Itaque apud Euripidem a Theseo dicta laudantur. Licet enim, ut sæpe facimus, in latinum illa convertere». Gern. — Beierus cum Schützio vv. *e græco* delevit. Nobis autem, quamquam supervacua, non adeo orationem inquinare videntur, ut contra omnium libb. conjurationem ejiciantur. Nam si nihil addunt, certe nihil officiunt, nec similia desunt in omnibus linguis pleonasmorum exempla. —Si fides habenda Divo Hieronymo, X, Tullius in eo lusit. «In quo opere, inquit, ita sæpe aureum illud flumen eloquentiæ quibusdam scabris et turbulentis obicibus retardatur, ut, qui interpretatum nesciunt a Cicerone, dicta non credant». Fragmenta collecta exstant in ed. Ernest. IV, II, pag. 1067-70, edit. Schütz. XVI, II, pag. 67-71, et in Bachii Præfat. edit. suæ Xenoph. OEcon. a Zeunio repetitæ, p. 21-26. Beier.

XXV. 1. *Utilit. comparatio*. Quæ res utilior sit alia.

2. *Locus erat quartus*. Primus locus: honestumne sit, an non. Secundus: utilene sit, an non. Tertius: ex duobus honestis utrum honestius.

necessaria. Nam et corporis commoda cum externis, et externa cum corporis, et ipsa inter se corporis, et externa cum externis comparari solent. Cum externis, corporis hoc modo comparantur[3]: Valere ut malis, quam dives esse. Cum corporis externa, hoc modo: Dives esse potius[4], quam maximis corporis viribus. Ipsa inter se corporis sic: Ut bona valitudo voluptati anteponatur, vires celeritati. Externorum autem[5], ut
gloria divitiis, vectigalia urbana rusticis[6]. Ex quo 89
genere comparationis illud est Catonis senis: a quo quum quæreretur, quid maxime in re familiari expediret, respondit, Bene pascere[7]. Quid secundum? Satis bene[8] pascere. Quid tertium? Male pascere[9]. Quid

Quartum: ex duobus utilibus utrum utilius. Facc. — Quartum hunc locum Panætius prætermiserat, quum tres ceteros tractavisset.

3. *Comparantur.* H. v. quasi glossema ejecit Beierus, auctoritate Gu. 3 et unius Aldi.

4. *Dives esse potius.* Recte intelligit Heusingerus patruus *ut* et *velis* ex superiore *malis*. Ita non opus est Pearcii correctione « dives esse potius sit, quam ». Gern.

5. *Externorum autem.* M. Heusing. subintelligit *e numero;* et posset subaudiri: comparatio fieri potest.

6. *Vectigalia urbana rusticis.* Reditus ex possessionibus urbanis, qui uberior et certior erat, quam ex rusticis. M. Heus. — *Catonis.* Ipse R. R. 61, (62) 1: « Quid est agrum bene colere? bene arare. Quid secundum? arare. Quid tertium? stercorare ». Beier.

7. *Bene pascere.* Rem pecuariam quam amplissimam habere, magnosque pecoris greges, et lecta jumentorum armenta. J. F. Gronov.

8. *Satis bene*, Hoc Columellæ loco infr. laud. et Plin. est *mediocriter.*

9. *Male pascere.* Quia veteres rem pecuariam plurimi faciebant, unde et pecuniæ inditum nomen; idcirco etiam *male pascere* utilius putabant, quam in aliis agricolationis partibus occupari. Vide Columellam in Præf. lib. VI, ubi firmatur locus hic ceteroquin vexatus a grammaticis. Facc.—Vide etiam Plin. H. N. XVIII, 5. Eadem fere tradit Columella l. l. Tum sic pergit: « Ceterum de tam sapiente viro piget dicere, quod eum quidem auctores memorant eidem quærenti, quodnam tertium in agricolatione quæstuosum esset, adseverasse, si quis vel male pasceret ». Vix licet dubitari, his verbis notari Ciceronem, sed Columellam non intellexisse vim verborum *Male pascere*, quæ Hottinger. reddit leniore vocabulo *gemeine Viehzucht*, tenuia pascua, quæ exiguum quidem fructum ferunt (si majorem speraveris), sed aliquem tamen. Vide notam Hottingeri ad h. l. p. 229 et sqq. Alii *male pascere* mutant in *bene vestire.* P. Balduinus vetusti cujusdam exemplaris lectionem *Bene vitire* sinceram

quartum? Arare [10]. Et, quum ille, qui quæsierat, dixisset, Quid fœnerari? Tum Cato, Quid hominem, inquit [11], occidere? Ex quo, et multis aliis, intelligi debet, utilitatum comparationes fieri solere; recteque hoc adjunctum esse quartum exquirendorum officiorum genus.

90 Sed toto hoc de genere, de quærenda, de collocanda pecunia, etiam de utenda [12], commodius a quibusdam

putat ad Plinii l. l. qui paullo ante eidem Catoni hæc tribuit: « Ille (Cato) in agro quæstuosissimam judicat vitem, non frustra, etc. » (Et *bene vitire* invenere Langius et Nonius Misc. IX, 11 extr. et est in ed. Ven. 1502, testaturque Fabricius in scripto libro domus Hieronymi Colòniæ margini adscriptum legi *et vitire*.) Pearcius vehementer errat, qui corrigit *Non male pascere*. Similiter Demosthenes ad locorum ordinem pretium constituit actionis, quæ in dicendo plurimum possit, apud Ciceronem in Bruto, cap. 38, 142, quocum loco compar. Orat. cap. 17, 56: « ut jam non sine causa Demosthenes tribuerit et primas et secundas et tertias actioni ». Gern.—Schütz. vv. *Male pascere. Quid quartum?* uncis includit.

10. *Arare.* Quia agricultura pluribus cæli et tempestatum injuriis subjacet, quas vitare nulla prudentia potest. M. Heus.

11. *Quid hominem, inquit, occidere?* Verbum *inq.* in Gu. 3, 5, et imprr. vett. ponitur post *Quid:* in Gu. 4 non male omittitur. Gern.—Et h. v. Beierus delevit.—*Hominem occidere.* Quia fœneratores plerumque modum excedunt, et homines quodammodo enecant emungendo. Facc. — Fœneratores occidunt, ut præconis vox et bonorum emptores reliquias vitæ lacerant in orat. pro Quintio, cap. 15. Vide J. F. Gronov. Observ. IV, 24, p. 795. Gern.

12. *Etiam de utenda.* Gern. post Facc. scribit « vellem etiam de utenda ». Quidam, inquit, omittunt *vellem*, quod servatur in vetusto codice C. Langii. Etenim fœneratores hic perstringuntur, quorum una scientia est quærendæ et collocandæ pecuniæ. Hæc autem nullam habet laudem, nisi accedat optimus pecuniæ usus, quem isti, qui quovis modo corradunt, nesciunt. Idem sentit Hottingerus in nota ad h. l. p. 232, ubi castigat J. F. Heusingerum misere animadvertentem danistas crebro (scil. apud Plaut. Curcul. III, 10) sermonibus suis, quos de re pecuniaria instituunt, salutaria pecuniæ utendæ præcepta admiscere. Sed tamen idem Heusingerus mox post C. Langium judicat non sine εἰρωνείᾳ a Cicerone invisum illud genus (v. I, 42 pr.) dici *optimos viros*, ut T. Roscium pessimum hominem in orat. pro Rosc. Amer. cap. 8, et 36, *optimum virum*.—In hoc Beier. Hottingero assentitur: idemque vv. *vellem... utenda* parenthesi includit, v. *vellem* ita tuetur, ut iis quæ observat Gern. addit: Sed, quod rem dirimit, de Div. II, 4, 11 pr. hæc, « quemadmodum utendum pecunia », diserte ad locum de officio, proprium illum philosophorum, referuntur. Cf. h. l. 56. Quo modo igitur fœneratores de eo disputa-

optimis viris, ad medium Janum[13] sedentibus, quam ab ullis philosophis ulla in schola disputatur. Sunt tamen ea cognoscenda. Pertinent enim ad utilitatem, de qua hoc libro disputatum est. Reliqua deinceps persequemur.

bunt illis commodius? Beier. — Contra senserat Gronov. qui notat : Fœneratores *optimi viri* dicuntur non εἰρωνικῶς, ut ait Langius, sed quod illorum maxime intersit sentire cum bonis, hoc est cum iis, qui pacem, otium, rempubl. tranquillam et salvam velint.

13. *Ad medium Janum.* Gern. transpon. « ad Janum medium », adsentiente Beiero.—*Medium Janum*, Vicus nomine *Janus*, ubi considebant fœneratores, trapezitæ, mercatores. Sed fœneratores medium tenebant. Itaque Horatius, lib. II, Sat. 3, v. 18 : « Omnis res mea Janum Ad medium fracta est ». Facc. — Primi vici pars, summus Janus; media, medius; ultima, imus vocabatur. Unde Horatius : « O cives, cives, quærenda pecunia primum est : Virtus post nummos. Hæc Janus summus ab imo Perdocet ». Manut.—Cf. Excursum huic libro statim subjectum.

EXCURSUS

AD *JANUM MEDIUM*, OFF. II, 25.

Non probamus reductum a Schützio ordinem vulg. « ad medium Janum ». Sic enim tertius quidam Janus opponeretur duobus aliis: quæ quidem Degenii est opinio, eadem, quæ Adleri in *Beschreibung der St. Rom.* pag. 191, et Buttmanni in diss. *über den Janus* in *Abhandlungen d. historisch-philol. Klasse d. K. Preuss. Akad. d. Wissenschaften a. d. I*, 1816, pag. 136, qui V. D. non debebat abuti auctoritate Livii, XLI, 32. Hunc enim non de urbis, sed de coloniæ (nescio, cujus) ædificiis loqui, monuerat jam Casaubonus ad Sueton. Aug. 31 extr. Insuper etiam obstat auctoritas P. Victoris, qua infra utemur. M. Heusing. aliique Janum nobis perhibent vicum, auctore, ut videtur Porphyr. ad Horat. Ep. I, 20, 1, et L. Joann. Scoppa, qui vicum Tuscum a templo, quod ibi fuerit, Jani appellatione usurpatum esse affirmat Collectan. cap. 2, in Gruter. Lamp. I, 895, ubi hæc leguntur: « Quod summus Janus dicitur summa pars vici, in quo colebatur Janus et templum habebat, Cornutus philosophus de urbis Romæ antiquitate, ad Palæmonem grammaticum hæc scribens, apertissime indicat : inquit enim : « Jani templum biforis [an *biformis?* ut Ovid. Fast. I, 89; Macrob. Sat. I, 9; de quo vid. *Palmié* in Programmate Berolini 1820 edito] in clivo Capitolino vetustissimum crustatis marmoreis vel e Pariis columnis vidimus : quia in medio ejus clivi summitas, Janus summus, et imus in extremo clivo appellatur : ubi Puteal et fœneratores incolerent ». Hæc Cornuti, ad quem præter Nannium, Miscell. IV, cap. 13 (ap. Grut. I, 1282), qui tamen, Scoppæ se legere vestigia, non dissimulavit, provocat Brodæus quoque, Miscellan. II, 19 (Grut. II, 481), undenam de-

prompta? — Ex Ovidii Fast. lib. I, 257 sq. Hier. Magius, Miscell. II, cap. 12 (Grut. II, pag. 1337 sq.) colligit, « Janum medium » dici, quod inter duo fora sacratus staret, ad quem tamquam celebriorem ac loci ratione commodiorem et fœneratores et mercatores convenire solerent in porticibus tabernisque circa Jani templum illud, locoque nomen fuisse « sub Veteribus », sic dicente Plauto, Curcul. IV, 1, 19 : « Sub Veteribus ibi sunt, qui dant quique accipiunt fœnore ». Idem in Asin. I, 1, 103 sq. 112 sq. simpliciter commemorat « forum », ut Seneca de Tranquill. 8, « quibus non (est) grande in foro fœnus ». Jam « a Tarquinio Prisco circa forum porticus tabernasque factas » memorat Lipsius de Magnit. Rom. III, 7, nimirum e Liv. I, 35 extr. quo teste, IX, 40, 15, XXVI, 11, postea circa forum erant tabernæ argentariæ. Harum quæ ann. Urb. 543 incendio deflagrassent, postea « Novas » appellatas memorat c. 27, 2 sq.

Si fides habenda Acroni ad Horat. Sat. II, 3, 18 (vid. nost. Horat. edit. tom. II, pag. 152) : « Janus medius locus dictus prope basilicam Pauli, ubi vasa ænea venumdabantur, vel locus in Rostris... quia in Rostris simulacrum Jani erat, ubi res pecuniariæ agebantur per fœneratores. Jani statuæ tres erant, ad unam illarum solebant convenire creditores et fœneratores, alii ad reddendum, alii ad locandum fœnus ». Statuas sciolus commentus est. De Rostris in partes vocari potest ipse Horat. Sat. II, 6, 120 (vid. nost. Horat. edit. tom. II, pag. 80), ubi Cruq. e scholio hæc habet : « Marsya (conf. Martial. II, 64, 8) statua erat pro Rostris... Minor Noviorum ad hanc statuam turpissime fœnerabatur summo mane. Quare jocatur Horatius, inquiens, Marsyam alteram habere manum erectam (conf. Serv. ad Æn. IV, 58) ad depellendum Novios, quod eorum fœneratorum impudentiam non posset sustinere ». Sed aliter idem Acro ad Horat. Epist. I, 1, 54 : « Duo Jani ante basilicam Pauli steterunt, ubi locus erat fœneratorum. Janus dicebatur locus, in quo solebant convenire fœneratores ». Intelli-

git « basilicam Pauli columnis e Phrygibus mirabilem » (Plin. XXXVI, cap. 15, sect. 24, 1) in foro, pertinentem « usque ad atrium Libertatis ». Cic. ad Att. IV, 16, sect. 8. Vid. Bellorii fragm. Vestigii vet. Romæ in calce tom. IV Græviani Thesauri, eorumdemque tab. VI, cl. Jo. Godofr. Richteri Dissert. de tabulariis urbis Romæ (Lips. 736, in-4), cap. 5.

Jani nomen Ciceroni, Nat. Deor. II, 27, 67, ductum videtur « ab eundo, ex quo transitiones perviæ Jani nominantur ». Eamdem originationem sequitur etiam Ovidius, Fast. I, 125 sq. quæ perverse interpretatus est Gesner. in Thes. II, 951, 83 sqq. Recte vero 952, 20-66, facit cum iis, quibus Janus intelligitur compitalitius, i. e. aditus e vico aliquo in forum rom. Cf. Turneb. Advers. VI, 10, XXVI, 26. Improbabiliter autem « Janum summum, medium, imum » sic distinguunt, ut velint esse partes unius Jani summam, mediam, in qua (nescio, quam multorum) argentariorum (publicorum, i. e. campsorum) et fœneratorum mensæ (τράπεζαι) fuerint, et imam. Sic cum aliis etiam Paul. Manutius ad h. l. Al. Donat. de Re vet. II, cap. 26 extr. pag. 647. D. E. Reiz. *über d. R. Alterth.* pag. 124 sq. et Schütz. in Lex. Cic. III, I, p. 66 sq. Sed, ut spatiosissimus fuerit Janus ille : quo pacto ibi mensariorum maximæque urbis mercatorum et bibliopolarum greges sedere potuerunt? quo pacto aliorum civium innumerus numerus commode citraque cæli injuriam hieme atque æstate ibi convenire excipique potuit? Conspiciebatur talis Janus marmoreus in foro boario pæne integer adhuc ætate Borrichii, ut hic scribit in Antiq. urbis Rom. facie, cap. 15, § 8, pag. 37 (Græv. Thes. IV, 1542, D.) Etiam in foro romano erutus est Janus quidam (*Arco di Giano*); sed videtur ædificium sequiori demum ævo ex aliorum reliquiis exstructum. Vid. Kunstblatt 1817, pag. 24, quod Matutæ additum est. Videntur autem in ejus modi transitionibus ipsi Jano aræ dicatæ fuisse. Namque M. Varro, cit. a Magio, literis consignavit,

duodecim aras Jano fuisse in urbe dicatas, ut singulas singulæ haberent regiones, duas vero præ ceteris cultas, alteram in foro boario, in romano foro alteram ad arcum Fabianum. Antiquissimus omnium est Cicero, apud quem fœneratores memorantur in Jano medio (Philipp. VI, 5, 15, VII, cap. 6 pr.), vel ad Janum medium, ut apud Horat. Sat. II, 3, 18, ubi recte Torrentius omnem illum inter duos Janos locum Janum medium appellatum intelligit, et tres ibi Janos fuisse negat, auctore P. Victore, pag. 51, A. « Jani quadrifontes xxxvi per omnes regiones marmoribus incrustati et adornati insigniis militaribus et signis. Duo præcipui ad arcum Fabianum superior inferiorque ». Ergo « Janus medius », vel simpliciter « Janus » in Ovid. Remed. Amor. 561, est idem, qui in Horat. Ep. I, 1, 54, distinctius dicitur « Janus summus (ad arcum Fab.) ab imo ». Hic « imus » videatur fuisse ad « Vortumni signum ». Nam Horat. ib. 20, 1, tabernas librarias significans, jungit « Vortumnum Janumque ». Ibi Porphyrio : « Vertumnus in vico Thurario sacellum habuit. Janus quoque similiter vicus (?) est ab Jano gemino (?) sic appellatus, qui in eo arcum habet sibi consecratum ». Acro autem : « Vertumnus et Janus dii sunt, qui præsunt negotiis ementium et vendentium, ante quorum templa (?) erant loca, in quibus cum ceteris rebus etiam libri venales erant ». P. Victor, pag. 43 : « Vicus Jugarius, idem et Thurarius, ubi sunt [aræ, alias] aræ Opis et Cereris cum signo Vortumni ». Pomp. Festus ed. Amstel. 699, pag. 501 sq. « Servilius lacus... in principio vici Jugarii, continens basilicæ Juliæ, in quo loco fuit effigies hydræ posita a M. Agrippa » : ubi ab interp. vicus Thurarius confunditur cum vico Tusco. At utrumque distinxit Livius, XXVII, 37. Nimirum per vicum Jugarium sub Capitolio (XXXV, 21) aditus erat ad forum venientibus hinc a porta Carmentali (XXIV, 47), illinc a Circo Maximo. Cic. in Verr. lib. I, cap. 59, ibique Ascon. « Signum Vortumni in ultimo vico Thurario est, sub basilicæ angulo flectentibus se ad

postremam dexteram partem ». Ita quidem ad « Janum summum ab imo » per totum forum duci posset diagonalis, totiusque fori ambitus utrimque et « sub Novis » et « sub Veteribus » diceretur « Janus medius ». Tantum constat, fœneratorum plus unam fuisse stationem : unde Cicero pro ære fœneratitio « æs circumforaneum » dixit ad Attic. II, 1, sect. 9. Minus igitur errare videbimur, « Janum medium » quærentes « sub Novis ad Castoris ».

Hæc qualiacumque, candide lector, plus operæ habuerunt, quam ostentationis.

Tantæ molis erat, medium tibi condere Janum!

Beierus.

M. T. CICERONIS

AD M. FILIUM

DE OFFICIIS

LIBER TERTIUS

ARGUMENTUM

E SCHUTZII EDITIONE DESUMPTUM.

Post exordium, quo P. Scipionem Africanum majorem laudat, quod dixerit numquam se minus otiosum esse quam quum otiosus, nec minus solum quam quum solus esset; sibique eum anteponit, quod otium sola mentis agitatione consumpserit, quum ipse non tantum roboris habeat, ut cogitatione tacita a solitudine abstrahatur, sed potius ad scribendi operam studium suum in otio convertat, accedit ad quæstionem de comparatione honestatis et utilitatis, a Panætio prætermissam. Primum igitur ostendit, nec id, quod vere honestum est, cum utilitatis repugnantia comparari posse, nec id quod communiter appellamus honestum, cum emolumentis umquam esse comparandum. Formulam igitur constituendam esse, quam si sequamur in comparatione rerum, ab officio numquam simus recessuri. Hæc formula his fere verbis continetur: quidquid honestum, idem est utile; nec utile quiddam, quod non sit honestum; ex quo consequitur, unum debere esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas unius cujusque et universorum, cap. 3-7. Itaque nulla nos utilitatis specie moveri debere, ut ab honesto recedamus, etiamsi id impune facere possimus, quod illustratur Gygis fabula, cap. 8, 9. Incidere autem multas sæpe causas, quæ conturbent animos utilitatis specie, ut si dubitetur possitne id quod utile videatur, fieri non turpiter. In quo tenendum esse hoc: non iniquum esse sibi quemque petere, quod pertineat ad usum; jus autem non esse, alteri deripere. In amicitiis colendis hoc præcipitur, ut quæ videantur utilia, honores, divitiæ, voluptates, hæc amicitiæ numquam sint anteponenda; numquam vero amici causa faciendum sit, quod sit contra rempublicam, contra jus jurandum ac fidem, cap. 10. Utilitatis autem specie in republica sæpissime peccari, cap. 11. Deinde complura dijudicantur exempla causarum in quibus, quum repugnare utilitas honestati videatur, animadvertendum sit, repugnetne plane, an possit cum honestate conjungi. Ut in venditione quæri potest, an liceat venditori vitia rei vendendæ emptorem celare, an etiam

orationis vanitate, seu mendacio uti, quo ille in fraudem inducatur, cap. 12-15. Fallacias quidem in venditionibus ex reticentia ortas jure civili puniri ostenditur, cap. 15; ipsam vero rationem hoc postulare, ne quid insidiose, ne quid simulate, ne quid fallaciter agamus, cap. 17-19. Omnino nullam rem esse tanti, aut commodum ullum tam expetendum, ut viri boni nomen amittatur, cap. 20-22. Sequuntur aliquot quæstiones Hecatonis, philosophi Stoici, de casibus, in quibus alio ducat honestas, alio utilitas, cap. 23. Deinde quæritur, pacta et promissa semperne servanda sint, quæ nec vi, nec dolo malo facta sint, cap. 24, 25. Tum ostenditur falsam utilitatem fortitudini esse adversariam. In quo præsertim nobile illud M. Attilii Reguli, qui a Carthaginiensibus captus, juratus erat missus ad senatum, ut nisi redditi essent Pœnis captivi, rediret Carthaginem. Is, quum ejus auctoritate retenti essent captivi, tamen rediit Carthaginem, ubi eum crudelissimum supplicium manebat. Hic in primis multa de fide et jurejurando disputantur, cap. 26-32. Ultimus locus est, de utilitate, quam voluptas efficiat, temperantiæ inimica, cap. 33.

Epilogus brevem habet filii admonitionem, ut his libris quantum possit temporis tribuat, cap. 33 extr.

M. T. CICERONIS,

AD M. FILIUM,

DE OFFICIIS

LIBER TERTIUS.

I. Publium Scipionem, Marce fili, eum, qui primus 1
Africanus appellatus est[1], dicere solitum, scripsit Cato, qui fuit fere ejus æqualis[2], Numquam se minus otiosum esse, quam quum otiosus; nec minus solum, quam quum solus esset. Magnifica vero vox, et magno viro ac sapiente digna : quæ declarat, illum et in otio de negotiis cogitare, et in solitudine secum loqui solitum ; ut neque cessaret[3] umquam, et interdum col-

I. 1. *Appellatus est.* Gern. scribit *appellatus sit.* Ceteri, inquit, *appellatus est*, ut verba « eum, qui pr. Afr. app. est », non Catonis sint, sed Ciceronis, quasi ante P. Scipionem Africanum majorem nullus fuerit Publius Scipio, a quo Catoni esset distinguendus Africanus. Accedit, quod hæc cognominis circumscriptio Catoni magis convenit, qui non nosset alterum eodem cognomine ornatum. Cicero eumdem Scipionem, I, 33, 121, dicit « superiorem Africanum ». — Schützius Gern. sequitur, et Beierus qui Gernh. notæ addit : Nos quidem ea de re ambigimus. Nam non ab « Africano Minore » superiorem illum domitorem Africæ hic distinguit, sed ab aliis imperatoribus, qui insignes imaginum titulos claraque cognomina familiæ fecere exemplo P. Corn. Scipionis.

2. *Fere ejus æqualis.* Cato enim, qui Censorius dictus est, paullo junior Africano majore fuit. Facc. — Quæstor autem fuerat P. Scipioni proconsuli in Africa. In Gu. 1 legitur « qui fuit ei fere æqualis », quod mihi arridet, præsertim quum in Gu. 2, atque edit. Gryph. sit « qui fuit ejus fere æqualis », in Gu. 3, « qui fere ejus fuit æq. » Gern. — Beierus scribit « ejus fere æq. » quia, inquit, *fere* applicari solet statim ei notioni, quam non certe definit : idem Gernh. conj. « ei fere æq. » vituperat, quia *æqualis* melius cum genitivo struitur.

3. *Neque cessaret.* Otiosus esset, vacaret. M. Heus.

loquio alterius non egeret. Itaque duæ res[4], quæ languorem afferunt ceteris, illum acuebant, otium et solitudo. Vellem nobis hoc idem vere[5] dicere liceret; sed si minus imitatione tantam ingenii præstantiam consequi possumus, voluntate certe proxime accedimus: nam et a republica forensibusque negotiis, armis impiis[6], vique prohibiti, otium persequimur; et ob eam causam, urbe relicta, rura peragrantes[7], sæpe
2 soli sumus. Sed nec otium hoc[8] cum Africani otio, nec hæc solitudo cum illa comparanda est. Ille enim requiescens a reipublicæ pulcherrimis muneribus otium sibi sumebat[9] aliquando, et a cœtu hominum frequentiaque interdum, tamquam in portum, se in solitudinem recipiebat: nostrum autem otium negotii inopia, non requiescendi studio, constitutum est. Exstincto enim senatu[10], deletisque judiciis, quid est, quod dignum nobis aut in curia, aut in foro[11] agere possimus?
3 Itaque qui in maxima celebritate, atque in oculis civium quondam viximus[12], nunc fugientes conspectum

4. *Itaque duæ res*. Gern. scrib. post Facc. « Ita duæ res ». Non nova enim e superioribus ducitur sententia. Vide I, 2, 6, et infra § 3.

5. *Vere*. Gern. quem Schütz. sequitur, delevit.

6. *Armis impiis*. *Arma impia* sunt Antonii, qui tum satellitum agmine stipatus in curiam ventitabat et senatum armatorum corona septum tenebat. Phil. II, 8, 19, 44, 112; V, 7, 17 sq. Propterea Cicero « otium persequebatur », i. e. in perpetuo otio erat, « urbe relicta, rura peragrans ». Erant autem quatuordecim Ciceronis villæ et prædia in Italia. Brier.

7. *Rura peragrantes*. *Rura*, i. e. prædia et villas meas.

8. *Sed nec otium hoc*. Gern. dat « Sed nec hoc otium ». Est autem, inquit, quorumdam libb. ordo « sed nec otium hoc » exquisitior, si utriusque enuntiationis oppositionem, varietatemque comparas. — Schützius tamen ad Heus. lectionem relapsus est, probante et sequente Beiero.

9. *Otium sibi sumebat*. Suo arbitratu, et ut commodum erat, non ut alii volebant. M. Heus.

10. *Exstincto enim senatu*, etc. Ut II, 1, 3: « quum resp. nulla esset omnino ». Gu. 1, « deletis judiciis », omissa copula, nescio an gravius, quam « deletisque judiciis ». Gern. — Exstincto senatu, non re ipsa, sed eo sensu, quod omnem libertatem amiserat impiis armis oppressus.

11. *In foro*, non in concione populi, sed in judiciis. M. Heus.

12. *Viximus*. Al. *vixerimus*. Facc.

sceleratorum, quibus omnia redundant, abdimus nos,
quantum licet, et sæpe soli sumus. Sed quia sic ab
hominibus doctis accepimus, non solum ex malis eli-
gere[13] minima oportere; sed etiam excerpere ex his
ipsis[14], si quid inesset boni: propterea et otio fruor,
non illo quidem[15], quo debeat[16] is, qui quondam pe-
perisset otium civitati; nec eam solitudinem languere
patior, quam mihi adfert necessitas, non voluntas.
Quamquam Africanus[17] majorem laudem vel meo ju- 4
dicio[18] assequebatur. Nulla enim[19] ejus ingenii mo-
numenta mandata literis, nullum opus otii, nullum
solitudinis munus exstat. Ex quo intelligi debet, illum
mentis agitatione, investigationeque earum rerum,

— Potior causa est ejus conjunctivi, qui paullo post legitur, « qui quondam peperisset ». Gern. — *In m. celebritate.* Non minori clientium frequentia celebratam esse Ciceronis, quam Crassi divitiis ac Pompeii militari laude præstantis, domum, testis est Plutarchus in vita, c. 8 extr. Beier.

13. *Eligere.* Utitur hoc verbo, quia mala minima, si comparentur, habent rationem boni. Facc. — Eadem sententia proverbii instar adhibetur, cap. 28, 102: « Minima de malis ». Gern.

14. *Ex his ipsis.* Ponomen *his*, intelligere jubet « minima mala », id quod suadent etiam verba sequentia. Gern. — *His* Beierus delevit.

15. *Non illo quidem.* Particula *quidem* post *non* sententiam fere suspendit; fortasse legendum est *tamen*. Facc. — *Quidem* non minus hic retinendum, quam I, 27, 95; 29, 103; II, 6, 21. Intelligit autem « otium cum dignitate ». Vide de Orat. I, 1, 1. Gern.

16. *Debeat.* Al. *debebat.* Facc. — Ernestius, Gesnerus in Chrestom. Cic. CXXIV extr. et J. M. Heusingerus malunt *debebat*: idem in margine scripsit Reizius, nescio tamen an vulgatæ lectioni prætulerit. Gern. — Beierus prætulit *debebat*, conferrique jubet Div. II, 43, 91; Orat. 51 pr. aliosque locos.

17. *Quamquam Africanus.* Quasi dicat: Quamquam quid ego me cum Africano comparo? Ille multo mente valebat magis, neque scriptione indigebat. Facc. — Vide quæ annotav. ad II, 12, 43. Gern.

18. *Vel meo judicio.* Gern. delet *vel*, quem Schützius sequitur. — Egregie animadvertit J. F. Heusinger. Ciceronem non ex animi sententia majorem laudem tribuere Scipioni, sed ut arrogantiæ crimen vitet. Nam « meo judicio » est non aliorum, sed meo: « vel meo judicio » non solum aliorum judicio, sed etiam meo. Gern.

19. *Nulla enim ejus ingenii.* Alii exhibent *nulla tamen.* Sed lectio hæc orta est ex aliquo grammatico, qui orationis contextum non satis percipiebat. Facc.

quas cogitando consequebatur, nec otiosum, nec solum umquam fuisse. Nos autem, qui non tantum roboris habemus, ut cogitatione tacita a solitudine abstrahamur, ad hanc scribendi operam omne studium curamque convertimus. Itaque plura[20] brevi tempore, eversa, quam multis annis, stante republica, scripsimus.

5 II. Sed quum tota philosophia, mi Cicero, frugifera et fructuosa, nec ulla pars ejus inculta ac deserta sit: tum nullus[1] feracior in ea locus est, nec uberior, quam de officiis, a quibus constanter honesteque vivendi præcepta ducuntur. Quare quamquam a Cra-

20. *Plura brevi tempore eversa, quam*, etc. Nam et libros aliquot rhetoricos et pleros que philosophicos post id tempus scripsit, quo resp. Cæsaris armis est oppressa. M. Heus. — Quum præter ll. de Republica et de Legibus atque Hortensium cetera Ciceronis philosophica omnia unius anni paucorumque mensium spatio absoluta et in publicum emissa esse constet, sunt quibus dubium fuerit, an tot libros in tam brevi spatio scribere Cicero potuerit. Vid. Gœr. in Introd. ad Cic. de Fin. p. 12, et Schütz. in summario de Nat. Deor. p. 25. Sed perridiculi videntur, qui non verecundantur sui ingenioli, difficulter et ægre parturientis, sterilitate metiri studia « hominis, facile laborantis », qui ipse de philosophicis suis hæc scripsit ad Att. XII, ep. 52 extr. « ἀπόγραφα sunt; minore labore fiunt: verba tantum affero, quibus abundo », i. e. Gronov. interprete : « tantum verto de Græcis et prope modum describo. Ideo magnæ meditationis non sunt ». Beier.

II. 1. *Tum nullus*. In libris Manutii, impressisque vett. pro *tum*, ut seq. § et locis al. legitur *tamen*, quod est illius interpretamentum. Nam *quum* sequente conjunctivo ... *tum*, pro *licet*... *tamen* dicitur hoc discrimine, ut *tamen*, etc. prioris sententiæ vim quodammodo temperet et minuat, opposito eo, quod sit illi certe ex parte contrarium; *tum* alteram sententiam augeat addendo eo, quod præ altero spectandum sit, ut h. l. sensus sit: Tota philosophia frugifera est, in primisque ea pars, qua continentur officia. Altera ratio fuerit hæc: Tota quidem philosophia frugifera est, non omnes tamen ejus partes æque frugiferæ, sed ea, quæ est de officiis, uberior. Itaque non confundenda sunt *quum* seq. indicat. ut I, 8, 1 : et *quum* seq. conjunct. Epist. XV, 8; Epist. I, 2 extr. Gern. — Sententiam suam contra Gernhardum defendit Gœr. ad Fin. III, 15, 50, p. 376 et 700. Sed Gernhardo assentitur Beier. qui addidit : De conjunctivi post *quum*, cui respondet *tum*, ratione, cf. Epist. VI, 4, 4 extr. Aug. Matthiæ ad or. p. Rosc. Am. 6, 16 pr. Creuzer ad Nat. Deor. lib. I, 1, n. 1, et pag. 713. Beier.

tippo nostro, principe[2] hujus memoriæ philosophorum, hæc te[3] assidue audire atque accipere confido; tamen conducere arbitror, talibus aures tuas vocibus undique circumsonare[4]; nec eas, si fieri possit, quidquam aliud audire. Quod quum omnibus est facien- 6
dum, qui vitam honestam ingredi cogitant, tum haud scio[5], an nemini potius, quam tibi. Sustines enim non parvam exspectationem imitandæ industriæ nostræ, magnam honorum, nonnullam fortasse nominis. Suscepisti onus[6] præterea grave et Athenarum, et Cratippi: ad quos quum tamquam ad mercaturam bonarum artium sis profectus, inanem redire[7] turpissimum est, dedecorantem et urbis auctoritatem, et magistri. Quare quantum conniti animo potes, quantum labore contendere (si discendi labor est potius[8], quam vo-

2. *Principe hujus memoriæ*. Alibi quoque Cratippum principem appellat, sed inter Peripateticos. Facc. — Vide I, 1 pr. Acad. II, 35, 113. Gern. — *Hujus memoriæ*, hujus ætatis. Priscis illis parem dicere non audet, simillimum tantum esse concedit, lib. II, 2 extr.

3. *Hæc te*. Al. *hoc te* Facc. — Animadvertenda autem hic est verbi *accipere*, cum *audire* conjuncti, propria vis et significatio. Gern.

4. *Circumsonare*. Nihil est in hac locutione, quod offendas : nullo jure Beierus dedit *circumsonari*, quod haud scio, an latinum sit.

5. *Tum haud scio*. Totum hunc locum sic, ut dedimus, scriptum vidit etiam P. Balduinus in omnibus exemplarr. De re comp. II, 13. Gern. — Modestior formula « haud scio, an nemini », exceptionem quamdam admittit, ut Pompeii et Catonis filiorum : de pluribus modo dubitat. Beier.

6. *Onus ... Athenarum*. Ut e seqq. patet, est « onus, quod Athenæ imposuerunt ». Vide de genitivo, sic active posito, ad II, 5, 16, p. 226. *Athenas* vero Ἑλλάδος μουσεῖον, Ἑλλάδος Ἑλλάδα Athenæus, Isocrates, Plato, Aristides celebrant, Cicero Or. I, c. 4, « omnium doctrinarum inventrices » : ubi sit « domicilium studiorum » (III de Or.). Beier.

7. *Inanem redire*. Quidam libb. « inanem te redire ». — *Inanem redire turpissimum est*. Allusit, ut opinor, ad Homericum versum in lib. I Iliad. Αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν, κενεόν τ' ἀπονέεσθαι. Ursinus.

8. *Si discendi labor est potius*. *Labor* quum latiore sensu sit negotium, quod vires exercet, molestiam autem præ se ferat arctiore; cavet, ne posteriore sensu, eoque tristiore, filius intelligat superiora « quantum (potes) labore contendere ». Ex quibus verbis vox *laboris* intelligi debet ad gerundium *discendi*, atque sic strui « si discendi (labor) labor est potius ». Hoc

luptas), tantum, fac, ut efficias; neve committas[9], ut, quum omnia suppeditata sint a nobis, tute tibi defuisse videare. Sed hæc hactenus[10]. Multa enim sæpe ad te cohortandi gratia scripsimus. Nunc ad reliquam partem[11] propositæ divisionis revertamur.

7 Panætius igitur, qui sine controversia de officiis accuratissime disputavit, quemque nos, correctione quadam adhibita, potissimum sequuti sumus, tribus generibus propositis, in quibus deliberare homines, et consultare de officio solerent, uno, quum dubitarent, honestumne id esset, de quo ageretur, an turpe; altero, utilene, an inutile; tertio, si id, quod speciem haberet honesti, pugnaret cum eo, quod utile videretur, quomodo ea discerni oporteret: de duobus generibus primis, tribus libris explicavit; de tertio autem genere deinceps se scripsit dicturum, nec ex-
8 solvit[12], quod promiserat. Quod eo magis miror, quia scriptum a discipulo ejus Posidonio est, triginta annis[13] vixisse Panætium, posteaquam eos libros edi-

monendum videbatur propter J. M. Heusingerum, qui sic interpretatur, « si discendi labor omnino labor est ». Mutato ordine similem locum vide c. 10, 44 : « non amicitiæ tales (amicitiæ), sed conjurationes putandæ sunt ». Gern. — In his videtur Gern. inaniter argutari.

9. *Neve committas, ut.* In plerisque Heusingerorum libris, legitur *ut ne.* Gern. — « Quum omnia suppeditata sint a nobis », nempe « ad usum et cultum copiose » (Att. XIV, 11), i. e. « quum non modo liberaliter a me, sed etiam ornate cumulateque tractatus sis » (ib. XV, 15 extr.). Vide ex iisdem Epp. XII, 3, sect. 2, XVI, 1, sect. 5. Beier.

10. *Sed hæc hactenus.* In Gu. sec. et nonnullis edd. vett. deest v. *hæc.*

11. *Ad reliquam partem.* Ad postremam quæstionem, de qua in libr. I, cap. 2 (c. 3, 9-10). Facc.

12. *Nec exsolvit.* Idem scribit in Epistola undecima, lib. XVI, ad Atticum. Facc.

13. *Annis.* Facciol. *annos.* Ablativum suadet codicum plurimorum et optt. fides. Exemplum rationis utriusque præbent II, 22 extr. 23, 81. Gern. — *Triginta annis vixisse Panætium, postea quam*, etc. Mortuus est Athenis, teste Suida s. v. Παναίτιος. Extra patriam ad obitum usque docuisse, e Tusc. lib. V, 37, 107, colligit Jonsius de scriptt. hist. phil. II, 13, 2, p. 214, qui putat, defunctum fuisse jam an. Urb. 650, quo anno L. Licinius Crassus Athenis Mnesarchum, cui Panætius scholam

disset. Quem locum miror a Posidonio breviter esse
tactum[14] in quibusdam commentariis; præsertim
quum scribat, nullum esse locum in tota philosophia
tam necessarium. Minime vero assentior iis, qui ne- 9
gant, eum locum a Panætio prætermissum[15], sed con-
sulto relictum, nec omnino scribendum fuisse, quia
numquam posset utilitas cum honestate pugnare: de
quo alterum[16] potest habere dubitationem, adhiben-
dumne fuerit hoc genus, quod in divisione Panætii
tertium est, an plane omittendum; alterum dubitari
non potest, quin a Panætio susceptum sit, sed reli-
ctum[17]. Nam qui e divisione tripartita duas partes
absolverit, huic necesse est restare tertiam. Præterea[18]
in extremo libro tertio de hac parte pollicetur se dein-
ceps esse dicturum. Accedit eodem testis locuples, 10

ibi reliquerat, viguisse dicit ap. Cic. de Or. I, c. 11 pr. « Quum quæstor ex Macedonia venissem Athenas, etc. » Cf. idem Jonsius, 14, 3, p. 223. Propius a vero abest Ill. Jacobs in Animadvv. in Anthol. Gr. III, III, p. 847, statuens, Crassum quæstorem in Macedonia fuisse ante an. 648, *i. e.* circa Ol. CLXVIII. Immo an. 644, id quod colligi potest e Bruto, c. 43, si rationem ducas legis Villiæ annalis. Ita efficitur, ut Athenis fuerit an. 645, Panætius autem tres illos περὶ τοῦ καθήκοντος libros scripserit ante an. Urb. 615. Natus erat Ol. CXLVIII, an. 4, secundum F. G. *van Linden*, cujus Diss. ad. I, 2, 6 extr. laudavimus, ex Jonsii autem (c. 13, 1) calculo, Ol. CLII, regnante Philometore an. Urb. c. 581. De Panætio scripsisse Thebesius quoque memoratur a Ch. D. Jani ad Horat. Carm. I, 29, 14. Vid. Exc. Krugii *Gesch. d. Philos. a. Z.* § 147, *e*), p. 362. sq. BEIER.

14. *Tactum*. Facc. scribit *tractatum*, sed cf. Orat. II, 10 extr. « Nam illud tertium, quod et a Crasso tactum est, etc. » Pro Rosc. Amer. c. 30, 83, « et leviter unumquodque tangam », quod adverbium hic quoque exspectaveris. GERN.

15. *Prætermissum*. Negligentia, vel omissione.

16. *De quo alterum*. « De quibus alterum » dicendum erat si auctor ea vv. jungere voluisset: sed recte intp. M. Heus. quod ad id attinet: nempe bis positum *alterum* non ad præcedentia, sed ad sequentia referri debet, sic *alterum* scil. « adhibendumne f. h. g. . . . potest habere dub.; alterum, quin a Panætio susc. s. sed rel. dubitari non pot. »

17. *Sed relictum*. Error igitur Panætii fuit, non in relinquendo, si consulto reliquit, sed in suscipiendo, quod relinqueret. GERN.

18. *Præterea*, etc. Vinar. omittit vv. *libro tertio*, probante J. M. Heus. Equidem satius duxi uncis notare

Posidonius, qui etiam scribit in quadam epistola, P. Rutilium[19] Rufum dicere solere, qui Panætium audierat, Ut nemo pictor esset inventus, qui Coæ Veneris[20] eam partem, quam Apelles inchoatam reliquisset, absolveret (oris enim pulchritudo reliqui corporis imitandi spem[21] auferebat): sic ea, quæ Panætius prætermisisset, et non perfecisset[22], propter eorum, quæ perfecisset[23], præstantiam, neminem esse persequutum.

11 III. Quamobrem de judicio Panætii dubitari non potest[1]: rectene autem hanc tertiam partem ad exquirendum officium adjunxerit, an secus, de eo fortasse disputari[2] potest. Nam sive honestum solum bonum

totum emblema glossatoris, ruminantis verba extr. § 7. Beier.

19. *P. Rutilium.* Vid. Brut. 30 pr. « doctus vir et græcis literis eruditus, Panætii auditor, prope perfectus in Stoicis ». Gern.

20. *Coæ Veneris.* Apelles in Coo insula Venerem pinxit, nec tamen absolvit, morte præreptus. Nemo autem, qui succederet operi, inventus est, ut scribit Plinius, I, 35, c. 10. Facc. — Alii vocem *Coæ* omittunt, quod placet Ernestio, quum etiam alibi Venus Apellis memoretur sine illo epitheto, ut ad Att. II, 21. Sed Orat. 2, c. 2, « non potuerunt (opifices) Coæ Veneris pulchritudinem imitari ». Gern. — Plura de Apellis Veneribus disserit Beier. e quibus fructus percipi potest.

21. *Reliqui corporis imitandi spem.* Spem auferebat ejusdem pulchritudinis imitandæ in corpore perficiendo.

22. *Et non perfecisset.* Hæc Gern. uncis includit, notatque : Inepta hæc sunt; et non ferendum, quæ Panætius prætermiserat, dici eum non perfecisse. Si quid correctionis potest adhiberi, Pearcius audiendus est, qui conjecit « promisisset et non perfecisset », pro quo scripserim « promisisset, sed non perfecisset ». Quamquam probabilius est, verba « et non perfecisset » interpretamentum esse verbi *prætermisisset* e sequentibus repetitum. Absunt hæc a MSS plerisque. — Schützius ea omnino delevit, idemque fecit Beierus.

23. *Quæ perfecisset.* In edit. prima habetur, « quæ fecisset » : et infra *persequuturum*, pro *persequutum*. Facc.

III. 1. *Dubitari non potest.* Dubitari non potest, quin Panætius judicaverit, comparationem institui posse : rectene ita judicaverit, id vero dubium fortasse est. Facc.

2. *Disputari.* Alii, *dubitari*. *Disputare* non est cum uno vel pluribus contendere, sed quæstionem de re incerta, rationibus ponderandis, instituere; quod ad vim verbi præced. *dubitare* proxime accedit. Gern. — Beierus scribit *dubitari*, notatque : Tuemur olim vulgatam ad fidem Goth. a manu 1, Pith. Gu. 3, 5, aliorumque, item edd. Ven. 484, 506,

est, ut stoicis placet[3], sive quod honestum est, id ita
summum bonum est, quemadmodum peripateticis
nostris[4] videtur, ut omnia ex altera parte collocata,
vix minimi momenti instar[5] habeant : dubitandum
non est, quin numquam possit utilitas cum honestate
contendere[6]. Itaque accepimus, Socratem[7] exsecrari
solitum eos, qui primum hæc, natura cohærentia, opi-
nione distraxissent. Cui quidem ita sunt stoici assensi,
ut, quidquid honestum esset, id utile esse censerent,
nec utile quidquam, quod non honestum. Quod si is 12
esset Panætius[8], qui virtutem propterea colendam di-
ceret, quod ea efficiens utilitatis esset; ut ii, qui res
expetendas vel voluptate, vel indolentia[9] metiuntur;

554, Arg. 510, etc. Cf. § 9, « alterum potest habere dubitationem ». Quid mirum, si glossator proprie dici maluit, « rem esse disputabilem? »

3. *Ut Stoicis placet.* De Stoicorum sententia μόνον τὸ καλὸν ἀγαθὸν, quæ Fin. III, 8; 27, 29; Tuscul. V, 15, 45 extr. sorita probatur, vid. h. l. § 12, 33 extr. I, 67, pag. 155; Tusc. V, 30, 84; Fin. III, 3, 10 sq. Tacit. Hist. IV, 5 extr. Hieronym. in Esaiæ cap. 11; Tennemanni *Geschichte d. Phil.* IV, pag. 81 sq. 84. Beier. — Ceterum ad ea intelligenda in sqq. quæ Stoicam doctrinam tangunt, vide libb. de Fin. ibique commentarios.

4. *Peripateticis nostris.* Gern. scribit *vestris.* — Nihilominus cap. 2, 5 Cratippum licebat dicere *nostrum*, quocum etiamsi dissentiret, Ciceroni tamen esset quædam familiaritas. Gern. — Schützius Gern. sequitur.

5. *Momenti instar.* Sumpta a libra similitudine, ut Critolaus loqui solebat, de quo in Tusc. V, c. 17. Facc. — Comp. cap. 8, 35, et Fin. V, 30.

6. *Contendere*, comparari.

7. *Socratem.* Idem scribit in lib. I de Leg. cap. 12. Facc. — Ad hunc locum de Leg. Davisius laudat Clem. Alex. Strom. II, pag. 499. Comp. cap. 7, 34. Facciolatus cum imprr. vett. transponit « solitum exsecrari ». Gern.

8. *Si is esset Panætius.* Si Panætius cum iis philosophis sentiret, qui bona omnia voluptate definiunt, vel doloris vacuitate; virtutem autem eatenus expetendam dicunt, quatenus parit utilitatem. Facc.

9. *Indolentia.* In lib. II de Fin. c. 4, hanc ipsam vocem usurpat, venia petita. Toto autem libro eos oppugnat, qui voluptate, vel indolentia summum vitæ bonum finiri putant. Facc. — « Res expetendas voluptate » Aristippus, « indolentia metiebatur » Hieronymus (Fin. II, 5, 16), Epicurus autem « bona voluptate terminabat, mala dolore », sed « augeri non dolendi voluptatem » negabat (h. l. 117 sq.). *Indolentiæ* vocabulo pro *vacuitate doloris*, vel *non dolendi statu* Cicero utitur cum excusatione Fin. II, 4, 11; tum ib. 6, 19 extr. Beier.

liceret ei dicere, utilitatem aliquando cum honestate pugnare : sed, quum sit is, qui id solum bonum judicet, quod honestum sit; quæ autem huic repugnent specie quadam utilitatis, eorum neque accessione meliorem vitam fieri, nec decessione pejorem : non videtur ejusmodi debuisse[10] deliberationem introducere, in qua, quod utile videretur, cum eo, quod honestum esset[11], compararetur[12].

13 Etenim quod summum bonum a stoicis dicitur, convenienter naturæ vivere[13] : id habet hanc, ut opinor, sententiam, cum virtute congruere[14] semper; cetera autem[15], quæ secundum naturam essent, ita[16] legere, si ea virtuti non repugnarent. Quod quum ita sit,

10. *Non vid. ej. debuisse. Non videtur* intell. *quibusdam*. Non recte Bardili in Hauffii Philologia, III, pag. 57, cogitatione addit *mihi*. At vero Cicero non accusat, ut ille, pag. 51, opinatur, sed defendit potius Panætium. Variatis verbis, § 13, repetitur « quidam putant ». Beier.

11. *Quod honestum esset*. Sic Ernestius sine libris : ceteri omnes *est* præbent.

12. *Compararetur*. Præsens *comparetur*, quod in plerisque libris Heuss. legitur, certe postulat, ut antecedat *videtur*; atque id tuentur codd. Pearcius ex uno libro præfert « videtur ... comparatur ». Sed aptius est, ut ad Panætii mentem referatur oratio per *videretur*, quod etiam Facciolatus retinuit, et *compararetur*. Gern.

13. *Convenienter naturæ vivere*. Quid sit congruenter naturæ vivere : seu secundum naturam vivere, in quo beatam vitam positam esse docebant non soli Stoici, sed plerique philosophi, et quanta fuerit sententiarum diversitas de hoc capite, vide apud Lips. Manud. ad Stoicam philosophiam, lib. II, cap. 14 sqq. Olivet.

14. *Cum virtute congruere*. Quia virtus nihil est aliud, ut dicitur in lib. I de Leg. cap. 8 : « quam in se perfecta, et ad summum perducta natura ». Itaque « congruenter naturæ vivere » idem est, ac vivere ex hominis natura undique perfecta, ut Cicero ipse interpretatur in lib. V de Fin. cap. 9. Facc. — Vide Diog. Laert. vita Zenon. pag. 268 ex edit. Steph. Gern. — Multus est hoc loco Beierus, quem, si vacat, non sine fructu leges.

15. *Cetera autem*, etc. Quæ commoda Stoici, non bona vocabant; cujusmodi est valitudo, robur, gloria, divitiæ. Hæc eligi et sumi posse dicebant, alia præ aliis; modo id cum virtute fieret, et rectus esset eorum usus. Vide lib. III de Fin. cap. 15 et seq. Facc.

16. *Ita legere*. Id est, eligere, verbum Stoicis familiare, iis consentaneum, quæ vocant *præposita* vel *præcipua*; quandoquidem bona dicere non audent. Vide lib. IV de Fin. cap. 25 et 26. Facc.

putant quidam, hanc comparationem non[17] recte introductam, nec omnino de eo genere quidquam præcipiendum fuisse. Atque illud quidem[18] honestum, quod proprie vereque dicitur, id in sapientibus est solis[19], neque a virtute divelli umquam potest; in iis autem, in quibus sapientia[20] perfecta non est, ipsum illud quidem perfectum honestum nullo modo, similitudines honesti esse possunt. Hæc enim omnia of- 14
ficia, de quibus his libris disputamus, media stoici appellant[21], ea communia sunt, et late patent; quæ et ingenii bonitate multi assequuntur, et progressione discendi[22]: illud autem[23] officium, quod rectum iidem

17. *Non recte.* Comparatio non recte introducitur, sive fiat cum eo, quod vere ac proprie honestum est; sive cum eo, quod similitudines honesti habet, et communiter colitur a viris bonis. Facc.

18. *Illud quidem honestum, quod proprie vereque dicitur.* Quod κατόρθωμα Græci vocant. Vide lib. I, c. 3, et quæ ibi notantur. Græv.

19. *Sapientibus est solis.* Quales describuntur a Stoicis, homines perfectissimi, divinis humanisque virtutibus prædití. Facc. — Vide Senec. de Constant. sap. cap. 7; Lips. Manud. ad Stoic. phil. lib. II, cap. 8.

20. *In quibus sap. perfecta non est.* Quos vocant viros bonos. Sen. ep. 42: « Scis quem nunc virum bonum dicam? hujus secundæ notæ. Nam ille alter fortasse tamquam phœnix semel anno quingentesimo nascitur ».

21. *Media Stoici appellant, ea communia sunt.* Schütz. ex M. Heus. conj. vv. « media Stoici appellant » parenthesi includit; idemque *ea* delet. Sequitur Beierus, nisi quod servat *ea*. — J. M. Heusing. quum in Vinar. ed. Rom. 471, Ven. 470, 84, 506, 554, Arg. Ald. sit *et ea* e duplici scilicet lectione, etiam conjecerat: « et communia sunt et late patent ». Verum non diversa hic junguntur, sed quorum alterum prius explicet. Beier. — *Media Stoici appellant*, etc. Τὰ καθήκοντα, qualia etiam esse illa præcepta Epicteti, quæ in Enchiridion Arrianus contulit, non perfectis, qui, vita rationi consentanea non contenti, diis quasi velint pares esse, tradita, sed illis viris bonis, qui convenienter naturæ, seu rationi, velint vivere, et corpore pro instrumento uti. Vide Simplicii procemium Commentarii in Enchiridion Epicteti. Græv.

22. *Progressione discendi.* Studio et assiduitate, qua fit progressio ad virtutem et honestatem. Facc.

23. *Illud autem*, etc. Noster h. l. lucem accipit ex iis, quæ similia e Platonica et Aristotelica philosophia proponuntur Acad. I, 5, 20. Ipsa autem *virtus*, vel « honestas undique perfecta atque absoluta » dicitur Fin. V, 14, 69, et, ut ait Seneca, ep. 71 med. « non crescit. Habet numeros suos, plena est », et ep. 95, ab init. Beier.

appellant, perfectum atque absolutum est, et, ut iidem dicunt, omnes numeros habet; nec, præter sapientem, cadere in quemquam potest.

15 Quum autem aliquid actum est, in quo media officia compareant, id cumulate videtur esse perfectum: propterea quod vulgus, quid absit a perfecto, non fere intelligit; quatenus autem intelligit, nihil putat prætermissum. Quod item in poematibus[24], et picturis usu venit, in aliisque compluribus, ut delectentur imperiti, laudentque ea, quæ laudanda non sint[25], ob eam, credo, causam, quod insit in his aliquid probi, quod capiat ignaros, qui iidem, quid in unaquaque re vitii sit, nequeant judicare. Itaque quum[26] sunt docti a peritis, facile desistunt a sententia[27].

IV. Hæc igitur officia, de quibus his libris disserimus, quasi secunda[1] quædam honesta esse[2] dicunt;

24. *In poematibus, et picturis.* Gern. scribit « in poematis, in picturis », notatque: *Poematis* dē jure tuentur, excepto J. Gronovio atque Ern. fere omnes et Nonii fide, qui in voce *poematis* hunc locum sic adhibet: « Quod idem in poematis et in picturis usu venit », et exemplo auctoris ad Herenn. IV, 4, « quum ex orationibus aut poematis elegeris exempla », et Plaut. Asin. I, 3, 22. Testis est Varro, L. L. IV, 3. Similiter Cicero, Epist. XVI, 21: « multum enim mihi eripitur operæ in exscribendis hypomnematis »: ad quem locum Manutius Charisii locum lib. I excerpsit. Vid. Voss. de Analog. II, 15, p. 751. — Quemadmodum vulgus in judicandis poematis et picturis specie fallitur, et ea laudanda judicat, quæ merito laudanda non sunt; ita quum judicat de officio, rectum et perfectum putat, quod tale apparet, quamvis revera non sit. Facc.

25. *Sint.* Quædam edd. et codd. dant *sunt.*

26. *Quum sunt docti*, etc. Aptior videtur reliquorum codicum lectio « quum sint docti », i. e. si quando sunt d. ut paullo ante meliores libri jubebant scribi « quæ laudanda non sint », ubi vett. editiones indicativum præferunt. Gern.

27. *Facile desistunt a sententia.* Sic Facc. Gern. autem scribit « desistunt facile sententia ». — Propter proxima verba *a peritis* probabilius est præpositionem ante vocem *sententia* a Cicerone esse omissam. Gern.

IV. 1. *Secunda quædam honesta esse.* Nam primum honestum, quo nihil honestius, unum semper atque idem est. Facc.

2. *Esse dicunt.* Gern. cum Goth. Vin. et imprr. vett. transponit *dicunt esse.* — Beierus delevit *est*, qui ceterum notat: *Secunda* dici pro *secundariis*, monuit J. M. Heusing. laudato

non sapientum modo propria[3], sed cum omni hominum genere communia. Itaque his omnes, in quibus 16 est virtutis indoles[4], commoventur[5]. Nec vero quum duo Decii[6], aut duo Scipiones[7], fortes viri commemorantur, aut quum Fabricius[8], Aristidesve[9] justus nominatur, aut ab illis, fortitudinis, aut ab his, justitiæ, tamquam a sapientibus, petitur exemplum. Nemo enim horum sic sapiens est, ut sapientem volumus intelligi; nec ii, qui sapientes habiti sunt, et nomi-

Grævio, lectt. Hesiod. cap. 4, ad Ἔργ. 142, p. 526, ed. Loesn.

3. *Non sapientum modo propria.* Gern. scribit *sapientium*, notatque: Hanc genitivi formam tuentur MSS. Uterque Heusinger. assentitur Heumanno vocem *modo* rejicienti. Patruus tamen excludi mavult *propria*. At vero *modo* non pertinet ad *non*, sed ad *sapientium*, hoc sensu: Hæc officia non sunt propria sapientium, qui quidem pauci sunt, aut ad Stoicorum rationem nusquam ulli, sed...communia. — Gernhardum Beierus sequitur.

4. *Virtutis indoles.* Non virtus perfecta Stoicorum, sed virtus quædam inchoata. Facc.

5. *Commoventur.* In verbo *commoveri* initium est amoris, ad quem virtus allicit. Vide II, 9, 32, III, 8 pr. Gern.

6. *Duo Decii.* Patrem et filium significat, qui se pro patriæ salute devoverunt. In lib. II de Finib. cap. 19, nepotem quoque memorat et « tertiam reipubl. victimam » vocat. Vid. adnotat. ad lib. de Senectute, c. 20. Facc. —De Deciis diximus ad I, 18, 61.

7. *Duo Scipiones.* Fratres, qui in Hispania bello Punico secundo fortiter periere. Facc.

8. *Fabricius.* Cur Fabricius et Aristides justi sint nominati, vide in hoc ipso libro, cap. 22. Facc.

9. *Aristidesve.* Alii, *aut Aristides.* Hæc verba Heusingerus patruus habet pro insititiis propter numerum singularem sequentium verbb. *justus nominatur* et *tamquam a sapiente* in libris fere omnibus. Adde Lactantium, qui lib. VI, 6, 26, hunc locum recitat, et pro *ab his* scribit *ab hoc*. Ergo propius ad Lactantii rationem Ciceronem suspicatur Heusingerus scripsisse: « aut quum Fabricius Justus nominatur, aut ab illis fortitudinis, aut ab hoc justitiæ, tamquam a sapiente, petitur exemplum ». Translatum autem videri potest Aristidis nomen ex c. 22, 87: « Utrum igitur utilius vel Fabricio, qui talis in hac urbe, qualis Aristides Athenis fuit », atque, non eadem adjuncta particula, e margine in libros irrepsisse. Sed tamen quum a nullo libro Aristidis nomen absit, nescio an levetur ita offensio, si sic scriptum fuisse putetur: « aut quum Fabricius, ut Aristides, justus nominatur, aut ab illis fortitudinis, aut ab hoc justitiæ, tamquam a sapientibus petitur exemplum ». Ita Romanorum exempla non permiscentur Græcis, fitque similiter, ac cap. 22, comparatio Aristidis, cujus nomen vix poterat non commemorari post Justum alterum, aut superiore potius loco collocari. Gern. — Beierus vv. *Aristidesve* delevit, scripsitque *aut ab hoc*.

nati, M. Cato[10], et C. Lælius[11], sapientes fuerunt; ne illi quidem septem[12]: sed ex mediorum officiorum frequentia similitudinem quamdam gerebant speciemque sapientum.
17 Quocirca nec id, quod vere honestum est, fas est cum utilitatis repugnantia[13] comparari[14]; nec id, quod communiter appellamus honestum, quod colitur ab iis, qui bonos se viros haberi volunt, cum emolumentis umquam est comparandum: tamque[15] id honestum, quod in nostram intelligentiam cadit, tuendum conservandumque est nobis, quam id, quod proprie dicitur, vereque est honestum, sapientibus. Aliter enim[16] teneri non potest, si qua est ad virtutem[17] facta progressio.

10. *M. Cato*. Vid. Div. in Cæc. 20, 66. Unde « quasi cognomen jam in senectute habuerit sapientis », indicatur in Læl. cap. 2, § 2 sq. 10 sq. al. 6. Sed, si fides Plutarcho in vita, c. 1, primum *Priscus* cognominabatur, postea *Cato*, tamquam *catus*. Ipse ap. Ciceronem de Senect. 2, 5, *sapientiam* ipsius admirantibus respondet: « utinam digna esset opinione vestra nostroque cognomine! » Beier.

11. *C. Lælius*. Vide initium libri de Amicitia. Facc.

12. *Septem*. Qui Græciæ sapientes nominantur, Pittacus, Periander, Thales, Solon, Chilon, Cleobulus, Bias. Vide de Amicit. cap. 2, et ibi adnotata. Facc. — Non constat inter historicos de septem sapientibus: alii alium in eorum numerum reponunt.

13. *Cum utilitatis repugnantia*, etc. Cum utilitate, quæ illi repugnet, committere et comparare. Quidam variare conati sunt, reponentes *utilis* pro *utilitatis*; et *ratione* pro *repugnantia*. Facc. — Unus P. Nannii « utilitatis ratione ». Reliqui codd. et imprr. vett. « utilis repugnantia ». Gern.

14. *Comparari*. Al. *comparare*. Ait autem, nec primum honestum, nec secundum comparari cum utili posse. Facc.

15. *Tamque id honestum, quod*, etc. Nec minus nos laborare et curare debemus, ut honesta secunda conservemus, quam sapientes prima conservant. Facc.

16. *Aliter enim*, etc. Id nisi fiat, illam ipsam virtutis inchoationem amittemus, quæ in nobis est, et a qua viri boni existimamur. In Acad. I, cap. 5, « quod inchoatum est, neque absolutum, progressio quædam ad virtutem appellatur ». Facc.

17. *Si qua est ad virtutem*. Gern. scribit « Si quæ ad virtutem est facta ». *Quæ*, inquit, pro *qua* J. F. Heusingerus ex uno Aldi et Tert. restituit. Atque ad II, 21, 73, jam dixi, me assentiri ita, ut sensus sit: si quædam, non minima, progressio facta sit. Præter Acad. I, 5, 20. Cf. Fin. IV, 24, 66: « Levatio igitur vitiorum magna fit iis, qui habent ad virtutem progressionis aliquantum ». Gern. — Beierus improbat Gernhardi interpretationem

Sed hæc quidem de iis, qui conservatione officio-
rum existimantur boni. Qui autem[18] omnia metiuntur 18
emolumentis et commodis, neque ea volunt præpon-
derari honestate, hi solent in deliberando honestum
cum eo, quod utile putant, comparare: boni viri non
solent. Itaque existimo[19], Panætium, quum dixerit,
homines solere in hac comparatione dubitare, hoc
ipsum sensisse[20], quod dixerit, solere modo, non
etiam oportere. Etenim non modo pluris putare, quod
utile videatur, quam quod honestum; sed hæc etiam
inter se comparare, et in his addubitare, turpissi-
mum est.

Quid est ergo[21], quod nonnumquam dubitationem
afferre soleat, considerandumque videatur? Credo, si
quando dubitatio accidit, quale sit id, de quo consi-
deretur. Sæpe enim tempore fit, ut, quod plerumque 19
turpe haberi soleat, inveniatur non esse turpe. Exem-
pli causa ponatur aliquid, quod pateat latius. Quod
potest majus esse scelus, quam non modo hominem,
sed etiam familiarem hominem[22] occidere? Num igitur

v. *quædam*, ita ut dicat hoc sensu scriptum oportuisse *si aliqua*. *Quædam* interpretatur *qualiscumque*.

18. *Qui autem*, etc. Qui plurimum tribuunt utilitati, isti vero comparationem instituere solent; sed boni viri non sunt. Facc.

19. *Itaque existimo, Panætium, quum dixerit, homines solere*, etc. Excusat Panætii judicium, de quo supra. Loquutus enim videtur de his, qui solent comparare et dubitare: nec tamen eos probasse censendus est. Facc.

20. *Hoc ipsum sensisse, q. d.* Nihil aliud voluisse, quam quod verba sonant.

21. *Quid ergo.* Facciolatus cum vulg. *Quid est ergo*, quasi incertum sit, an sit aliquid, quod dubitationem afferat. *Quid ergo est*, *quod*, etc. significat te nescire, quale illud sit, quum scias esse. Atque hunc quidem sensum postulant sequentia *Credo*, etc. Gern. —Schützius Gernhardum sequitur, at non Beierus, qui observat: *Quid ergo est.* Interrogat, quale illud sit, quod dubitationem afferat. *Quid est ergo*, ut Facciol. cum edd. vulg. transponit, simul interrogat, ecquid ejusmodi sit: ut 102 pr. II, 2, 8 pr. Divin. II, 18, 42: « Quid est igitur, quod...? »

22. *Familiarem hominem.* Hoc in gratiam percussorum Cæsaris dicit, qui ex ejus familiarissimis fuerunt. M. Heus.

se adstrinxit[23] scelere, si quis tyrannum[24] occidit, quamvis familiarem? Populo quidem romano non videtur, qui ex omnibus præclaris factis illud pulcherrimum existimat. Vicit ergo[25] utilitas honestatem? immo vero honestatem utilitas est consequuta[26].

Itaque, ut sine ullo errore dijudicare possimus, si quando cum illo, quod honestum intelligimus, pugnare id videbitur, quod appellamus utile, formula quædam[27] constituenda est: quam si sequemur in comparatione rerum, ab officio numquam recedemus.
20 Erit autem hæc formula, stoicorum rationi, disciplinæque maxime consentanea: quam quidem in his libris propterea sequimur, quod, quamquam a veteribus academicis, et peripateticis nostris[28], qui quondam

23. *Adstrinxit*. Alii *obstrinxit*. Res hæc, quæ sua natura turpis erat, pro temporis ratione turpitudinem exuit; ideoque cum utilitate coalescere potuit. Facc.

24. *Tyrannum*. Tyranni et apud Græcos et apud Romanos jure cæsi habebantur: quod autem justum, idem honestum est. Procul dubio Cæsarem significat occisum a suis. Idcirco præteritum *vicit* usurpat. Facc. — Ad Fam. X, 28, 1; XII, 3, 2, dolet Noster, istius facti principem se non fuisse, ut insuper mactatus esset Antonius, cui pepercerat Brutus, ἀξιῶν, τὴν ὑπὲρ τῶν νόμων καὶ τῶν δικαίων τολμωμένην πρᾶξιν εἰλικρινῆ καὶ καθαρὰν ἀδικίας εἶναι, ut scribit Plutarch. in Anton. cap. 13. Beier.

25. *Vicit ergo*, etc. Interrogationis signum recte addiderunt Heusingeri et sententiæ causa et auctoritate edit. Magont. Maturantii, Mureti, Grut. Pearc. Gesn. et Facciol. Gern.

26. *Honestatem utilitas est consequuta*. Alii leg. «honestas utilitatem sequuta est». Sed honestas præire debet tamquam causa: quo modo loquutus est Cic. etiam de Amicitia, c. 14: «Non utilitatem amicitia, sed utilitas amicitiam consequuta est». Facc.

27. *Formula quædam*. Id est, præscriptum, norma, regula. Hæc constituitur aliquanto post § 20, «quidquid honestum, idem utile videtur, nec utile quidquam, quod non honestum», ita tamen, ut hæc, quæ princeps est sententia, judicio quodam de disciplinarum philos. dissensione præposito, magis obruta, quam munita, videatur. Hæc negligentia, quæ secundo loco ponit, quod debebat obtinere primum, notata est ad I, 10, 33. Vide Tuscul. I, 36, 88, et Hottingerum, qui in nota ad h. l. p. 234 et seqq. castigat Garvium, cui hæc formula contineri videatur primis verbis capitis sequentis. Eamdem formulam Cicero repetit cap. 20, 81. Gern.

28. *Et Peripateticis nostris, qui quondam iidem erant, qui Academi-*

iidem erant, qui academici, quæ honesta sunt, anteponuntur iis, quæ videntur utilia : tamen [29] splendidius hæc ab eis disseruntur, quibus, quidquid honestum est, idem utile videtur, nec utile quidquam, quod non honestum, quam ab his, quibus aut honestum aliquid non utile, aut utile non honestum. Nobis autem nostra academia [30] magnam licentiam dat, ut quodcumque maxime probabile occurrat, id nostro jure liceat [31] defendere. Sed redeo ad formulam [32].

V. Detrahere igitur aliquid alteri, et hominem ho- 21
minis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cetera, quæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollit convictum humanum, et societatem. Si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet, aut violet alterum, disrumpi necesse est eam, quæ maxime est secundum naturam, humani generis

ci. Iidem fuerunt Academici et Peripatetici, vivente Platone, cujus discipuli Aristoteles Peripateticorum auctor, Xenocrates Academicorum parens fuit, teste Cic. de Orat. III, 17. J. F. Gronov. — Vide supra lib. I, 1.

29. *Tamen splendidius.* Reddit rationem, cur regulam sumat a Stoicis potius, quam a Peripateticis; quia illi de honesto splendidius sentiunt et scribunt. Facc.—*Splendidius* hæc disseruntur, sive quod sunt ad vulgi opinionem admirabilia, vide Parad. Præf. sive propterea, quod Stoicorum disciplina una simplicem bonorum finem in honestate ponit, quum ceterarum fines aut expertes honestatis sint, aut honestatem tuendam cum aliquà accessione, vid. de Fin. II, 11, 35, sive spectetur maxime fortis et virilis ratio atque sententia, qua utuntur Stoici. Vid. Tuscul. Quæst. lib. III, cap. 10, 22. Gern.

30. *Nostra academia.* Cicero ex Academiæ placitis id sequitur, quod in loco et tempore maxime probat. Idcirco placuit illi hac in re Stoicum agere. Facc. — Vid. II, 2, 8; Fin. V, 26, 76; Tuscul. V, 11, 33.

31. *Licentiam...liceat.* Comp. I, 3, 5, «definiunt...ut...definiant». Infra cap. 8, 36, «deliberantium... qui deliberant». Hujusmodi repetitionem Cicero non refugit. Gern.

32. *Sed redeo ad formulam.* Ad verba quidem : quidquid honestum est, idem utile, etc. a qua formula deflexerat iterum commemoranda Academiæ licentia, suoque judicio interponendo. Gern.

22 societatem. Ut, si unumquodque membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret, se valere, si proximi membri valitudinem ad se traduxisset; debilitari, et interire totum corpus necesse esset : sic, si unusquisque nostrum rapiat ad se commoda aliorum, detrahatque, quod cuique possit, emolumenti sui gratia; societas hominum, et communitas evertatur necesse est. Nam, sibi ut quisque malit, quod ad usum vitæ pertineat, quam alteri, acquirere, concessum est, non repugnante natura. Illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus.
23 Neque vero hoc solum natura, id est, jure [1] gentium, sed etiam legibus populorum [2], quibus in singulis [3] civitatibus respublica continetur [4], eodem modo constitutum est, ut non liceat sui commodi causa nocere alteri. Hoc enim spectant leges, hoc volunt, incolumem esse civium conjunctionem; quam qui dirimunt, eos morte, exsilio, vinculis, damno coercent. Atque hoc multo magis exigit [5] ipsa naturæ ratio [6], quæ est

V. 1. *Id est, jure gentium.* Declarat, quid nomine *naturæ* hoc loco intelligat. Natura igitur hic sumitur pro jure illo naturali, quo gentes omnes inter se conjunguntur, et jus gentium dicitur. Ita in Tusc. I, c. 13 : « Consensio omnium gentium lex naturæ putanda est ». Facc.

2. *Legibus populorum.* Secunda ratio formulæ ; quia ita jubent leges populorum et civitatum. Facc.

3. *Quibus in singulis*, etc. Quibus legibus civilis ratio cujusque civitatis continetur et πολιτεία. Facc.

4. *Respublica continetur.* Repudianda est Facciolati lectio, « respublicæ continentur ». Ferri nequit propter verba « in singulis civitatibus ». Vide annotata ad I, 26, 92. Gern.— Voces « in singulis civitatibus » non officiunt, modo cogitentur singulæ *res publicæ*, quæ, alia in alia civitate, fundatæ sunt legibus ex iisque pendent. De ipsa sententia cf. Leg. II, 5, 11. Binkes p. 46 (13), laudat Rousseavium *du Contrat social*, p. 68, ed. Amst. 1762, et *H. van Sonsbeeck*, Disp. de leg. civ. introd. et cap. 3 in Annal. Acad. Groning. a. 1817. Beier.

5. *Exigit.* Pro *exigit*, quod Facciolato placuit, Heusingerus scripsit *efficit*, exemplo usus Tuscul. I, 11, 23 : « Efficiet enim ratio ut... mors aut malum non sit, aut sit bonum potius ». Gern. — Schützius cum Beiero J. F. Heus. sequitur.

6. *Ipsa naturæ ratio.* Tertia ratio formulæ; quod ita natura poscat, id est, recta ratio summi Jovis, ut alibi eam vocat, unde lex omnis divina et

lex divina, et humana: cui parere qui velit (omnes autem parebunt, qui secundum naturam volent vivere), numquam committet, ut alienum appetat, et id, quod alteri detraxerit, sibi assumat. Etenim multo 24
magis[7] est secundum naturam excelsitas animi et magnitudo, itemque comitas[8], justitia, liberalitas, quam voluptas, quam vita, quam divitiæ: quæ quidem contemnere, et pro nihilo ducere, comparantem cum utilitate communi, magni animi et excelsi est. Detrahere autem alteri sui commodi causa, magis est contra naturam, quam mors, quam dolor, quam cetera generis ejusdem.

Itemque, magis est secundum naturam, pro omni- 25
bus gentibus, si fieri possit, conservandis[9] aut juvandis

humana. In secundo de Leg. cap. 4, dicitur « Ratio profecta a rerum natura, ad recte faciendum impellens, et a delicto avocans, orta simul cum mente divina ». Facc. — Utramque hanc legem ex Stoicorum disciplina ipse interpretatur de Leg. I, 6, 18. Ad eum loc. docte disputat Gœrenzius. Gern.

7. *Etenim multo magis*, etc. Omnia hæc usque ad periodum, *Ex quo efficitur*, etc. videntur inserta. Nec tamen tollere ausim. Sunt enim pleraque ad Ciceronis ingenium satis eleganter expressa. Si retinenda sunt, disputatur a contrariis, ita ferme: Prodesse homini secundum naturam est; nocere igitur contra naturam. Si absint, rectius cohærebit orationis contextus. Facc. — Ipse Facciolatus hunc locum videtur magis stabilivisse quam sollicitasse. Quamquam miror eum non illud vidisse, toto hoc loco ejecto, verbis *Ex quo efficitur*, etc. misere repeti eamdem sententiam, quæ tum fuerat proxima, « cui (naturæ) qui parere velit.... numquam committet, etc. » Recte autem J. F. Heusingerus judicat, vocem *multo*, quam Nonius in v. *Excelsitas* omittit, esse e superioribus « Atque hoc multo magis » huc translatam, certe hanc exaggerationem molestam esse. — Hæc Gernhardus, qui *multo* uncis includit. Beierus autem delevit.

8. *Itemque comitas*. Etiamne comitas magis est secundum naturam, quam vita? Facc. — F. Fabricius ex conjectura scribi vult *communitas*, quod ut Grævio probatur, sic ab Heusingeris restitutum est. — Hæc Gern. qui vulg. *comitas* servavit: Schützius Heusingeros sequutus est, at non Beier. qui notat: *Comitas* est autem facilitas aliis commodandi, officiorum et beneficiorum promptitudo. Hic *comitas* opponitur *voluptati*, *justitia vitæ*, *liberalitas divitiis*: in quo hæsit Facciol.

9. *Pro omnibus gentibus conservandis*. Argumentum videri potest minus verum. Quis enim dubitavit umquam, aut vero dubitare potest, quin magis secundum naturam sit, labores et mo-

maximos labores molestiasque suscipere, imitantem Herculem[10] illum, quem hominum fama, beneficiorum memor, in concilio cælestium collocavit, quam vivere in solitudine, non modo sine ullis molestiis, sed etiam in maximis voluptatibus, abundantem omnibus copiis; ut excellas etiam pulchritudine[11], et viribus. Quocirca optimo quisque[12], et splendidissimo ingenio longe illam vitam huic anteponit. Ex quo efficitur[13], hominem naturæ obedientem, homini nocere non posse.

lestias « pro omnibus gentibus » conservandis suscipere, quam in solitudine vivere? Verba sumpta videntur ex fine lib. II de Fin. ubi memorantur Herculis labores, per quos dicitur « de omnibus gentibus optime meritus », et ex quarta Tuscul. cap. 22, ubi Hercules dicitur in cælum sublatus a fortitudine. Faco.

10. *Herculem illum.* De Herculis ad deos abitu comp. Fin. III, 35, 119; Tuscul. I, 14 extr. Adde in Catil. III, 1, 2: « Romulum ad deos immort. benivolentia famaque sustulimus »; ad Attic. II, 20, « Bibulus hominum admiratione et benivolentia in cælo est »; pro Milone, cap. 36, 97. Vide Acta Soc. Traject. I, p. 152. Gern. — Erudite de Hercule disputat Beier. quem te non pœnitebit legisse.

11. *Ut excellas etiam pulchritudine.* Cui bono *pulchritudo* viventi in solitudine? cui bono *vires*? Quia tamen Peripatetici inter felicitatis adjumenta pulchritudinem viresque censebant, ideirco hæc quoque adjiciuntur. Facc. — Hanc splendidam miseriam fingit sæpe multis locis, ut I, 43, 153, 44, 158; Fin. III, 20; Læl. 23, 87. Gern. — Beierus respondet Facciolato: Non modo usus est commendationis causa, sed etiam per se hæc Stoici præcipua esse volebant, teste Diog. Laert. VII, 107. Cf. Cic. Fin. V, 17, 46 sq.

12. *Quocirca optimo quisque, et splend.* Non videtur opus esse ingenio tanto ad hæc cognoscenda, et posthabendam vitam solitariam, quæ ne vita quidem dici potest, ut disseruit in lib. I, cap. 45. Attamen ita loquitur, quicumque sit, propter eos, qui philosophiæ opinionem et famam ex solitudine quærebant. Facc. — Facc. scripsit « quisque splendidissimoque ».

13. *Ex quo efficitur, hominem naturæ*, etc. Verba hæc afferuntur a Lactantio, lib. VI, cap. 2. Nequaquam satis recte habent, nisi forte collocentur ante illa omnia, quæ diximus inserta videri. Facc. — Vehementer errat vir D. qui hanc conclusionem vult eo transponi, ubi fuerit plane otiosa. At enim tenendum est, omnem hanc argumentationem, qua docetur, detrahere aliquid de altero sui commodi causa esse contra naturam, institui ad fortitudinis cum natura convenientiam. Cujus virtutis partes, despicientiam rerum externarum magnarumque rerum gerendarum studium exposuit I, c. 20 pr. Gern. — Non vero fortitudinis solum, ut Gern. putat, comp. I, 66, sed omnino com-

Deinde, qui alterum[14] violat, ut ipse aliquid commodi consequatur, aut nihil se existimat contra naturam facere[15], aut magis fugiendam censet mortem, paupertatem, dolorem, amissionem etiam liberorum, propinquorum, amicorum[16], quam facere[17] cuipiam injuriam. Si nihil existimat contra naturam fieri hominibus violandis: quid cum eo disseras, qui omnino hominem ex homine[18] tollat? Sin fugiendum id quidem censet, sed et multo illa pejora, mortem, paupertatem, dolorem: errat in eo, quod ullum aut corporis, aut fortunæ vitium, animi vitiis gravius existimat. 26

VI. Ergo unum debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas[1] uniuscujusque, et universorum: quam si ad se quisque rapiat, dissolvetur omnis humunitatis cum natura convenientia hoc probatur argumento. Beier.

14. *Deinde, qui alterum.* Urget ad confirmandam formulam: Qui alterum violat, vel ignorat hoc esse malum, vel alia mala putat esse pejora. Utrumque refellit. Facc.

15. *Nihil se existimat contra naturam facere.* Quasi scilicet natura unumquodque animal maxime conciliet sibi, et ideo qui sibi serviat ac prosit, utcumque cum alterius damno, nihil faceret contra naturam. J. F. Gron.

16. *Am. etiam liberorum, propinquorum, amicorum.* Hæc addita videntur ab explanatore aliquo. Facc. — Causam suspicionis hujus opinor esse eam, quod extremo hoc capite repetit mortem, paupertatem, dolorem, non item amissionem liberorum, etc. quæ contineri videtur in dolore. Atque quum a graviore malo proficiscatur ad leviora; habet id quidem aliquid offensionis, quod post corporis animique dolorem commemoratur id quod dolorem efficit non minimum. Quamquam « amissio amicorum » dicitur etiam Tusc. III, 30 pr. Codex Goth. et hæc, et quæ sequuntur usque ad verba « dolorem errat in eo » omittit, errore quidem librarii. Gern.—Gernhardo Beier. assentitur.

17. *Quam facere.* Supple, quam censet fugiendum facere cuipiam injuriam ». Statim Beier. *cuiquam*, quod aptius h. l. dicit.

18. *Hominem ex homine.* Quid enim est homo, nisi animal habens humanam naturam?

VI. 1. *Eadem sit utilitas.* Humana societas est veluti naturale corpus: proindeque singularum partium commoda dici debent commoda totius. Ex hoc loco apparet, amorem hominis erga hominem ex lege naturæ manare: in primo autem de Leg. c. 12, tantum esse Cicero vult, « ut nihilo se quisque plus diligat, quam alterum ». Facc.

17 mana consortio[2]. Atque si etiam[3] hoc natura præ-
scribit, ut homo homini, quicumque sit, ob eam
ipsam causam, quod is homo sit, consultum velit:
necesse est secundum eamdem naturam omnium uti-
litatem esse communem. Quod si ita est, una conti-
nemur omnes, et eadem lege naturæ : idque ipsum si
ita est, certe violare alterum lege naturæ prohibemur.
Verum autem primum : verum igitur et extremum.
28 Nam illud quidem absurdum est, quod quidam di-
cunt, parenti se aut fratri nihil detracturos, commodi
sui causa; aliam rationem esse civium reliquorum. Hi
sibi nihil juris, et nullam societatem, communis utili-
tatis causa, statuunt esse cum civibus : quæ sententia
omnem societatem distrahit civitatis. Qui autem ci-
vium rationem dicunt habendam, externorum negant,
hi dirimunt communem humani generis societatem:
qua sublata, beneficentia, liberalitas, bonitas, justitia
funditus tollitur; quæ qui tollunt, etiam adversus deos
immortales impii judicandi sunt. Ab iis enim consti-
tutam inter homines societatem evertunt : cujus so-
cietatis arctissimum vinculum est, magis arbitrari esse

2. *Omnis humana consortio.* Alii, *consociatio.* Hæc, ut scribit Seneca lib. II de Ira, cap. 31, « sine amore et custodia partium salva esse non potest ». Facc.

3. *Atque si etiam.* Gern. scribit « atque etiam, si », ita ut conjungatur « Atque etiam necesse est, etc. » Hoc est enim alterum argumentum, quo efficiatur, omnium utilitatem esse communem, quod natura præscribit, ut homo homini..... consultum velit. Prius autem illud, quod... dissolvetur omnis humana consortio, repetitum est ex societatis natura, non ex hominis universa. — Vulgatæ sensus est hic : Dixit naturam vetare ne alicui quidquam detrahamus commodi nostri causa : addit nunc : Atque si non solum hoc natura præcipit, ne noceamus alicui, sed si præcipit etiam, ut hominibus, quantum possumus prosimus, etc. — Beierus, qui lectionem Gernhardi sequitur, contra eum observat : Quod vero dicit, hoc esse alterum argumentum, quo efficiatur, omnium utilitatem esse communem : nos quidem non aliud reperimus primum, sed præceptum potius, « ut communem utilitatem nostræ anteponamus ». Jam vero additur theorema : « revera omnium utilitatem esse communem ». Ergo hic fit gradatio. Conf. Fin. III, 19, 64 pr. 21, 69.

contra naturam, hominem homini detrahere, sui commodi causa, quam omnia incommoda subire vel externa, vel corporis, vel etiam ipsius animi, quæ vacent justitia[4]. Hæc enim una virtus omnium est domina et 29
regina virtutum.

Forsitan quispiam dixerit : Nonne igitur sapiens, si fame ipse conficiatur, abstulerit cibum alteri homini ad nullam rem utili? Minime vero[5]. Non enim mihi est

4. *Vacent justitia.* Præstat omnia incommoda subire, modo vacent justitia, id est, modo sint ejusmodi, quæ non patiaris ex merito, sed injuste tibi illata sint. Alii leg. *injustitia :* alii aliter, pro vario explicandi modo; sed eadem omnium sententia est. Facc.— Gern. qui scripsit « quæ vacent injustitia. Justitia enim » addit : Fallitur vir D. quamquam non magis probanda videtur Mureti correctio « servantem justitiam »; aut J. F. Gronovii, « ne vacet justitia »; aut Grævii, « quæ non vacent justitia »; aut denique Pearcii, *quia vacat* vel *vacet* (detrahere) *justitia.* Hi quidem omnes senserunt, ferri non posse plerorumque librorum lectionem « quæ vacent justitia », cui quæ contraria sententia est, requiritur, nisi intelligas id, quod Hottingerus vertit, « exceptis iis incommodis, quæ vac. just. » (nam Lambinus eam sententiam interponit, quæ legitur c. 5, 25, cujus finem fingit hunc : « quam commoda ... percipere, quæ vacent just. ») Sed tamen unice probare debebant cum Fabricio, Ernest. Wyttenbachio in Biblioth. critic. I, 3, p. 27, et J. F. Heusingero unius libri Ubaldini ab Aldo proditam lectionem *quæ vacent injustitia,* i. e. ita tamen, si non injustus sis. Corrupta autem est vox *injustitia* propter proximam *Justitia,* quæ pro *Hæc* est restituta ab Heusingero. Gern. — Schützius Gern. sequitur, probatque J. V. L. — Nobis autem ea lectio ab his probata placere non potest : quam si admittas, hæc erit sententia magis contra naturam esse aliquid alicui detrahere, i. e. contra justitiam facere, quam omnia mala perpeti, quæ pati potes ita, ut nihil contra justitiam facias; quod prorsus ineptum est : nam nemo umquam injuste faciet eo animo, ut in se trahat incommoda. Optimus est contra vulgatæ sensus a Facc. oblatus, qui redit ad præclarum illud præceptum : Melius est injuriam perpeti, quam facere. Sed tum minime coit sequens sententia *Hæc enim*, etc. ita ut locum si non omnino insanandum, at saltem insanatum adhuc arbitremur. Beierus edidit e conj. *quæ vacent justitiæ*, id est, inquit, locum relinquant, capacia sint justitiæ, modo admittant justitiam, ut fere loquitur Virgil. Æneid. XI, 179 sq. ex Heynii interpunctione, et Palladius, cap. 17 extr. Cic. Divin. I, 6, 11 pr. Curtius, VI, 7, 20. Ceterum etiam Aristoteles, Eth. Nic. lib. V, c. 11, sect. 6, et Seneca, epist. 95, judicant, « ex naturæ constitutione miserius esse, nocere (ἀδικεῖν), quam lædi (ἀδικεῖσθαι) ».

5. *Minime vero.* Ex disciplina Stoica. Facc. — *Minime vero.* Aliter sentit H. Grotius, de Jure belli et pacis, lib. II, cap. 2, qui censet in gravissima necessitate reviviscere jus illud pri-

vita mea utilior, quam animi talis affectio, neminem ut violem commodi mei gratia. Quid? si Phalarim[6], crudelem tyrannum et immanem, vir bonus, ne ipse frigore conficiatur, vestitu spoliare possit; nonne faciat? Hæc ad judicandum sunt facillima. Nam, si quid ab homine ad nullam partem utili, tuæ utilitatis causa detraxeris; inhumane feceris, contraque naturæ legem: sin autem is tu sis[7], qui multam utilitatem reipublicæ atque hominum societati, si in vita remaneas, afferre possis; si quid ob eam causam[8] alteri detraxeris, non sit reprehendendum. Sin autem[9] id non sit ejusmodi, suum cuique incommodum ferendum est potius, quam de alterius commodis detrahendum. Non igitur magis est contra naturam morbus, aut egestas, aut quid ejusmodi, quàm detractio aut appetitio alieni.

stinum rebus utendi, tamquam si communes mansissent, quia in omnibus legibus humanis, ac proinde et in lege dominii, summa illa necessitas videtur excepta. Sed vide quæ pluribus de hac re disputat ibi, et quidnam observandum tali tempore, ne peccemus. Vide et qui illa discussit Samuel. Pufendorfium, lib. II, de Jure naturæ et gentium, cap. 6. Gronov.

6. *Si Phalarim.* De hoc Siciliæ tyranno cf. II, 7, 26. Gern. — *Phalarim.* Quem puerulos adhuc lactentes edere solitum fuisse, cum Clearcho apud Athenæum, p. 369, perhibet Tatianus, sect. 54. Atque etiam secundum Aristotelem, Eth. Nic. VII, 5, sect. 2 et 7. Eudem. VI, 5, ut Aspasius scholiasta interpretatur pag. 154, λέγεται φαγεῖν τὸν ἑαυτοῦ παῖδα. Vid. n. ad II, 26 pr. cl. in Pis. § 42 extr. Tuscul. II, 7, 17, V, 26, 75 extr. Seneca, epist. 66, § 17; Plin. XXXIV, c. 4, sect. 19, § 32; Olear. ad Suidam in voce Φάλαρις. Beier. — Qui interrogationis signum vulg. post *quid* positum ad v. *possit* retraxit.

7. *Sin autem is tu sis.* Qui in Cicerone reprehendunt hanc distinctionem, non cogitant, illum loqui de perfecto sapiente, qui novit quid cuique sit tribuendum, et in omnibus respicit quum utilitatem communem societatis humanæ, tum illius, in qua vivit reipublicæ, cujus salutem, dignitatem, et commoda suis præfert. Itaque si sciat talem se esse, non propter se, sed propter rempubl. detrahet in extrema necessitate alteri minus utili civi, ut servetur aliquid. Græv.

8. *Ob eam causam.* Quæ causa communis est, quandoquidem tu utilis reip. es. Facc. — *Si quid ob eam causam.* Scil. ob id, ut in vita remanere possis.

9. *Sin autem id non sit ejusmodi,* etc. Id est, si tu non sis reip. et hominum societati utilis, detrahendi causam nullam habes de alterius commodis. Facc.

Sed communis utilitatis derelictio[10] contra naturam est. Est enim injusta. Itaque lex ipsa naturæ, quæ utilitatem hominum conservat et continet, decernit profecto, ut ab homine inerti atque inutili, ad sapientem, bonum, fortemque[11] virum transferantur res ad vivendum necessariæ; qui si occiderit, multum de communi utilitate detraxerit : modo hoc[12] ita faciat, ut ne ipse de se bene existimans, seseque diligens, hanc causam habeat ad injuriam[13]. Ita semper officio fungetur[14], utilitati consulens hominum, et ei, quam sæpe commemoro, humanæ societati. Nam quod ad Phalarim attinet, perfacile judicium est. Nulla enim nobis societas cum tyrannis, sed potius summa distractio est; neque est contra naturam, spoliare eum si possis, quem honestum est necare; atque hoc omne genus pestiferum atque impium, ex hominum communitate exterminandum est. Etenim, ut membra quædam amputantur, si et ipsa sanguine[15], et tam-

31 (beside "Sed communis utilitatis derelictio… contra naturam")
32 (beside "quam sæpe commemoro, humanæ societati. Nam quod")

10. *Sed... derelictio.* Sed si contra naturam est, ut aliquid detrahamus alicui nostri commodi causa, et contra naturam est, ut ille, qui egentibus opitulari potest, eos derelinquat.

11. *Fortemque.* Beier. cum F. Heus. delet *que* multorum libb. auctoritate.

12. *Modo hoc*, etc. Modo ne nimio sui amore decipiatur. Facc. — Balduinus, omisso *si* ante *occiderit*, edidit « modo hic ita faciat ». Verba hæc ponuntur, quasi præcesserit, sapiens ad se transferat. Garn.

13. *Hanc causam habeat ad injuriam.* Modo ne φιλαυτία nos decipiat, et elatius de nobis ipsi sentientes, quam revera sumus, alios afficiamus injuria propter nos, non propter utilitatem publicam. Gron. — *Ita*, quod sequitur, valet, hæc præcepta servans, hac captione adhibita.

14. *Officio fungetur.* Seqq. sic capimus : « Ita semper officio fungetur, quum nemini detrahet nisi propter communem hominum quam plurimorum societatisque humanæ utilitatem, cujus derelictio injusta est » (§ 30 extr.). Hottingeri versio « utilitatem singulorum hominum » opponit « universæ societati humanæ ». Beier.

15. *Si et ipsa sanguine*, etc. Pro *sanguine* Facciol. e suo codice dedit *languere*, idemque Schützius facit. — J. M. Heusingerus *et ipsa* pro glossa habet; sed defendit quum omnem vulgatam lectionem, tum hæc verba Garenzius ad Leg. p. 259. Nam alteram amputationis causam ad membra affecta ipsa referri; alteram ad reliqua corporis ejusdem membra spectare. J. F. Heusingerus *sanguine* tuetur et pro vita accipit, ut in Horat. Carm.

quam spiritu carere cœperunt, et nocent reliquis partibus corporis : sic ista in figura hominis feritas et immanitas belluæ, a communi tamquam humanitate corporis[16] segreganda est. Hujus generis sunt quæstiones omnes eæ, in quibus ex tempore[17] officium exquiritur.

33 VII. Ejusmodi igitur credo res Panætium persequuturum[1] fuisse, nisi aliqui casus, aut occupatio consilium ejus peremisset[2] : ad quas ipsas consultationes

I, 24, 15 : « Num vanæ redeat sanguis imagini? » Adde etiam Ciceronem ad Att. IV, 16, et Celsum de Medic. lib. V, cap. 26, 34 extr. Gern. — Beierus v. *sanguine* contra F. Heus. proprie accipit, probatque Gœrenzii interpretationem.

16. *A communi tamquam humanitate corporis.* Facc. scripsit « a comm. tamquam humanitatis corpore ». Ita, inquit, ex Mureto. Nam vulgo leg. « humanitate corporis ». Significat autem ex corpore societatis humanæ tollendam esse feritatem belluinam, in hominis figura latentem. — Dissentit Heusingerus de interpretanda voce *humanitatis*, quam recte contendit esse non « humanum genus », sed continere eos, qui humanæ rationis et humanorum motuum non sint expertes. Equidem dixerim, ad « humanitatis corpus » pertinere non omnes eos, qui nati homines sunt, ex quibus quidem constat genus humanum, sed eos, qui naturam humanam non exuerunt, vel non eos, qui appellantur homines, sed qui homines sunt. Esse autem desierunt, qui communitatem tollunt, ut crudeles tyranni, ut alii homines pestiferi. Eo sensu homini paullo ante opposuit figuram hominis, quippe quæ vacet humana natura et dignitate. Gern. — Schützius quoque Mureto obtemperavit. Beier. scripsit « a communi tamquam corpore ». *Humanitas*, inquit, in cujus vi explicanda hic Heusing. et Gernh. argutiis certant, collective non usurpatur. Præterea *tamquam* non suo loco posita est. Oportuit certe dictum : « tamquam corpore humanitatis ». Conf. pro Sext. § 135 extr. E Gu. 3 restituimus *corpore*, sed proscripsimus glossam, quæ, petita ex antecedd. « ex hominum communitate », glossatam expulit apud Vincentium : « a communi humanitate segreganda est »; abest autem certe ab uno Ox. in quo est « a communitate corporis ».

17. *Ex tempore.* Ex tempore et loco cognitio petitur officii. Facc. — Hujusmodi quæstiones variam dubitationem consequuntur ex περιστάσει temporum. Hinc Aristoteles argute loquitur Nicom. III, 1, § 10, τὸ τέλος τῆς πράξεως μετὰ τὸν καιρόν ἐστι. Quæ verba ita exprimit vetus paraphrastes : « Uniuscujusque actionis finis talis aut talis est pro tempore ; et respectu temporis aut bonus fit, aut malus ». Rachel.

VII. 1. *Ejusmodi ... res ... persequuturum.* De quæstionibus ejusmodi disputaturum fuisse.

2. *Peremisset.* Al. ex conjectura leg. *prævenisset.* Sed nihil mutandum. Facc. — *Perimere* est irritum facere, tollere, ut pro Sext. c. 22 pr. « Si

ex superioribus libris[3] satis multa præcepta sunt, quibus perspici possit, quid sit propter turpitudinem fugiendum; quid, quod idcirco fugiendum non sit, quia omnino turpe non sit[4]. Sed quoniam[5] operi inchoato, et prope jam absoluto, tamquam fastigium imponimus: ut geometræ[6] solent non omnia docere, sed postulare[7], ut quædam sibi concedantur, quo facilius, quæ velint[8], explicent; sic ego a te postulo, mi Cicero, ut mihi concedas, si potes[9], nihil, præter id, quod honestum sit, propter se esse expetendum. Sin hoc non licet per Cratippum[10]; at illud certe dabis, quod honestum sit, id esse maxime propter se[11] expetendum. Mihi utrumvis[12] satis est; et tum hoc, tum illud probabilius videtur, nec præterea quidquam probabile.

Ac primum Panætius in hoc[13] defendendus est, quod 34
non utilia cum honestis pugnare aliquando posse dixerit (neque enim[14] ei fas erat), sed ea, quæ viderentur

causam publicam mea mors peremisset ». Gern.

3. *Ad quas ipsas consultationes ex superioribus*, etc. Ad has quæstiones solvendas regulæ continentur in duobus libris superioribus. Facc.

4. *Quia omnino turpe non sit.* Gern. scribit *quod*. Beierus *quod*, et *est* pro *sit*, non sine libb. auctoritate, ut videtur ὁμοιοτέλευτον.

5. *Sed quoniam*, etc. Duo postulata ponit, quorum alterum sibi concedi necesse sit, ad id, quod proposuit, explicandum. Facc.

6. *Geometræ.* Eamdem vide sententiam Tusc. lib. V, c. 7; cf. et Sen. ep. 88.

7. *Sed postulare.* Geometræ initio postulata quædam ponunt, quibus postea tamquam principiis argumentando utuntur. Facc.

8. *Quæ velint.* Gern. scribit « quæ volunt ». — De re cf. Tusc. V, 7, 18.

9. *Si potes.* Peripatetici enim non concedunt sola honesta esse expetenda. M. Heus.

10. *Cratippum*, magistrum, Peripateticum. Vid. lib. I, c. 1 pr. M. Heus.

11. *Id ... propter se expetendum.* Quæ Peripateticorum sententia erat. M. Heus.

12. *Mihi utrumvis.* Mihi, utpote Academico, ex his duobus licet sumere utrumvis. Nam modo unum, modo alterum probabilius videtur. Sed præter duo hæc nihil est probabile. Facc. — Male igitur intpr. gallicus vertit : « La première est très-probable, mais la seconde le paraît encore davantage selon moi, et beaucoup plus que tout autre ».

13. *In hoc.* Sc. ob hanc rationem : bene respondet locutio gallica *en cela, que*.

14. *Neque enim*, etc. Id ei fas non

utilia. Nihil vero utile[15], quod non idem honestum; nihil honestum, quod non idem utile sit, sæpe testatur: negatque, ullam pestem majorem in vitam hominum invasisse, quam eorum opinionem, qui ista distraxerint. Itaque non, ut aliquando anteponeremus utilia honestis, sed ut ea sine errore dijudicaremus, si quando incidissent, induxit eam, quæ videretur esse, non quæ esset, repugnantiam[16]. Hanc igitur partem relictam explebimus, nullius adminiculis, sed, ut dicitur, Marte nostro. Neque enim quidquam de hac parte post Panætium explicatum est, quod quidem mihi probaretur, de iis, quæ in manus meas venerunt[17].

35 VIII. Quum igitur aliqua species utilitatis objecta est, commoveri necesse est. Sed si, quum animum attenderis, turpitudinem videas adjunctam ei rei, quæ speciem utilitatis attulerit; tum non utilitas relinquenda[1] est, sed intelligendum, ubi turpitudo sit, ibi utilitatem esse non posse. Quod si nihil est[2] tam contra naturam, quam turpitudo (recta enim, et convenientia, et constantia natura desiderat, aspernaturque

erat, quippe Stoico. Facc. — Comp. c. 3, 12 : « sed quum sit is (Panætius), qui id solum bonum judicet, quod honestum est, etc. » Hottinger. in nota ad h. l. p. 240, contra Garvium contendit, *nefas*, ut οὐ θέμις, οὐ θεμιτὸν, esse quod per rei naturam non liceat. Gern.

15. *Nihil vero utile, quod non idem*, etc. Apud Panætium et reliquos Stoicos utile et honestum reciprocantur. Facc.

16. *Quæ esset, repugnantiam*. Id quasi certamen, in quo utile honesto opposuit.

17. *In manus meas venerunt*. Omnes imprr. *manus nostras*. Gern. scribit *venerint*. Hoc, inquit, est, quæ me legere memini. — Sequitur Gernh. Beierus.

VIII. 1. *Non utilitas relinquenda*. Nolo, te utilitatem relinquere; sed volo tibi persuadeas, nullam ibi utilitatem esse, quæ vere utilitas sit. Alii leg. « non utilitas requirenda » : id est, non debet requiri utilitas, ubi non est nisi species ejus. Facc.

2. *Quod si nihil est*, etc. Hæc est Ciceronis argumentatio : Utilitas secundum naturam est, turpitudo contra naturam; ergo coalescere simul nequeunt. Hoc autem erat in Socratica philosophia præcipuum, omnem utilitatis rationem a principiis naturalibus manare, nihilque esse utile, quod naturæ repugnet. Facc.

contraria), nihilque tam secundum naturam, quam utilitas : certe in eadem re utilitas et turpitudo esse non potest. Itemque[3], si ad honestatem nati sumus, eaque aut sola expetenda est, ut Zenoni visum est; aut certe omni pondere gravior[4] habenda, quam reliqua omnia, quod Aristoteli placet : necesse est, quod honestum sit, id esse aut solum, aut summum bonum : quod autem bonum, id certe utile; ita quidquid honestum, id utile[5].

Quare error[6] hominum non proborum, quum ali- 36

3. *Itemque, si.* En sorites : si honestum est, secundum naturam est : si secundum naturam est, expetendum est : si expetendum est, bonum est : si bonum est, utile est; ergo si honestum est, utile est. Et quia utile, ut dixit, est secundum naturam, conclusio reciprocatur. Facc.

4. *Omni pondere gravior.* Inest in his eadem allusio, quæ 3, 11, et Fin. V, 30, 92, ad libram, cujus similitudine significabatur, virtutem tam præstantem esse, tam laudabilem, ut toto in mundo, terra pariter et mari, nihil quidquam inveniatur, quod cum ea comparari conferrique possit : reliqua omnia ὡς ῥοπὴν ζυγοῦ λογισθῆναι, ut loquitur Esaias XL, 15, i. e. ὡς οὐδὲν εἶναι, vs. 17. Alia metaphora, etiam magnificentior, frequentatur 47 extr. Tusc. V, 41, 119 extr. Fin. III, 14, 45 pr. IV, 12, 29 sq. 13, 32 pr. V, 24, 71 extr. 72, 30, 90, 31, 93 : « Ut obscuratur et offunditur luce solis lumen lucernæ (aut, ut alibi, *stellarum*) : sic omnis ista rerum in corpore sitarum (et externarum) æstimatio splendore virtutis et magnitudine obscuretur et obruatur atque intereat necesse est : ut ea ne in conspectu quidem relinquatur ». Beier.

5. *Quidquid honestum, id utile.* Attendenda est argumentatio, quæ multos decepit. Neque enim hinc sequitur dumtaxat, quod honestum est, idem esse utile; sed etiam, quod utile est, idem esse honestum : quod utrumque secundum naturam sit; unde tota vis argumenti oritur. Facc. — In his nervum probandi desiderat Garv. ad h. l. p. 46 sq. Certe, si, ut Facciolato visum, Cicero hoc argumento efficere voluerit, ut et, quidquid honestum, idem utile esset et, quidquid utile, idem honestum, laborabit totius argumenti compages. Nam; ut concedatur », honestum, quum sit secundum naturam atque aut solum aut maxime propter se expetendum, ergo summum bonum » (cf. Fin. III, 8, 27, IV, 18, 50; Tusc. V, 30, 84; Plutarch. περὶ Στ. ἐναντιωμ. p. 1039; Diog. VII, 101, 127 ad f.); *honestum* igitur contineri in *utili* : tamen hæ notiones non reciprocantur neque æquipollent; sed latius patet *utile* eique *honestum* subjectum est, tamquam pars generi. Beier.

6. *Error,* etc. Homines igitur non satis probi, quum specie utilitatis capti sunt, errore quodam eam separant ab honestate, et ipsam per se expetendam esse judicant. Hinc latrocinia et turpia quælibet injustitiæ genera, quæ naturæ repugnant. Facc.

quid, quod utile visum est, arripuit, id continuo secernit ab honesto7. Hinc sicæ, hinc venena, hinc falsa testamenta nascuntur; hinc furta, peculatus, expilationes, direptionesque sociorum, et civium; hinc opum nimiarum potentiæ non ferendæ; postremo etiam in liberis civitatibus regnandi exsistunt cupiditates, quibus nihil nec tetrius, nec fœdius excogitari potest. Emolumenta enim rerum fallacibus[8] judiciis vident: pœnam, non dico legum, quas sæpe perrumpunt[9], sed ipsius turpitudinis[10], quæ acerbissima est,
37 non vident. Quamobrem hoc quidem deliberantium genus pellatur e medio (est enim totum sceleratum, et impium); qui deliberant, utrum id sequantur, quod honestum esse videant, an se scientes[11] scelere contaminent: in ipsa enim dubitatione[12] facinus inest, etiamsi ad id non pervenerint. Ergo ea[13] deliberanda omnino non sunt, in quibus est turpis ipsa deliberatio. Atque etiam ex omni[14] deliberatione celandi et occultandi spes, opinioque removenda est. Satis enim nobis (si modo in philosophia aliquid profecimus) per-

7. *Secernit ab honesto.* I. e. non considerat honestumne sit, an turpe: specie sola utilitatis trahitur.

8. *Fallacibus judiciis.* Falluntur in judicando. Neque enim potest esse bonum et utile, quod legum pœna consequitur, turpitudinis dedecus et conscientiæ supplicium. Facc.

9. *Sæpe perrumpunt.* Id est, perrumpendo evadunt, ut feræ retia. Facc. — C. Langius monet alludi hic, ut Leg. I, 15, 42: « negliget leges, easque perrumpet », ad illud veteris alicujus philosophi, quo leges aranearum telis comparantur, quæ a valentioribus animalibus perrumpantur. Gœrenz. ad l. l. citat Plut. Solon. 81, et Stob. Serm. 43, p. 304 Gesn. Gern.

10. *Turpitudinis.* Quam et aliorum et suo ipsorum judicio subeunt. Turpissimum enim est, sceleris et flagitii sibi esse conscium. M. Heus.

11. *An se scientes*, etc. Quia consulto deserunt, quod vident, et fatentur, esse honestum. Facc.

12. *Ipsa enim dubitatione.* Vide lib. I, c. 9, et quæ ibi sub finem adnotavi. Facc.

13. *Ergo ea deliberanda*, etc. Videtur adventitia conclusio hæc. Facc. — Placuit vero Ciceroni hic, ut alibi, superiora in contractiorem præcepti formam redigere. Vide quæ dixi ad I, 39 extr. « In omni autem, etc. » Gern.

14. *Ex omni.* Al. *in omni.* Facc. — *In omni* est in imprr. vett. Gern.

suasum esse debet, si omnes deos hominesque celare possimus, nihil tamen avare, nihil injuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum.

IX. Hinc ille Gyges inducitur a Platone [1]: qui, quum 38
terra discessisset [2] magnis quibusdam imbribus, in illum hiatum descendit; æneumque equum, ut ferunt fabulæ, animadvertit, cujus in lateribus fores essent: quibus apertis hominis mortui vidit corpus magnitudine inusitata, annulumque [3] aureum in digito; quem ut detraxit, ipse induit (erat autem regius pastor); tum in concilium pastorum se recepit. Ibi quum palam ejus annuli ad palmam converterat, a nullo [4] videbatur, ipse autem omnia videbat. Idem rursus videbatur, quum in locum [5] annulum inverterat. Itaque hac opportunitate annuli usus, reginæ stuprum intulit, eaque adjutrice regem [6] dominum interemit, sustulitque, quos obstare arbitrabatur: nec in his eum quisquam facinoribus potuit videre. Sic repente annuli beneficio rex exortus est Lydiæ [7]. Hunc igitur ipsum annulum

IX. 1. *A Platone.* Vide lib. II de Rep. Facc. — Vide Plat. l. l. p. 211, edit. Bip. Reizius ad h. l. conferre jubet Herodotum, I, 8-12. Gern. — Vide Justin. lib. I, c. 7 extr. Herodot. I, 8-12.

2. *Discessisset.* Discissa esset. Facc.

3. *Annulumque.* Beier. scribit *anulum*, observatque: Hanc orthographiam tuetur Bern. cum aliis plerisque. Grotefend. in Lat. Gramm. vol. II, § 180, p. 197 (ed. 3), § 193 pr. cum Varrone derivat ab *anno.* At vero tam honeste derivari poterit ab *ano*, rotundo foramine, quam *penicillus* a *pene* cum Cic. in Epist. IX, 22, 6 sq. Beier.

4. *A nullo videbatur.* Quod ex eo mirabundus intelligebat, quod de se, tamquam de absente, ceteros loqui audiebat. M. Heus.

5. *In locum.* Id est, in locum suum, ut loquitur D. Ambrosius eamdem fabulam narrans. Est autem annuli locus, ut pala extra manum sit. Manutius legit *in lucem.* Sed contra antiquos libros, ut ipse ultro fatetur. Facc.

6. *Regem.* Candaulem, de quo Justinus, lib. I, c. 7. Facc.

7. *Exortus est Lydiæ.* Apud Dionysium Hal. VI, p. 820 Reisk. inter Lydorum imperium Gyge rege et Persicum bellum statuitur intervallum annorum ducentorum et viginti, si εἴκοσι legamus cum Scaligero ad Euseb. p. 774, et Creuzero, p. 200, quæ fere conveniunt cum Herodoti cal-

si habeat sapiens, nihilo plus[8] sibi licere putet peccare, quam si non haberet[9]. Honesta enim bonis viris, non occulta quæruntur.

39 Atque hoc loco philosophi quidam, minime mali illi quidem, sed non satis acuti, fictam et commentitiam fabulam dicunt prolatam a Platone : quasi vero ille, aut factum id esse, aut fieri potuisse defendat. Hæc est vis hujus annuli, et hujus exempli : si nemo sciturus, nemo ne suspicaturus quidem sit, quum aliquid, divitiarum, potentiæ, dominationis, libidinis causa, feceris, si id diis hominibusque futurum sit semper ignotum; sisne facturus. Negant, id fieri posse; quamquam potest id quidem[10]. Sed quæro, quod ne-

culo, I, 14, ex quo Gyges regnavit a. Ch. ann. 716-678. Sed Euphorio ap. Cl. Alex. Strom. I, p. 389, hujus regis ætatem æqualem facit Homeri. De ejus divitiis, quæ adeo in proverbium cesserant, vid. Fischer ad Anacreont. XV, 1, et Ill. Jacobsii Animadv. ad Archilochum in Anthol. Gr. t. VI, p. 155. Beier.

8. *Nihilo plus.* J. F. Heusingerus quum h. l. scripsisset *nihil plus*, quod in plurimis libris est, mutasse videtur sententiam in Indice. Verbum *peccare* exclusit etiam Fabric. et Victorius, invitis tamen libris omnibus. Gern.

9. *Quam si non haberet.* Hanc omnium librorum constantem lectionem Erfurdtius in notis MSS mutat in « quam si non habeat ». Atque habet hæc quidem correctio quamdam probabilitatis speciem propter præcedens « si habeat ». Non habent enim sapientes istum annulum. Sed tamen retinenda vulgata est. Nam « si habeat sapiens » est, fingamus sapientem habentem ... is nihilo plus sibi licere putet peccare, « quam si non habeat », i. e. quam si cogitetur non habere. Quoniam autem certe ex Ciceronis fictione habet annulum sapiens; aptius est dici, « nihilo plus sibi licere putet peccare, quam (putaret) si non haberet ». Gern.

10. *Quamquam potest id quidem.* Gottleber. cum Gesnero in Chrestomathia Cic. n. CXXV, n. 3, ex antecedd. supplet *negari*. Scheller. cum Facc. et Ern. substituit *Nequaquam*. F. Heus. librorum auctoritatem sic defendit, ut Cicero, quum esset Academicus, concedat, fieri posse, ut dii res hominum non curent eoque improba eorum facta ignorent, cf. N. D. III, 35, 85 pr. 32, 79. Cf. Divin. II, 50, 104 extr. Sensus igitur hic est: « Est id quidem dubium controversumque ». Gernh. autem cum Hottingero, p. 242, hanc licentiam Academiæ adolescentioris commilitoni concedi noluit, nec vv. « diis hominibusque » urgeri. Dii immortales! quantis tricis opus fuit, ut, vos nullo numero habendos esse, expedirent interpretes! quos lateret hæc quoque esse a Platone, lib. II, pag. 365, E. Et, si Cicero nihil amplius voluit, quam per

gant posse, id si posset, quidnam facerent? Urgent rustice sane [11]. Negant enim posse, et in eo perstant: hoc verbum [12] quid valeat, non vident. Quum enim quærimus, si possint celare, quid facturi sint; non quærimus, possintne celare: sed tamquam tormenta quædam adhibemus [13], ut, si responderint, se, impunitate proposita, facturos, quod expediat [14], facinorosos se esse fateantur; si negent, omnia turpia per se ipsa fugienda esse concedant. Sed jam ad propositum revertamur.

X. Incidunt sæpe multæ causæ, quæ conturbent 40
animos utilitatis specie; non, quum hoc deliberetur, relinquendane sit honestas propter utilitatis magnitudinem (nam id quidem improbum est); sed illud, possitne id, quod utile videatur [1], fieri non turpiter. Quum Collatino [2] collegæ Brutus imperium abrogabat,

ὑπερβολὴν quamdam significare, « posse id semper celari », nonne bardi ac stupidi sunt adversarii, qui tamen negent, « posse id semper esse omnibus (hominibus) ignotum? » Beier.

11. *Urgent rustice sane.* Eruditi enim homines non ignorant falsa quoque fingi posse, ut vera inde concludantur. M. Heus.

12. *Hoc verbum*, sc. *si posset.* Non intelligunt, conditionem nihil de re ipsa affirmare. M. Heus.

13. *Tormenta q. adhibemus.* Torquendo quærimus. Facc. — Ejusmodi tormenta Socrates adhibebat adolescentibus, quum acrius instaret quærendo: ut Plat. Lach. pag. 180 edit. Bipont. οὐ πρότερον ἀφήσει Σωκράτης, πρὶν ἂν βασανίζῃ ταῦτα. Notissimum est etiam illud Horatii ad amphoram: « Tu lene tormentum ingenio admoves Plerumque duro ». Gern. — *Tormenta*, instrumentum aliquod, quo invitis etiam veritas exprimitur. M. Heus.

14. *Quod expediat.* Quod utile, vel jucundum putaverint.

X. 1. *Quod utile videatur.* Quamvis revera non sit, quia caret honestate. Hujusmodi fuit utilitatis species Romulo objecta, quum fratrem interemit. Facc.

2. *Quum Collatino.* L. Tarquinius Collatinus, Lucretiæ maritus, videbatur Romæ retinendus: et satis habebat causæ, cur ex omnibus Tarquiniis unus retineretur: attamen Brutus qualibet ratione exonerandam metu civitatem ratus, legem tulit, ut « omnes Tarquiniæ gentis exsules essent », ut scribit Livius, lib. II, cap. 2. Facc. — L. Tarquinium Collatinum M. Heus. auctore Livio, I, 57, Egerii, quem Tarquinius Priscus patruus populo Collatino dedito præfecerat dominum (ibid. cap. 38 pr.), filium fuisse scribit. Sed Dionysius Halicarn. lib. IV, e temporum ratione, illius nepotem fuisse, conjicit. Beier.

poterat videri facere id injuste. Fuerat enim in regibus expellendis socius Bruti, consiliorum etiam adjutor. Quum autem consilium hoc principes cepissent, cognationem Superbi, nomenque Tarquiniorum, et memoriam regni, esse tollendam: quod erat utile, patriæ consulere; id erat ita honestum[3], ut etiam ipsi Collatino placere deberet. Itaque utilitas valuit propter honestatem: sine qua ne utilitas quidem esse potuisset.
41 At in eo rege, qui urbem condidit, non ita. Species enim utilitatis animum pepulit ejus: cui quum visum esset utilius, solum, quam cum altero[4] regnare, fratrem interemit. Omisit hic[5] et pietatem, et humanitatem, ut id, quod utile videbatur, neque erat, assequi posset: et tamen muri causam[6] opposuit, speciem honestatis neque probabilem, neque satis idoneam. Peccavit igitur; pace vel Quirini[7], vel Romuli dixerim.

3. *Id erat ita honestum*, etc. Damnat id factum tamen Augustinus, de Civit. Dei, II, c. 17, et III, c. 16, et Albericus Gentilis, de armis roman. I, cap. 4. Sed merito cum Cicerone Brutum defendit idem Albericus Gentilis, de armis roman. lib. II, c. 4, et Rupertus in not. ad Flor. lib. I, cap. 9. GRÆV.

4. *Solum, quam cum altero*. De diversis ejus rei opinionibus cum Livio, I, 7, cf. S. Aurel. Victor l. extr. de orig. gentis Rom. Dionys. Halic. II, cap. 5 sq. Plutarch. in Romulo, c. 10. BEIER.

5. *Omisit hic*. Romulus omisit pietatem, dum desæviit in fratrem; humanitatem, dum hominem levi de causa interfecit. FACC.

6. *Muri causam*. Romulus edixerat, ne quis nova mœnia transiliret. Id quum spreto fratris edicto Remus fecisset, ab eo interfectus est. Liv. I, cap. 7. M. HEUS.

7. *Vel Quirini*. Hoc nomen acquisivit Romulus, quum inter deos relatus est. Sive igitur dicatur Romulus, hoc est urbis parens, sive Quirinus, hoc est, deus, peccavit. FACC.—Cum Heusingero patruo, qui monet, dum iram Romuli, quasi dei, deprecetur, tanto magis fictam ejus divinitatem ridere, consentit, ut Erfurdtius in schedis annotavit, Biblioth. Turic. II, pag. 155. GERN.—Hæc dicuntur contra Langium, qui notaverat: Ex ritu supplicantium; ne in nomine errarent, plura solent enuntiare. Horatius: « Sive tu Lucina probas vocari, seu Genitalis ». Et illud: « Luna deum quæ sola vides perjuria vulgi, Seu Cretæa magis, seu tu Dictynna vocaris ». Post mortem Quirinus dictus est Romulus. — Vide Turnebi annotationem ad lib. I de Leg. cap. 1 ed. Oliv. verb. *Quirinus*. — Acutissime autem Cel. Buttmann. in Diss. Excursu XIII extr. ad lib. I laudata, p. 143, docuit,

Nec tamen nostræ nobis utilitates omittendæ sunt, 42
aliisque tradendæ, quum his ipsi egemus; sed suæ cuique utilitati, quod[8] sine alterius injuria fiat, serviendum est. Scite Chrysippus[9], ut multa : Qui stadium, inquit, currit, eniti et contendere debet, quam maxime possit, ut vincat; supplantare[10] eum, quicum certet, aut manu depellere[11], nullo modo debet. Sic in vita sibi quemque petere, quod pertineat ad usum, non iniquum est; alteri deripere, jus non est.

Maxime autem[12] perturbantur officia in amicitiis: 43
quibus et non tribuere, quod recte possis, et tribuere, quod non sit æquum, contra officium est. Sed hujus generis totius, breve, et non difficile præceptum est. Quæ enim videntur utilia, honores, divitiæ, voluptates, cetera generis ejusdem, hæc amicitiæ numquam anteponenda sunt. At neque contra rempublicam, neque contra jusjurandum ac fidem, amici causa, vir bonus faciet; ne si judex quidem erit de ipso[13] amico.

cujus duplex nomen respondere item duplici ejusdem populi nomini Romanorum et Quiritium : ut Quirinus primitus fuerit heros gentis Sabinæ, Curibus oriundæ, Romulus autem Albanæ, tum vero, utraque gente in unum confusa populum, fabula etiam heroum numen conflaverit in unum, utroque nomine celebratum. BRIEN.

8. *Quod*, est *quantum*, vel *quoad*.

9. *Chrysippus*. Philosophus Stoicus ex schola Zenonis.

10. *Supplantare*. Nonius, cap. 1, 157, interp. « pedem supponere », ὑποσκελίζειν.

11. *Manu depellere*. Nonius in verbo *supplanto* habet *manu pellere* : et sane fortasse rectius. FACC. — Verbum simplex legitur etiam in excerptis Bedæ, placetque J. F. Heusingero pro impellere ut cadat, non dissentiente Bremio ad Fat. cap. 18 extr. ubi, ut aliis locis, *pellere* pro *impellere* dicitur. Hottingerus interpretatur repellere. Comp. Horat. Serm. II, 78 : « Quam nequiere proci recto depellere cursu ». GERN.

12. *Maxime autem*, etc. Vide de Amic. cap. 10 et seqq.

13. *De ipso amico*. Verba hæc mihi suspecta sunt. FACC. — Salva sententia non possunt abesse : non enim satis est judicem, quum de aliqua causa judicat, non spectare amici utilitatem, sed ne salute quidem amici commoveri debet, si quando is ipse apud eum accusatus sit. Commentarii instar sunt verba seqq. quæ proverbii formam quodammodo referunt, teste Joanne Sarisber. Policrat. V, 1, apud antiquos celeberrimi, quod quum episcopus sic efferat, « Exuit personam

Ponit enim personam amici, quum induit judicis. Tantum dabit amicitiæ, ut veram amici causam esse malit; ut orandæ litis[14] tempus, quoad per leges liceat, ac-
44 commodet. Quum vero jurato sententia dicenda[15] sit, meminerit, deum se adhibere testem[16], id est (ut arbitror) mentem suam[17], qua nihil homini dedit deus ipse divinius. Itaque præclarum a majoribus accepimus morem rogandi judicis, si eum teneremus[18], «Quæ salva

judicis, quisquis amicum induit »; J. F. Heusingerus suspicatur scriptum fuisse: « Exuit enim amicum, quisquis personam judicis induit ». Qua quidem correctione sane non opus est. Gern. — Hæc Beier. quasi ex his versus constet senarius, a reliquo orationis cursu distinguit, v. *enim* vario charactere notans, quasi a Cicerone additam.

14. *Orandæ litis*. Al. *perorandæ*. Ego sequutus sum Nonium. Facc. — Item Nonium in voce *accommodatum* et i. v. *orare* sequi debebat de lectione *litis*, quæ pro vulgata *liti* servatur in MSS utriusque Heusingeri, aliisque. Balduinus, Ernestius et Heusing. dederunt quod scripsimus, ut *accommodet* referretur ad amicum. Idem dicit se in Gron. et Huydekoop. reperisse Wyttenbachius in Bibliotheca crit. II, 8, pag. 82. Intelligitur autem trium horarum tempus, quod causam dicenti concedebatur lege Pompeia: de qua vide Brut. cap. 94 med. et de Fin. IV, 1 pr. Gern. — J. F. Heus. intp. Dabit autem amico non clepsydras modo spatiosas, sed diem etiam quam maxime opportunum, ubi ei non defuturus sit patronus. — Erat autem lege Pompeia judiciaria, l. a. 698, « uno die atque eodem et ab accusatore et ab reo perorandum ita, ut duæ horæ accusatori, tres reo darentur », teste Asconio, pag. 86 edit. Manut. quem adhibuit Gœrenz. ad Fin. IV, 1, 1. Cf. Brutus, 94, 324; Att. XIII, 49; Tacit. Dial. de Orat. 38, 1 sq. Beier.

15. *Jurato sententia dicenda*. In singulis causis apud romanos judices jurabant, se pronuntiaturos ex animi sententia, secundum legem. Vide Sigonium de Judiciis, lib. I, cap. 10. Græv. — Eumdem apud Græcos viguisse morem dicit Beierus, teste Æschyl. in Eumen. 679, qui etiam addit: De jure jurando a judicibus præstando apud Rom. vid. Cic. Inv. rhet. I, 39, 70; Rosc. Am. 3, 8; Ascon. ad Act. I in Verr. cap. 6, Sch. pag. 277 extr. Imp. Justinian. Cod. III, 1, l. 14, atque ibi commentatores.

16. *Adhibere testem*. Ven. cum pluribus MSS Aldi et Angl. *habere*: sed et qui non jurat testem *habet* deum: *adhibet* vero, qui testem fecit et perjurii vindicem constituit. M. Heus.

17. *Mentem suam*. Conscientiam suam, in qua dei vocem quisque audit. Porro mentem veteres philosophi non divinam modo appellabant, sed interdum etiam deum. Vid. Tuscul. I, cap. 26. Facc. — Somn. Scip. cap. 8. Adde Platonem de Leg. ex edit. Bip. pag. 91 et 95: ἄμεινον ταύτην τὴν ψυχὴν... θεὸν ἡγεῖσθαι χρεὼν πάντα ἄνδρα. Gern.

18. *Si eum teneremus*. Id est, si teneremus morem a majoribus acce-

fidefacere possit». Hæc rogatio ad ea pertinet, quæ paullo ante dixi honeste amico a judice posse concedi. Nam, si omnia facienda sint [19], quæ amici velint, non amicitiæ tales, sed conjurationes putandæ sint. Loquor 45
autem de communibus amicitiis [20]. Nam in sapientibus viris, perfectisque, nihil potest esse tale [21]. Damonem et Phintiam [22], pythagoreos, ferunt hoc animo inter se fuisse, ut quum eorum alteri [23] Dionysius [24] tyran-

ptum. Recte Grævius putat, verba hæc irrepsisse in contextum. Non enim credibile est, morem hunc Ciceronis ætate obsolevisse. Facc. — Item delevit hæc verba Heumannus : defendit autem post Pearcium J. M. Heusinger. *Si*, vel *utinam*, eum, ut in judicio quidem servatur, domi etiam retineremus. Beierus interpr. privatim etiam sequeremur, nempe quum judicem domi suæ convenimus. Grævio arridet « si ea rogaremus », quod est in excerptis Pithœi.

19. *Nam, si omnia facienda sint.* Gernhardus scribit *sunt*. Beierus cum Gern. facit.

20. *De communibus amicitiis.* I. e. vulgaribus, quibus opponuntur « sapientium familiaritates » in Læl. 21, 1, ut « levibus amicitiæ perfectorum hominum, id est, sapientium », ibid. 26, 12 (100). Beier.

21. *Esse tale.* Nam sapientes nihil amicos rogare possent, quod honestati contrarium foret.

22. *Phintiam.* Al. *Pythiam*, alii aliter. Facc. — Eadem hujus nominis scriptura est apud Plutarch. περὶ πολυφιλίας pr. p. 93 edit. Fr. Diod. Sic. in excerptis, p. 554, ex edit. Wessel. atque est Ciceroni restituta ex vett. libb. a Turnebo, Adversar. XX, 13. Commemoratur autem illud par amicorum etiam de Fin. II, 24; Tuscul. V, 22; Valer. Max. IV, 7, extern. 1, et Lactant. V, 17, 22. *Mœrum* et *Phintiam* comparavit A. G. *Lange* in libro Wielandii nomen præ se ferente *Neuer teutscher Mercur* de anno 1808, fascic. tert. p. 188 et seqq. Illustratur autem hoc exemplo non tam superiora, certe non proxima, quam illud præceptum, quod de amicitiæ contentione cum externarum rerum possessione supra traditum est et repetitum hoc capite proximo. Gern. — Pro Damone et Phintia Evephantum et Eucritum nominat Polyænus, Strateg. lib. V, sect. 22, Mœrum et Selinuntium et pro Dionysio, cujus tamen nomen semel adscriptum est haud dubie a glossatore, Phalarin Hygin. fab. 257. Beier.

23. *Alteri.* Aristoxenus loco mox laud. tradit, Dionysium narrasse, suos familiares invidia Pythagoreorum Phintiæ crimen finxisse insidiarum Dionysio structarum. Gern.

24. *Dionysius.* Superiorem Dionysium intelligere jubet ipse Cic. Tusc. V, 20 et 22. Sed alteri Dionysio illud accidisse docet A. G. *Lange* l. l. ex Aristoxeno apud Jamblich. vit. Pythag. § 253, comp. Porphyr. vit. Pythag. § 59. (Vid. *Mahne* in Schæferi Thesauro crit. novo, tom. I, pag. 35.) Aristoxenus igitur rem sic narrat, ut se dicat ab ipso Dionysio regno expulso, Corinthi in schola docente, audivisse. Gern.

nus diem necis destinavisset, et is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies[25] commendandorum[26] suorum causa postulavisset, vas factus sit[27] alter ejus sistendi; ut, si ille non revertisset, moriendum esset ipsi. Qui quum ad diem se recepisset[28], admiratus eorum fidem tyrannus, petivit, ut se ad amicitiam tertium adscri-
46 berent[29]. Quum igitur id, quod utile videtur in amicitia, cum eo, quod honestum est, comparatur; jaceat utilitatis species, valeat honestas. Quum autem in amicitia, quæ honesta non sunt, postulabuntur; religio et fides anteponantur amicitiæ : sic habebitur is, quem exquirimus, delectus officii.

XI. Sed utilitatis specie in republica sæpissime peccatur, ut in Corinthi[1] disturbatione nostri[2]. Durius etiam Athenienses, qui sciverunt[3], ut Æginetis[4], qui classe valebant, pollices præciderentur. Hoc visum est utile. Nimis enim imminebat, propter propinquitatem, Ægina[5] Piræeo[6]: sed nihil, quod crudele,

25. *Paucos dies.* Ejusdem diei partem reliquam, secundum Aristoxenum. Gern.

26. *Commendandorum.* Ad sua commendanda. Locum corruptum Manutius putat, et legendum *commonendorum*. Neutrum placet. Facc. — Alii malunt *conveniendorum*. J. F. Gron. Observatt. III, 23, p. 494, *commendare* accipit de more morientium. Vide Fin. III, 20 pr. Aristoxenus autem auctor est, Phintiam natu majorem e duobus una viventibus rem curasse familiarem. Gern. — *Commendare suos* vel *sua* dicuntur, qui alicujus fidei tuenda tradunt, quæ cara habent. M. Heus.

27. *Vas factus sit.* Gern. scribit « vas factus est ». Schützius notat : Bene monuit J. F. Heus. nihil opus esse rescribere « vas factus sit », quoniam particula *ut* h. l. est adverbium notans id, quod sequitur, exemplum esse ad illustrandam sententiam : « D. et Phint. ferunt hoc inter se animo fuisse ».

28. *Ad diem se recepisset.* Dicto die reversus fuisset.

29. *Adscriberent.* Aristoxenus narrat, illos tertium repudiasse.

XI. 1. *Corinthi.* De excisa Corintho questus est etiam in lib. I, cap. 12 (cap. 11, 35). Facc.

2. *Nostri.* Scil. peccaverunt.

3. *Sciverunt. Sciscunt*, qui communi consensu decernunt. M. Heus.

4. *Æginetis.* De quibus, præter alios, Valerius Max. in l. IX, c. 2 ext. n. 8.

5. *Ægina*, insula, una e Cycladibus, e regione Atticæ, rei navalis peritia celebris.

6. *Piræeo* Victorius, J. Gron. at-

utile. Est enim hominum naturæ, quam sequi debemus, maxime inimica crudelitas. Male etiam, qui pe- 47
regrinos urbibus uti prohibent[7], eosque exterminant, ut Pennus[8] apud patres nostros, Papius[9] nuper. Nam esse pro cive[10], qui civis non sit, rectum est non licere; quam tulerunt legem sapientissimi consules, Crassus et Scævola[11]: usu vero urbis prohibere pere-

que Ernest. cum Oliveto. Eadem scriptura hæc vox legitur ad Attic. VII, 3 med. et ad Divers. IV, 12. Poetarum auctoritati Heusingerus plus tribuit, quam debebat. Gern. — Cum hac orthographia *Piræeus* adjective sumi debet, si credimus Schellero, subaudita v. *portus*. — Statuatur, ut cuique placet. Sic autem dicebatur insula, quæ portum effecit, hominum manu atque opere, auctore Themistocle, continenti juncta. Strabo, IX, 1, p. 239 seq. Beier.

7. *Peregrinos urbibus uti prohibent.* De Lacedæmoniorum, ex Lycurgi lege quadam, quam Plutarch. in Agide, cap. 10, memorat, usu urbis suæ prohibentium peregrinos, inhospitalitate atque inhumanitate, vid. Florens Christianus et Bergler. ad Aristophan. Pacem, 624, in Commentariis a Beckio nostro editis et hunc virum illustriss. ipsum, a Gottlebero laudatum, ad ejusd. Aves, 1014. Has ξενηλασίας vituperat Pericles apud Thucydid. II, 39 pr. ut ex hoc loco Ambrosius, III, 7. Beier.

8. *Pennus.* M. Junius Pennus trib. plebis legem tulit de peregrinis urbe expellendis. Facc. — Pennum agitavit Gracchus, cujus orationem de lege Penni et peregrinis commemorat Fest. in *Respublicas*. Gern. — Beier. qui scribit *Fannius*, notat: Quod si Pennus tum ejusmodi legem pertulit: quonam pacto ξενηλασίαν, quatuor annis post factam, ut « novi et insoliti quid » commemorare potuit Plutarchus in C. Graccho? « C. Fannii, C. F. qui consul cum Domitio (ann. 631) fuit, oratio de sociis et nomine latino contra Gracchum » laudatur a Cicerone in Bruto, cap. 26. Exordium « Si, Quirites, minas illius » citatur in Orat. cap. 47 extr. Conf. Pigh. Annal. III, p. 61 seq.

9. *Papius.* Lex a C. Papio, tribuno pleb. lata est: Ne quis omnino peregrinus in urbe habitaret, exceptis iis, qui eam quæ dicitur Italia, incolerent: ut refert Dion. Meminit Cicero et pro Archia, et alibi. L. vero Licinius Crassus et Q. Scævola coss. legem rogarunt, ut quisque in suæ civitatis jus redigeretur; quæ dicta est, *Mucia Licinia*: multi enim quum cives non essent, pro civibus se gerebant, quæ lex, indignantibus principibus populi Italici, causa fuit belli Italici. Junia igitur Penni et Papia hæc, de urbe fuerunt; Mucia Licinia, de civitate. Lang. — Si plura velis, adi Beierum, qui undique collegit ea quæ in scriptoribus ad has leges pertinent. — De lege Papia vide interpretes ad orat. pro Archia, cap. 5. Aliquando omnes peregrini etiam Sparta ejecti sunt. Vide Arist. Aves, 1014, ibique Beckium. Gern.

10. *Esse pro cive.* Uti jure Quiritium. Facc.

11. *Crassus et Scævola.* L. Licinius

grinos, sane inhumanum est. Illa præclara, in quibus
publicæ utilitatis species præ honestate contemnitur.
Plena exemplorum est nostra respublica, quum
sæpe, tum maxime bello Punico secundo : quæ,
Cannensi[12] calamitate accepta, majores animos ha-
buit, quam umquam rebus secundis. Nulla timoris
significatio, nulla mentio pacis. Tanta vis est honesti,
48 ut speciem utilitatis obscuret. Athenienses[13] quum
Persarum impetum nullo modo possent sustinere, sta-
tuerentque, ut urbe relicta, conjugibus et liberis Trœ-
zene[14] depositis, naves conscenderent, libertatemque
Græciæ classe defenderent : Cyrsilum[15] quemdam,
suadentem, ut in urbe manerent, Xerxemque recipe-
rent, lapidibus obruerunt. Atque ille utilitatem se-
qui videbatur; sed ea nulla erat, repugnante hone-
49 state. Themistocles post victoriam[16] ejus belli, quod
cum Persis fuit, dixit in concione, Se habere consi-

Crassus et Q. Mucius Scævola, ann. Urb. 558, legem tulerunt Liciniam et Muciam, in qua belli Socialis causa fuit maxima. Conf. fragm. orat. pro Corn. apud Ernest. in fragment. Cic. pag. 1045 : « Legem Liciniam et Muciam de civibus regundis, quam duo consules, omnium, quos vidimus, sapientissimi, tulissent, video constare inter omnes, non modo inutilem, sed perniciosam reip. fuisse ». De utroque consule vide Wetzelium ad Brut. cap. 38, 4, et 39, 2. Gern.

12. *Cannensi*. Vide Flor. lib. II, 6, 31; Liv. lib. XXIII, cap. 14, ubi tamen dicuntur « honesta utilibus cessisse », quod servorum delectus esset habitus. Sed quædam, quæ honesta ipsa per se non sunt, temporibus honesta fiunt. Facc.

13. *Athenienses*. Vid. Corn. Nep. Themist. cap. 2. — Aliam hujus migrationis causam superstitionis indicat Herodotus, VII, 141 sqq. VIII, 41, 51 sqq. Conf. Meursium de Græcia feriata. Beier.

14. *Trœzene*. Trœzen, græce Τροιζὴν, Argolidis urbs clarissima in Peloponneso.

15. *Cyrsilum*. Alii Lycidam vocant. Facc. — Cyrsili supplicium commemorat Demosthenes περὶ στεφάνου, qui hoc plus dicit, uxorem ejus a mulieribus Atheniensium fuisse trucidatam. A Cyrsilo distinguendus est Lycidas, qui, urbe a Persis capta, quum pacem suasisset, lapidibus obrutus est, teste Herod. IX, 5. Gern. — Vide plura apud Beier. de variis h. l. sententiis criticorum.

16. *Post victoriam*. Quam retulit Themistocles in sinu Salaminico adversus Persas. Hanc attigit etiam in lib. I, cap. 18. Facc.

lium reipublicæ salutare, sed id sciri[17], opus non esse. Postulavit, ut aliquem populus daret, quicum communicaret. Datus est Aristides. Huic ille, Classem Lacedæmoniorum, quæ subducta esset ad Gytheum[18], clam incendi posse; quo facto frangi Lacedæmoniorum opes necesse esset. Quod Aristides quum audisset, in concionem magna exspectatione venit; dixitque, Perutile esse consilium, quod Themistocles afferret, sed minime honestum. Itaque Athenienses, quod honestum non esset, id ne utile quidem putaverunt; totamque eam rem, quam ne audierant quidem, auctore Aristide repudiaverunt. Melius hi, quam nos, qui piratas immunes[19], socios vectigales[20] habemus.

XII. Maneat[1] ergo, quod turpe sit, id numquam esse utile, ne tum quidem, quum id, quod esse utile putes[2], adipiscare. Hoc enim ipsum, utile putare, quod turpe sit, calamitosum est.

17. *Id sciri.* A multitudine (divulgatum enim id irritum futurum). De re hac, præter Plutarchum, Val. Max. lib. VI, cap. 5, ext. num. 2. Facc.

18. *Gytheum.* Portum Lacedæmoniorum. Facc.—Vide Polybium, Hist. V, 19: ναύσταθμον τῶν Λακεδαιμονίων ὃ καλεῖται μὲν Γύθιον, ἔχει δὲ ἀσφαλῆ λιμένα· τῆς δὲ πόλεως ἀπέχει τριάκοντα στάδια. Ad Xenoph. Hist. Gr. VI, 5, 32, Schneiderus adnotat, libros nunc præbere Γύθιον, nunc Γύθειον, quod ibid. scripsit, II, 4, 11. Livius, XXXIV, 38, dedit *Gythium*, ut nostro loco Gu. 3, *Gethium*. Nonius in voce *subducere* MS Gu. *Cytæum*. Reliqui *Gytheum*. Gern.

19. *Piratas immunes.* Piratas Cilices, maritimum genus, in agris mediterraneis Pompeius collocavit, colonosque fecit, assignata urbe, quam Pompeiopolim vocarunt, quum antea Soli diceretur. Facc. — Heusingerus patruus non vult Cilices piratas intelligi, sed eos, quibus civilis belli licentia prædandi licentiam fecisset, quia de Pompeii actis non ita facile solet Cicero detrahere.

20. *Socios vectigales habemus.* Videntur hic intelligi Massilienses, de quibus supra, et Dejotarus rex Gallogræciæ, aliique, qui cum Pompeio senserant, et a Cæsare victore aut libertate privati, aut tributo onerati erant. J. F. Gron.

XII. 1. *Maneat.* Pro certo habeatur. Pro Mil. cap. 4 extr. « quapropter hoc maneat in causa judices ».

2. *Quod esse utile*, etc. Hunc verborum ordinem tenent duo libri Aldini et Tert. Græv. Ernest. et Heusinger. Vulgo « quod utile esse putes ». Gern.

50 Sed incidunt (ut supra dixi) sæpe causæ, quum repugnare utilitas honestati videtur, ut animadvertendum sit, repugnetne plane, an possit cum honestate conjungi. Ejus generis hæ sunt quæstiones: Si, exempli gratia, vir bonus Alexandria[3] Rhodum magnum frumenti numerum[4] advexerit in Rhodiorum inopia et fame, summaque annonæ caritate; si idem sciat, complures mercatores Alexandria solvisse, navesque in cursu, frumento onustas, petentes Rhodum, viderit: dicturusne sit id Rhodiis, an silentio suum quam plurimo venditurus? Sapientem et bonum virum fingimus; de ejus deliberatione et consultatione quærimus, qui celaturus Rhodios non sit, si id turpe judicet, sed dubitet, turpe sit[5], an non sit.

51 In hujusmodi causis aliud Diogeni[6] Babylonio videri

— Beierus v. *esse* ob incertam sedem omnino delevit.

3. *Alexandria*, urbe illa Ægypti copiosissima, unde immensa frumenti copia exportari solebat. M. Heus. — De urbis prope a Nili ostio Canopico εὐκαιρίᾳ, vid. Strabo, XVII, 1, p. 425 seq. 433, ubi dicitur μέγιστον ἐμπορεῖον τῆς οἰκουμένης: et de Rhodiorum institutis alimentariis ibid. XIV, 2, p. 194 seq. edit. stereot. Beier.

4. *Numerum.* Numerus dicitur de iis etiam quæ metiri solemus, neque id tamen improprie. Intelligitur enim modiorum numerus, non granorum. M. Heus.

5. *Sed dubitet, turpe sit, an non sit.* Gern. scribit «sed dub. turpe sit, an turpe non sit», notatque: Plurimi codices et editt. «sed dubitet, an turpe non sit», non alio quam hoc sensu: sed sententia ejus eo inclinat, ut putet turpe esse. Nam qui dubitat, an quid turpe non sit, is non multum abest, quin putet turpe esse. Quum autem præcessisset, celaturum non esse, «si id turpe judicet»; sequi non poterat «sed judicet turpe». Immo si ad alterutram partem ejus vergit sententia, frumentarius propensior est eo, ut celare honestum putet, quam ut turpe. Si turpe non esse putat, dicendum erat «sed dubitet, an turpe sit». Quum autem de frumentarii deliberatione et consultatione integra quæratur, satius est scribere, «sed dubitet, turpe sit, an non sit», quod Ernest. dedit. Sed quoniam plerique libri scripti habent «sed dubitet, an turpe non sit»; equidem puto, scriptum fuisse «sed dubitet, turpe sit, an turpe non sit». — Beier. qui non Gern. concedit vulgatam, «sed dubitet, an turpe non sit», damnanti, ceterum ejus lect. sequitur, nisi quod addit *an* post *dubitet*, auctoritate librorum fretus, similiumque locorum, v. c. Att. XI, 6.

6. *Diogeni Babylonio.* Non hujus, ut Degen. perhibet, auditor fuit Panætius, sed *Antipatri Tarsensis*, de

solet, magno et gravi stoico, aliud Antipatro[7], discipulo ejus, homini acutissimo. Antipatro, omnia patefacienda, ut ne quid omnino, quod venditor norit, emptor ignoret; Diogeni, venditorem, quatenus jure civili[8] constitutum sit, dicere vitia oportere; cetera sine insidiis agere; et quoniam vendat, velle quam optime vendere. Advexi, exposui, vendo meum non pluris, quam ceteri; fortasse etiam minoris, quum major est copia[9]. Cui fit injuria? Exoritur Antipatri 52
ratio ex altera parte : Quid ais? tu, quum hominibus consulere debeas, et servire humanæ societati, eaque lege natus sis, et ea habeas principia[10] naturæ,

quo vid. Ernest. Ind. Hist. quem tacito exscripsit Schütz. in suo, p. 26 seq. Conf. *Van Linden*, Diss. de Panætio, § 8, 9, pag. 31 sqq. b. Tennemanni *Gesch. d. Philos.* tom. IV, p. 332 sq. 367, 369 sq. atque Exc. Krugii *Gesch. d. Phil. a. Z.* § 147 b. et d. Beier.

7. *Antipatro*, Stoico, Tarsensi, quo posterior fuit Tyrius, de quo lib. II, cap. 24.

8. *Jure civili*. Id est, legimus, quæ jubent, si quid in re ipsa vitii sit, patefieri, et sine dolo agere. Facc.

9. *Quum major est copia*. Bav. Voorda, Lectt. et interprett. Tullian. cap. 7, notavit hæc : « Nollem a perspicacissimo Facciol. pro insititiis haberi. De Ambrosio, III, 6, ea omittente, satis fecit ei, ut opinor, Heus. major, qui tamen minus recte priora exponit. ... *fortasse vendo minoris, quam emi*. Rectissime Heusing. alter : ... *minoris*, *quam ceteri* frumentarii, *quum major est copia* tritici per eos advecti, suum venditori sunt ». [Immo Heusinger. futurum verbi tempus non addidit.] « Sententia per se plana est, suppleta intellectu duplici ellipsi : *Vendo meum non pluris*, *quam ceteri* (ubi advenerunt, vendituri sunt), *fortasse etiam minoris* (vendo, quam ceteri tunc) *quum* (per ipsorum adventum) *major copia* (facta est, vendituri sunt) ». Sed tum scriptum oportuit : *quum major erit* vel *fuerit copia*. Præterea ita quidem Diogenes liberalior etiam esset ipso Antipatro, qui tamen nimiam lucri cupiditatem ei exprobrat. Quanto potior erat Gernhardi ratio, post vv. « quum major est copia » (mei frumenti) intelligentis *quam ceterorum*. Beier. — Assentimur si intellexit hunc mercatorem minoris vendere, quia majorem copiam vendendi frumenti habet : nam qui majorem copiam habet vendendam, quam ceteri, minore lucro contentum se habet, ut ad se trahat emptores, vel potius intellige, magna copia addita emporio res minoris constare : tum subaud. quam ceteri *modo vendituri sunt*.

10. *Principia naturæ*. Bink. p. 15 seq. n. 7, cum Schellero in Lex. s. v. p. 8456, confundit hic cum « primis naturæ » : quæ, ipsi ad cap. 3, 13, observavimus, synonyma esse, sed alio sensu. Jac. Nic. Loënsis, Miscellan. epiphyll. lib. I, cap. 3 (in Gruter.

quibus parere, et quæ sequi[11] debeas, ut utilitas[12] tua, communis utilitas sit[13], vicissimque communis utilitas, tua sit, celabis homines, quid iis adsit commoditatis et copiæ? Respondebit Diogenes fortasse sic: Aliud est celare, aliud tacere; neque ego nunc te celo, si tibi non dico, quæ natura deorum sit, qui sit finis bonorum; quæ tibi plus prodessent cognita, quam tritici vilitas[14]: sed non, quidquid[15] tibi audire
53 utile est, id mihi[16] dicere necesse est. Immo vero, inquiet ille, necesse est[17], si quidem meministi, esse inter homines natura conjunctam[18] societatem. Memini, inquiet ille, sed num ista societas talis est, ut nihil suum cujusque[19] sit? Quod si ita est, ne vendendum quidem quidquam est, sed donandum.

Lamp. tom. V Supplem. p. 259 sq.), monuit, de iis notionibus hic disputare Ciceronem, quæ nobis æqui et boni naturale ac verum judicium suggerunt. Beier.

11. *Quæ sequi*. Alii, « quæ semper sequi ». Facc.

12. *Ut utilitas tua*, etc. Ea tibi sunt a natura principia societatis indita, ut quod tibi utile est, in commune redundet, quemadmodum quæ communiter sunt utilia, ad te quoque pertingunt. Sumus enim singuli velut membra ejusdem corporis. Facc.

13. *Utilitas sit*. Gern. sequentibus Schützio et Beiero, transponit « sit utilitas ».

14. *Quam tritici vilitas*. Facciolatus retinuit librorum scriptt. plerorumque lectionem « quam tritici utilitas ». Sed ineptum sane hoc est reponendumque « quam tritici vilitas », quæ Passeratii conjectura in uno regio Angl. scripta reperitur. Gern. — Est etiam *vilitas* in Bern. apud Beierum.

15. *Sed, non quidquid tibi*. Gern. scribit « sed numquid, quod tibi », quam egregiam lectionem probat quoque Schützius.

16. *Id mihi*. Al. « idem mihi ». Facc. —Opponendum autem cogitatione est non *aliud dicere*, sed *tacere*, ideoque *id... dicere* præferendum. Gern. — In hac et in præcedenti lect. Beierus Gernhardum sequitur.

17 *Inquiet ille, necesse est*. Beierus vv. *inquiet ille*, quæ a nonnullis libb. absunt, hic et infra delevit, quia, ut illi videtur, in primo vv. *immo vero*, in secundo v. *memini*, quæ aperte respondet illis, « si meministi », satis indicent personam loquentis mutari.

18. *Conjunctam*. Alii, *constitutam*. Facc.

19. *Suum cujusque*. Al. *suum cuique*, al. *suum cujusquam*. Facc.—Unice, inquit Gern. probanda est ea ultima lectio, quam J. F. Heus. ex antiquo Ursini codice, in quo est *nihil cujusquam*, reposuit, *nihil suum cujusquam*. Correctionis causa est in *nihil*, quod cum *quisque* non magis conjungi licet, quam cum *semper* pro umquam, aut cum *omnis*. — Schütz.

XIII. Vides in hac tota disceptatione non illud dici, Quamvis hoc turpe sit, tamen, quoniam expedit, faciam; sed ita expedire, ut turpe non sit : ex altera autem parte, ea re, quia turpe sit, non esse faciendum. Vendat ædes[1] vir bonus propter aliqua vitia, 54
quæ ipse norit, ceteri ignorent : pestilentes sint, et habeantur salubres; ignoretur, in omnibus cubiculis[2] apparere serpentes[3]; male materiatæ[4], ruinosæ : sed hoc, præter dominum, nemo sciat. Quæro, si[5] hoc emptoribus venditor non dixerit, ædesque vendiderit pluris multo, quam se venditurum putavit, num id injuste, an improbe fecerit. Ille vero[6], inquit Anti- 55
pater : quid enim est aliud[7], erranti viam non monstrare (quod Athenis exsecrationibus publicis sancitum est[8]), si hoc non est, emptorem pati ruere, et per

et Beier. in *cujusquam* reponendo sequuti sunt Gernhardum.

XIII. 1. *Vendat ædes*. Hujus quoque quæstionis decisionem jam ex Grotio percepimus, non esse reticenda vitia rei emptæ inhærentia, si latere merito emptorem possint. Non igitur hic locum habet illud Diogenis : « Num te emere coegit, qui ne hortatus quidem est? ille quod non placebat, proscripsit », hoc est, palam ac publice proposito libello significavit. Potior itaque hic est sententia Antipatri, quam etiam jurisconsultorum auctoritas confirmat. Rachel. — Vide Pufendorf. lib. V de Jure Naturæ et Gentium, cap. 3.

2. *Cubiculis*. Al. *cubilibus*. Facc. — *Cubilibus* legitur in Vin. Gu. 1, atque in imprr. vett. Graev.

3. *Apparere serpentes*. Id fere accidit in ima ædium parte, si locus sit insalubris. Facc.

4. *Materiatæ*. Post vocem *materiatæ* auctore Gu. 2, Heusingerus restituit verbum *sint*, quod reliqui libri omittunt, eumque Gernhard. Beier. et Schütz. sequuntur.

5. *Si hoc*. Gern. scribit h. l. *si hæc*. Nobis *hoc* de omnibus vitiis generatim dici posse videtur, ut, sine dubio, *hoc* præcedens « sed hoc præter dominum, nemo sciat », ad omnia præcedd. referri debet.

6. *Ille vero*. *Vero* particula est affirmantis. Facit enim injuste atque improbe, quod vitium sit in re ipsa. Facc. — Male nonnulli addunt *improbe*, vel *improbe fecerit*. Graev.

7. *Quid enim est aliud*. Gernhard. scribit « quid est enim aliud », quia sic vis est quædam in verbo *est*. Sed æque dici potest vim esse in *est* tertio loco posito : nam hoc omnino ex pronuntiatione pendet qua sonus vel hoc, vel illo verbo hæret, ita ut nihil de his affirmari posse videatur, ubi mutant codices.

8. *Sancitum est*. Legere malim *sanctum est*. Athenienses exsecrationum

errorem in maximam fraudem[9] incurrere? Plus etiam est, quam viam non monstrare. Nam est scientem in errorem alterum inducere. Diogenes contra: Num te emere coegit, qui ne hortatus quidem est? ille, quod non placebat, proscripsit[10]: tu, quod placebat, emisti. Quod si qui proscribunt, VILLAM BONAM, BENEQUE ÆDIFICATAM, non existimantur[11] fefellisse, etiam si illa nec bona est, nec ædificata ratione; multo minus, qui domum non laudarunt. Ubi enim judicium[12] emptoris est, ibi fraus venditoris quæ potest esse? Sin autem dictum[13] non omne præstandum est, quod dictum non est, id præstandum putas? Quid vero est stultius, quam venditorem, ejus rei, quam vendat, vitia narrare? Quid autem tam absurdum, quam si domini jussu ita præco prædicet, DOMUM PESTILENTEM VENDO?

56 Sic ergo in quibusdam causis dubiis ex altera parte defenditur honestas, ex altera ita de utilitate dicitur, ut id, quod utile videatur, non modo facere honestum

publicarum pœnam in eos sanxerunt, qui erranti viam non monstrarent. Isti enim μισάνθρωποι sunt, et naturam ipsam lædunt, ut significat Aristoteles in Ethic. lib. VIII, cap. 1. FACC. — Gern. dedit *sanctum est*. — Atheniensium legem, ὑποφαίνειν ὁδὸν πλανωμένοις καὶ κοινωνεῖν κατὰ τὸν βίον ὕδατος ἢ πυρὸς, ab Ennio expressam vide I, 16, 51, ad quem locum Gottleberus laudat Petit. Legg. Att. p. 678. Diphili locum, qui huc pertinet, excerpsit Grævius ad h. l. GERN.

9. *Fraudem*. Degen. cum Hottinger. *fraudem* hic accipit pro *damno*. Enimvero sequitur: « scientem, in errorem alterum inducere », i. e. de industria tendere plagas, ita, ut ipse prævideas, alterum deceptum iri. Conf. § 68 extr. BEIER.

10. *Proscripsit*. *Proscribuntur*, quæ proposito libello, vel affixa tabula venalia esse significantur. M. HEUS.

11. *Existimantur*. Facciolat. nescio qua auctoritate, edidit « æstimantur fefellisse ». GERN.

12. *Ubi enim judicium*, etc. Ubi emptor judicium suum adhibere potest, et rem ipsam cognoscere. FACC.

13. *Sin autem dictum*, etc. Non debet præstare bene ædificatum, quod bene ædificatum dixit, cur præstabit, quod non dixit? FACC. — *Dictum* est, v. c. ea laus quæ de domo habita est dicendo: villam « bonam beneque ædificatam ». — *Præstare* est, facere ut emptor habeat. *Præstari vitia* dicuntur, quum jure cogitur emptor præstare ea, vel pretium eorum quibus ob vitium caret res empta. Ceterum vitia quæ non apparent sola præstari debent.

sit; sed etiam, non facere, turpe[14]. Hæc est illa, quæ
videtur utilium fieri cum honestis sæpe dissensio. Quæ
dijudicanda sunt. Non enim, ut quæreremus[15], expo-
suimus, sed ut explicaremus. Non igitur videtur nec 57
frumentarius ille Rhodios[16], nec hic ædium venditor
celare emptores debuisse. Neque enim id est[17] celare,
quidquid reticeas; sed quum, quod tu scias, id igno-
rare emolumenti tui causa velis eos, quorum intersit
id scire. Hoc autem celandi genus quale sit, et cujus
hominis, quis non videt? Certe non aperti, non sim-
plicis, non ingenui, non justi, non viri boni; ver-
suti potius, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi,
veteratoris, vafri. Hæc tot, et alia plura, nonne inu-
tile[18] est vitiorum subire nomina?

XIV. Quod si vituperandi[1] sunt, qui reticuerunt, 58

14. *Sed etiam, non facere, turpe*, quod non occurrit in duobus exemplis modo positis; sed in aliis occurrere potest, ut in exemplo quo Brutus inducitur collegæ Collatini imperium abrogans, cap. 10, ubi vide.

15. *Non enim, ut quæreremus*. Ut inanem quæstionem institueremus. Facc. — « Ut quæstionem moveremus, ipsam rem in ambiguo relinqueremus ». Beier.

16. *Rhodios*. Hoc Victorius et Grævius e suis libris ediderunt. Facciolatus quum edidisset *Rhodios*, in erratis reponi jubet vulgatam lect. *Rhodius*, quod etiam Pearcius recepit. At recte emptoribus ædium opponuntur Rhodii, quibus, non solum empturis, sed omnibus dicendum videbatur, complures naves frumento onustas petere Rhodum. Vid. cap. 12, 50. Gern.

17. *Neque enim id est celare, quidquid reticeas*. Celandi culpa non est in cujuslibet rei reticentia, sed quum id reticetur, quo ignorato is, qui mecum contrahit, jacturam facit. Facc. —Hottingerus in nota ad hunc locum mavult scribi *quum quid*. Adde eodem quæ Wyttenbachius annotavit in Bibl. Crit. I, 3, pag. 28. Sensus est: « Non enim quidquid reticetur, illud celatur ». Gern.

18. *Nonne inutile est*. Facciolatus scribit: « non utile est ». Ita, inquit, in meo codice. Non est utile subire hæc et alia plura nomina vitiorum, id est, committere, ut appellere versutus, obscurus, astutus, etc. Alii leg. « nonne inutile est ». Facc. — Recte autem faciunt, qui ceterorum librorum lectionem tuentur. Non enim solum non utile illud est, sed inutile, id est, perniciosum. Vide I, 10, 32; II, 14, 49. Gern. — Beierus cum Goth. scribit « non inutile ».

XIV. 1. *Quod si vituperandi*. Disputat a minori ad majus: si celare turpe est, multo turpius erit mendaci oratione fallere. Neque hoc igitur utile. Facc.

quid de iis existimandum est, qui orationis vanitatem[2] adhibuerunt? C. Canius, eques romanus, nec infacetus, et satis literatus, quum se Syracusas otiandi (ut ipse dicere solebat), non negotiandi causa[3], contulisset, dictitabat, se hortulos aliquos velle emere, quo invitare amicos, et ubi se oblectare sine interpellatoribus[4] posset. Quod quum percrebruisset, Pythius ei quidam, qui argentariam faceret[5] Syracusis, dixit, venales quidem se hortos non habere, sed licere uti Canio, si vellet, ut suis: et simul ad cœnam hominem in hortos invitavit in posterum diem. Quum ille promisisset[6], tum Pythius, qui esset, ut argentarius[7], apud omnes ordines gratiosus, piscatores ad se convocavit, et ab his petivit, ut ante suos hortulos postridie[8] piscarentur; dixitque, quid eos facere vellet.

2. *Vanitatem*, mendacia.

3. *Otiandi, ut ipse dicere solebat, non negotiandi causa.* Qui se otio asserere cupiebant, et ab urbe secedebant, Neapolim non raro se recipiebant (quæ ea de causa *otiosa* dicitur Horat. Epod. 5, 43), interdum et *Syracusas*. *Negotiari* autem proprie dicebantur Romani, qui in provinciis, ut Syracusis (Verr. II, cap. 62 extr.) rem quærebant sive pecuniis fenori locandis (quæ negotiationis ratio eo fructuosior erat, quod fenoris magnitudo in provinciis nulla lege definiretur) sive frumento ab aratoribus coemendo Romamque, aut quorsum quæstus juberet, subvehendo, quod negotii genus etiam honestius videbatur. Quidquid enim ab agri cultura quæstus petebatur, id honeste petebatur. Vid. ad I, cap. 42 extr. Beier.

4. *Interpellatoribus*. Al. *interpellationibus*. Facc.

5. *Qui argentariam faceret.* Subaudi: *negotiationem*. Vid. ad cap. 13. Erat. ἀργυροπράκτης, ἀργυραμοιβὸς qui nummos permutaret et quasi venderet. Vid. Salmas. de Usur. cap. 17, p. 490, et plura apud Beierum.

6. *Promisisset.* Se ad cœnam venturum esse.

7. *Qui esset ut argentarius.* Apud argentarios enim pecunia perscribebatur, auctiones et alii contractus fiebant, et tabulæ condebantur. Facc.— Idem vir D. omittit verba *qui esset*. Gern.

8. *Postridie.* Ceterum dolo huic Pythii, a Franc. Luisino, Παρέργων II, 10, in Grut. Lamp. tom. III, comparatur ille, quo Egestæi, Siciliæ populus, Athenienses ad inferendum Syracusanis, hostibus suis, bellum inflammare cupiverunt, narrante Thucydide, VI, 46 extr. aliusque Antonii, falsam piscationis prædam ostentantis, quem tamen callidior frustrata est Cleopatra, ut refert Plutarch. in Ant. c. 29 extr. Conf. Horat. Epist. I, 6, 57-61, de Gargilio. Sed omnes superavit Potem-

Ad cœnam tempore[9] venit Canius; opipare a Pythio
apparatum[10] convivium; cymbarum ante oculos[11]
multitudo. Pro se quisque quod ceperat, afferebat;
ante pedes Pythii pisces abjiciebantur. Tum Canius, 59
Quæso, inquit, quid est hoc, Pythi? tantumne pi-
scium[12], tantumne cymbarum? Et ille, Quid mirum?
inquit; hoc loco est, Syracusis quidquid est piscium;
hæc[13] aquatio; hac villa isti carere non possunt. In-
census Canius cupiditate, contendit a Pythio, ut ven-
deret. Gravate ille primo. Quid multa? impetrat; emit
homo cupidus, et locuples, tanti, quanti Pythius vo-
luit., et emit instructos[14]; nomina facit[15], negotium

kin, qui Catharinam illam II, imperatricem, ann. 1787, iter per Tauricæ deserta facientem, non solum ingentis populi aspectu, sed etiam urbium oppidorumque simulacris, ad tempus exstructis, et figmentis quasi scenicis fefellerit. BEIER.

9. *Tempore*. Al. *tempori*, probaturque Aldo et Freinshemio ad Curt. V, 7, 2. Vide orat. pro Sextio, cap. 37 extr. E reliquis tamen libris recentiores editores receperunt *tempore*. Vide N. Heinsium ad Ovidium, Heroid. IV, 109. GERN.

10. *Apparatum*. Facciol. *paratum*. Verbum *erat* legitur in nonnullis impress. vett. et in Gu. 3. Ascensius edidit *erat opipare*. GERN.

11. *Ante oculos*. Facc. scribit *ante hortulos*.

12. *Tantumne piscium*. Gern. scribit « tantumne hic piscium ». Restitui, inquit, assentiente Heusingero patruo, adverbium *hic*. Requirit autem hanc voculam interrogatio, quæ non Pythii divitias miratur, sed hortorum præstantiam. Non opus erit adverbio, si cum Heumanno scripseris, « Tantum piscium, tantum cymbarum! » quod Hottingeri versio exprimit. — Cum Gern. Schützius fecit.

13. *Hæc aquatio*. Unde aqua dulcis petenda est. Ambrosius: « responsum quærenti: aquationem illic esse, dulcis aquæ gratia innumerabiles eo pisces convenire ».

14. *Instructos*. Cum omni horti instrumento, cum omnibus ornamentis.

15. *Nomina facit*. Obligat se per tabulas. FACC. — Equidem assentior Salmasio, Gronoviis, Græv. et J. F. Heusingero, qui, ut Epist. VII, 23, « nomina facere » asserunt creditorem, non debitorem, cui, id est, Canio, hoc tribuit post Marsum, Maturantium, Erasmum et Fabricium J. M. Heusingerus. Ernestio in clavi Cicer. non ita absurdum videtur dici debitorem nomina facere, quum nomen scribat creditoris et nomen summæ in suis tabulis. Exempla tamen idonea desunt, parumque interest, an debitor in suis tabulis scripserit. Atque, si Canius intelligatur, cur Canii nomen post *Invitat* repetitur? Quod autem perspicuitatis gratia J. F. Gronovius scribit « Pythius nomina facit », id Jac. Gronovius et Heusingerus ita probant, ut

conficit. Invitat Canius postridie familiares suos. Venit
ipse mature. Scalmum nullum videt. Quærit ex proximo
vicino, num feriæ quædam piscatorum essent, quod
eos nullos videret. Nullæ, quod sciam, inquit ille: sed
hic piscari nulli solent. Itaque heri mirabar, quid ac-
60 cidisset. Stomachari Canius[16]. Sed quid faceret? non-
dum enim Aquillius[17], collega et familiaris meus,
protulerat de dolo malo formulas[18]: in quibus ipsis
quum ex eo quæreretur[19], Quid esset dolus malus;
respondebat, quum esset aliud simulatum, aliud
actum. Hoc quidem sane luculenter, ut ab homine
perito definiendi. Ergo et Pythius, et omnes aliud
agentes, aliud simulantes, perfidi, improbi, malitiosi
sunt. Nullum igitur factum eorum potest utile esse,
quum sit tot vitiis inquinatum.

XV. Quod si Aquilliana[1] definitio vera est, ex omni

Pythii nomen intelligant. Nimirum in mente habebat Cicero nomen Pythii, cujus simulationem et dolum malum explicare instituerat. Atque hoc negligentiæ genus et sermonis familiaris ratione hic non minus excusatur, quam supra in verbis «Quid multa? impetrat», ubi sententiæ vis personæ nomen indicat, et aliorum exemplo, ut J. Cæsaris de Bello Gall. I, 18, 2, quem loc. adhibet J. F. Heusingerus. Gern. — Schützius: «ille nomina facit», probante Binkes, non item Beiero, qui Gernhardo assentitur, nisi in eo quod dicit Gern. exempla deesse ubi debitor «nomina facere» dicatur. Affert Beierus Pomponii in Dig. XV, t. 1, l. 4, § 1, et in Verr. lib. I, cap. 36. Cf. et Gaius, Comm. III, 128.

16. *Stomachari Canius. Stomachari* pro irasci, ut infra *stomachus* pro ira. Facc.

17. *Aquillius.* Collega fuerat Ciceronis in prætura, jurisconsultus celeberrimus, Q. Mucii discipulus, qui actionem protulit de dolo malo. «Quem dolum, inquit in lib. III de Nat. Deorum, cap. 30, idem Aquillius tum teneri putat, quum aliud sit simulatum, aliud actum». Facc. — Vid. Val. Max. VIII, 2, 15.

18. *Formulas.* Certam de dolo malo agendi rationem verborumque solemnium præscriptionem. Vide plura ap. Beierum; ad vv. seqq. *in quibus* Heusingg. supplent *proferendis.* Beier. interpr. i. e. *de quibus.*

19. *Quæreretur.* Alii, *quærerem.* Facc. — Probabilius autem est Aquillium quærentibus sic respondere esse solitum. Vide Topic. cap. 37, 32. Gern. — Quid valeat Aquillii definitio scite et erudite disputat Beierus, allatis jurisconsultorum sententiis, quem vide.

XV. 1. *Quod si Aquilliana*, etc. Idem confirmat a doli mali natura et definitione. Facc.

vita simulatio, dissimulatioque tollenda est. Ita nec, ut emat melius, nec, ut vendat, quidquam simulabit aut dissimulabit vir bonus. Atque iste dolus malus etiam[2] le- 61
gibus erat vindicatus, ut tutela[3] XII Tabulis, et circumscriptio adolescentium lege Lætoria[4]; et sine lege[5], judiciis,

2. *Malus etiam legibus*, etc. Dolus malus etiam legibus XII Tabularum et aliis ante Aquillium fuerat vindicatus. FACC.

3. *Tutela*. Male administrata vindicabatur XII Tabulis. FACC.

4. *Lege Lætoria*. Vetabat lex hæc minorem annis viginti quinque stipulari, ne circumscriberetur. FACC. — Sic in quibusdam MSS legitur *Pletoria* v. *Plectoria*, in aliis diserte *Plætoria*. Commemoratur *Plætoria gens* Romæ et in decem nummis et in marmoribus, tum Gruterianis, tum Muratorianis. A *Lætoria* distinguendam esse, abunde disci potest e Pighii Annalibus. Cum Heindorfio ad Nat. Deorum, III, 30, 74 ad f. sequuti sumus tabulam æneam, quæ in Herculanensi Museo asservatur: in cujus vers. 112 hæc lex appellatur *Plætoria*. BEIER. — Plura vide apud ipsum Beierum.

5. *Sine lege, judiciis*. Id est, dolus malus vindicatus erat judiciis illis sine lege, quæ oriuntur ex æquitate prætoria: quæ æquitas ad dolum malum deprehendendum utebatur formulis *ex fide bona*, etc. FACC. — Recte monet adversus Garvium Hottingerus in Annotatt. pag. 247 et seqq. has formulas non tam præscriptas esse judicibus, quam iis, inter quos lis esset, qui essent a prætore monendi, ut ea postularent, quæ essent *ex fide bona*. Hoc posito, deinceps fiebat judicium. GERN. — *Hæc judicia* opponebantur judiciis *stricti juris*, in quibus judices non poterant æquitati subvenire, ex arbitrio quid melius æquius statuentes. Aquiliana lege factum est, ut omnia judicia in exitu bonæ fidei fierent. — *Sine lege judiciis*. Male hæc a J. F. Gronovio conjunguntur quasi per hyphen. Ad vv. « sine lege » cogita « vindicatus erat ». Etiam sic nihil impedit, quo minus intelligantur *arbitria*, i. e. quælibet bonæ fidei judicia, quæ non descendunt ex lege, sed in quibus prætor ex bono et æquo supplet, quod deest juri civili. Hanc enim potestatem v. *arbitrium* habet statim post: « In quibus (i. e. in quorum intentione) additur ex fide bona ». Pessime Degen. Garvii, jam ab Hottingero ad hunc locum, pag. 247 seqq. castigata, confusione seductus, supplet, quod hic vulgo additur glossema, *agitur*, scil. ab judicibus, quibus prætor præceperit, ut « ex fide bona » judicent. Immo hæ omnes formulæ ab ipso actore, arbitrum alterum adigente, addi solent neque ad judicis, sed ad ipsorum litigantium fidem, sive servatam sive violatam, spectant. *Agitur* nihil aliud est, nisi a sciolis librariis, qui statim ante extruserant v. *additur*, corrupta lectio. Ab optimis libb. ut a Bern. omissum delevit Pearcius, probante Bavio Voorda in notis ad Jani a Costa, Prælectt. ad illustrr. qq. titt. jur. Civ. p. 137: « Formulæ enim, inquit, quá judicium bonæ fidei constituebatur simulque dabatur arbiter, inserebant sola verba *ex fide bona*, teste ipso Tullio in Topic. cap. 17 (66), et de Off. III, cap. 17 (70), idemque colligi potest ex his verbis, cap. 16, 66, *quidquid sibi dare facere oporteret ex*

in quibus additur, EX FIDE BONA. Reliquorum autem judiciorum hæc verba maxime excellunt; in arbitrio rei uxoriæ[6], MELIUS, ÆQUIUS; in fiducia[7], UT INTER

fide bona». Accommodabatur hæc agendi formula contractibus b. f. eorumque erat propria. Justin. Inst. IV, tit. 6, § 30: «In bonæ fidei judiciis libera potestas permitti videtur judici ex bono et æquo æstimandi, quantum actori restitui debeat». Janus a Costa l. c. notat, quod ait: *permitti videtur*. «Nec enim id ipsa formula nominatim permittit, ut in actionibus, quæ in æquum et bonum concipiuntur (l. 3 pr. D. XLVII, tit. 12 de sepulc. viol.): ut amplior videatur formula actionis bonæ fidei. L. 14, § 13 extr. D. XI, tit. 7 de relig. et sumpt. fun. ubi jurisconsultus ait, judicem debere *solutius æquitatem sequi, quum hoc ei actionis natura indulgeat* (in æquum et bonum conceptæ). In formula actionis bonæ fidei verba illa *ex fide bona* tacite hanc potestatem permittere videntur, quam expresse permittunt illa verba, *in quantum æquius et melius videbitur*». Ad totum hunc locum adhibe Turnebi Advers. XXV, 23: «Quum tam variæ olim essent fere judiciorum formulæ, quot judicia: proinde aliis atque aliis verbis concipi solebant et quædam eis solemnia addebantur verba, etc. ut fraus, dolus, calliditas omnis tolleretur». Conf. Sigon. de Judic. lib. I, cap. 21 sub fin. In orat. pro Rosc. Com. cap. 8 extr. verius videtur legi, *formulæ, ad quas privata lis accommodetur* (i. e. *accommodari possit*), quam cum Schützio *accommodatur*. De dolo, obligationum impedimento, v. quos laudavit Haubold. V. S. Rev. in Instt. J. R. priv. lin. § 662 b. atque de actionibus et judiciis bonæ fidei ib. § 798. Cf. Rachelio ad h. l. laudatus Bachovius, Tract. de Act. Disp. 6, et Sutholto citati plures alii Disput. 18, § 58. BEIER.

6. *Arbitrio rei uxoriæ*. Quoties de uxoris dote (hæc est res uxoria) contentio est, valet arbitrium *melius æquius*; id est quod melius et æquius videatur. FACC. — Si plura velis, adi Beierum.

7. *In fiducia*, pro «in judicio fiduciæ» (Rosc. Com. cap. 6) v. «in fiduciæ actione», quum, qui fiduciam accepit, in judicium vocatur, quod per fiduciæ rationem fraudarit quempiam, h. e. quod fidem, quam præstare debebat, fregerit, re fiduciaria in mancipio detenta. *Fiducia* dicebatur contractus de dominio revocabili, id est, species quædam alienationis, qua quis, fidem alicujus sequutus, ei rem quamdam, dicis gratia, mancipabat ea lege, ut eam deinde remanciparet: unde sequitur fiduciarii obligatio. Ejusmodi venditiones imaginariæ fieri solebant in emancipatione liberorum (Ulpiani Fragm. t. X, § 1, Gai. Inst. I, § 132, 134, 140 seq.) in «coemptione fiduciaria», tutelæ evitandæ causa (ibid. § 113 seqq. 113 seq. 123, 195) aut hereditatis a sacris liberandæ. Vide Beck. Eques Splend. ad orat. pr. Mur. 12, 52 extr. (al. 27) et Ernest. cujus in Clavi notam repetiit Sch. in Lexic. pag. 313 s. v. Alias *fiducia* dicebatur pro pignore, quod debitor creditori in jure cesserat ea lege, ut, soluta quidem ad diem pecunia, remanciparetur; non soluta, creditori pleno jure committeretur, i. e. lege commissoria cederet. Hinc Gai. Instt. II, § 60: «Fiducia contrahitur aut cum creditore pignoris jure aut cum amico,

BONOS BENE AGIER. Quid ergo? aut in eo, quod MELIUS, ÆQUIUS, potest ulla pars inesse fraudis? aut quum dicitur, INTER BONOS BENE AGIER, quidquam agi dolose, aut malitiose potest? Dolus autem malus simulatione, ut ait Aquillius, continetur. Tollendum est igitur[8] ex rebus contrahendis omne mendacium. Non illicitatorem venditor[9], nec qui contra se[10] liceatur, emptor apponet : uterque, si ad eloquendum venerit, non plus quam semel[11], eloquetur.

Q. quidem Scævola[12], P. F. quum postulasset, ut sibi 62
fundus, cujus emptor erat, semel indicaretur, idque venditor ita fecisset : dixit, se pluris æstimare; addidit centum millia[13]. Nemo est, qui hoc boni[14] viri fuisse neget; sapientis, negant : ut si minoris[15], quam

quod tutius nostræ res apud eum essent ». BEIER.

8. *Tollendum est igitur.* Infert ex dictis quædam ad regendos contractus. FACC.

9. *Non illicitatorem. Illicitatorem* Festus tradit Veteres dixisse *emptorem.* Vulgo *licitatorem.* GERN.

10. *Contra se.* Muretus leg. *contra asse*, id est, nummulo, pretio minimo. Venditor enim apponit, qui pluris liceatur, emptor, qui minoris, uterque ad fallendum. Sustineri tamen vulgata lectio potest. Nam qui apponit falsum emptorem, certe contra se apponit, quamvis reipsa non sit contra se. FACC. — In promptu autem est, qui apponatur ab emptore, eum minimo pretio contra liceri, ut reliquos ab emptione deterreat. GERN. — Gernhard. Beierus sequitur.

11. *Quam semel.* Id est, sine verborum ambagibus. FACC. — *Eloqui* et *indicare* est pretium rei statuere. GERN. — Non satis quid sit *semel* indicat Facc. Tangit auctor hunc morem venditorum rem suam primum maximo pretio constituere, deinde eum longe minoris relinquere. Emptor ipse sæpius nuntiat se tale pretium non velle excedere in emendo, et tamen excedit, quum venditorem videt dicti pretii tenacem : hæc sunt quæ vulgo gallice dicimus *marchander.* Cicero vult unum semel pretium a venditore et ab emptore constitui, a quo postea non recedant.

12. *Q. quidem Scævola.* « Omnium hominum moderatissimus (II, 57, p. 111), quem unum nostræ civitatis et ingenio et justitia præstantissimum audeo dicere », ut ait in Læl. 1 (1), 4.

13. *Centum millia.* Id est, centum millia sestertium. FACC.

14. *Boni viri.* Gern. scribit « viri boni ». Male, inquit, alii quasi vox *viri* etiam ad vocem *sapientis* referenda sit. Est autem *sapiens*, id est, hoc quidem loco prudens, per se *vir sapiens*, ut I, 31, 114, neque magis transponenda vox *viri* est, quam c. 13, 57, « non ingenui, non justi, non viri boni ». — Schützius Gern. sequitur.

15. *Ut si minoris*, etc. Id est, ut

potuisset, vendidisset. Hæc igitur est illa pernicies, quod alios bonos, alios sapientes existimant. Ex quo Ennius, «Necquidquam sapere sapientem, qui sibi ipse[16] prodesse non quiret». Vere id quidem, si, quid esset «prodesse», mihi cum Ennio conveniret. Hecatonem quidem Rhodium, discipulum Panætii, video in iis libris, quos de Officiis[17] scripsit Q. Tuberoni,
63 dicere : Sapientis esse, nihil contra mores, leges, instituta facientem, habere rationem[18] rei familiaris. Neque enim solum nobis divites esse[19] volumus, sed liberis, propinquis, amicis, maximeque reipublicæ. Singulorum enim facultates, et copiæ, divitiæ sunt civitatis. Huic Scævolæ factum (de quo paullo ante dixi) placere nullo modo potest. Etenim omnino[20] tan-

sapientis non esset, si minoris vendidisset, quam vendere potuisset. Nam sapiens ex istorum sententia debet quam optime vendere, et quam optime emere. Facc. — Quum nobis hic sensus sine controversia optime stabilitus videatur, non referemus quæ apud Beier. Bavius Voorda et ipse Beierus disputant, nimium subtiliter argutantes.

16. *Sibi ipse*. Gern. sequente Beier. transp. *ipse sibi*. — Ennii versus ex altera Euripidis Medea, qui affertur etiam ad Fam. lib. VII, epist. 6 : «Qui ipse sibi sapiens prodesse non quit, nequidquam sapit». Vide Columnam ad Ennii Fragm. p. 210. Facc.

17. *De Officiis*. De Q. Ælio (vitiose Degen. scribit *Æmilio*) Tuberone, cui Hecato libros hos inscripsit, vid. Brut. cap. 31 ; pr. Muren. cap. 36, 75 seq. quibus testimoniis refellitur Degen. perhibens eum prætorem ann. U. 630. Cf. Val. Max. VII, 5, 1. Beier.

18. *Habere rationem*, etc. Rem quærere et augere, vel ex alterius imprudentia quæstum facere, modo intra leges et mores consistat.

19. *Divites esse*. Reddit rationem, cur habenda sit ratio rei familiaris. Facc. — Et sic Cicero in commemorando philosophi Rhodii dicto, quod prisci sæpe faciebant, ex obliquo dicendi genere in orationem directam transit. J. F. Heus.

20. *Etenim omnino*. Gern. scribit «etenim qui omnino». — *Etenim* est καὶ γάρ τοι : nec causam affert superioris sententiæ, sed Hecatonis de Scævola judicium in ipsum jubet recidere hoc sensu : Quum Hecaton ita sentit, ut Scævolæ factum ei placere non possit, non magis ipse suis factis ullam laudem merebitur. Gern. — Quamquam Schützius Gern. sequitur, nobis hæc lectio minime placet, quia constare nequit nisi omnino torqueatur sensus v. *etenim* ; quod hoc loco nobis minime licere videtur præsertim ob seqq. *sed sive*, etc. quæ sic in orbem difficile redeunt, locique nulla necessitate difficilior nexus efficitur.

tum se negat facturum compendii sui causa, quod non liceat[21]. Huic nec laus magna tribuenda, nec gratia est. Sed sive simulatio[22], et dissimulatio, dolus malus 64 est; perpaucæ res sunt, in quibus dolus iste malus non versetur: sive vir bonus est is, qui prodest, quibus potest, nocet nemini, certe istum virum bonum non facile reperiemus.

Numquam igitur[23] est utile peccare, quia semper est turpe; et, quia semper est honestum, virum bonum esse semper est utile.

XVI. Ac de jure quidem prædiorum sancitum est 65 apud nos jure civili, ut in his vendendis vitia dicerentur, quæ nota essent venditori. Nam, quum ex XII Tabulis satis esset ea præstari[1], quæ essent lingua nuncupata[2]; quæ qui inficiatus esset, dupli pœnam subiret: a jureconsultis etiam reticentiæ[3] pœna est

21. *Quod non liceat.* Quasi dicat eum dolum, quem leges non vindicant, licet interponere. Sed « angusta innocentia est, ad legem bonum esse », ut Senec. de Ira, II, 27, ait. J. F. Gron.

22. *Sed sive simulatio*, etc. Concludit rem totam querimonia et monito. Facc.—Balduinus edidit « et simulatio et diss. » Quum Ern. hæ duæ periodi usque ad finem cap. non suo loco esse viderentur et fortasse post § 60 reponendæ; J. F. Heusingerus frustra dedit operam, ut modum doceret, quo hæc cum superioribus connecterentur. Equidem assentior Facciolato, viam monstrante et duplici *sive* . . . *sive*, et particula *Sed*, quæ judicium exspectare jubet, quo totum hoc caput revocetur. Gern.

23. *Numquam igitur*, etc. Quia, ut dictum est in cap. 4, utile est secundum naturam, turpe contra naturam. Ideoque coalescere non possunt. Facc.

XVI. 1. *Ea præstari.* Vitia præstat, qui quidquid ex iis incommodi est, in se recipit, idque luit. M. Heus.

2. *Nuncupata.* Quæ lingua essent expressa. Festus ex XII Tabul. « uti lingua nuncupasset », et ut veteres scribebant, « ut ei lincua noncupasit ». Volebant igitur XII Tabulæ, ea præstari, quæ quis ab emptore interrogatus, lingua expressisset. Quod si quid inficiatus malitia esset, dupli damnabatur, id est, duplum pretii restituere cogebatur. Facc.—Hæc e legibus Atticis in XII Tabulas illata esse monet Gottleberus. Quæ sunt lingua nuncupata, ὁμολογίαι dicebantur, differunt a ξυνθήκαις. Lex ipsa de his ὁμολογίαις est apud Petit. Legg. Attic. lib. IV, tom. IV, p. 31, ὅσα ἄν τις ἑκὼν ἑτέρῳ ὁμολογήσῃ ἐναντίον μαρτύρων, ταῦτα κύρια εἶναι. Gern.

3. *Reticentiæ*, etc. Illud insuper addidere jureconsulti, ut ultro venditor

constituta. Quidquid enim esset in prædio vitii, id statuerunt, si venditor sciret, nisi nominatim dictum
66 esset, præstari oportere. Ut, quum in arce[4] augurium augures acturi essent, jussissentque T. Claudium Centumalum[5], qui ædes in Cœlio monte habebat, demoliri ea[6], quorum altitudo officeret auspiciis : Claudius proscripsit insulam[7], vendidit : emit P. Calpurnius Lanarius. Huic ab auguribus illud idem denuntiatum est. Itaque Calpurnius quum demolitus esset, cognossetque, Claudium ædes postea proscripsisse, quam esset ab auguribus demoliri jussus, arbitrum illum adegit[8], quidquid sibi dare, facere[9] oporteret EX FIDE BONA. M. Cato sententiam dixit, hujus nostri Catonis[10] pater. Ut enim ceteri ex patribus, sic, qui lumen illud progenuit, ex filio est nominandus. Is igitur judex ita pronuntiavit : quum in venundando rem eam scisset, et non pronuntiasset, emptori da-

vitia aperiret ; et si quid reticuisset, reticentiæ damnaretur : qua pœna continetur actio redhibitoria. Facc.

4. *In arce.* In arce Capitolina, qui auguriis captandis sacratus erat locus : nempe locus excelsus iis erat necessarius, ut avium volatus observaretur. Rem hanc narrat Valerius Max. in libro II, cap. 2.

5. *Centumalum.* Cognomen *Centumalus*, ab *alendo centum* (servos) ductum, quod tuetur etiam Valer. Max. VIII, 2, 1, erat Fulviorum (Fast. consul. a. 455, 524, 542), *Claudiorum* autem *Cento* vel rectius *Centho* (ib. a. 513, et in argenteis nummis. Vid. Pighii Annal. II, p. 46 extr.) multaque alia; agnomen *Unimanus*. Flor. II, 17, 16. Quid ergo, si h. l. refingatur *Centhonem Unimanum*? Beier.

6. *Demoliri ea.* Ea cacumina ædium submittere, quæ auguribus spectantibus officiebant. Alii leg. « demoliri eas, quarum, etc. » Facc.

7. *Proscripsit insulam.* Domum, proposito libello, vendendam significavit. *Insulæ* primum dicebantur urbanæ domus, quæ essent ab aliis separatæ, proindeque ab incendiis tutiores; postea nomen ad eas quoque translatum est, quæ cum vicinis conjungerentur. Facc.

8. *Arbitrum illum adegit quidquid sibi, etc.* Dicit Hotomannus « adigere ad arbitrum » poni « pro agere ad arbitrum ».

9. *Dare, facere oporteret.* Legis formula, quæ passim occurrit. Facc. — Multa hujus formulæ, quæ damnum præstare jubebat, exempla in Digestis exstare docet A. Manutius ad hunc locum. Gern.

10. *Nostri Catonis.* Minoris, qui Uticensis dictus est. Facc.

mnum præstari[11] oportere. Igitur ad fidem bonam 67
statuit pertinere, notum esse emptori vitium, quod nosset venditor. Quod si recte judicavit; non recte frumentarius ille, non recte ædium pestilentium venditor tacuit. Sed hujusmodi reticentiæ jure civili omnes comprehendi non possunt: quæ autem possunt, diligenter tenentur[12]. M. Marius Gratidianus, propinquus noster[13], C. Sergio Oratæ vendiderat ædes eas, quas ab eodem ipse paucis ante annis emerat. Hæ Sergio serviebant[14]; sed hoc in[15] mancipio Marius non dixerat. Adducta res in judicium est. Oratam Crassus, Gratidianum defendebat Antonius. Jus Crassus urgebat; quod vitii venditor non dixisset sciens, id oportere præstari: æquitatem Antonius; quoniam id vitium ignotum Sergio non fuisset, qui illas ædes vendidisset, nihil fuisse necesse dici; nec eum esse deceptum, qui id, quod emerat, quo jure

11. *Damnum præstari*. Emptori dari oportere, æstimatione facta, quanti ejus interesset. Facc.

12. *Tenentur*. Jure et legibus tenentur, quæ prohibentur et vindicantur, quæ pœnæ legum obnoxia sunt. M. Heus.

13. *Propinquus noster*. Avus enim Ciceronis sororem M. Gratidii duxerat, ut est in lib. III de Leg. cap. 16. Hic autem filius Gratidii est a M. Mario adoptatus, et Sullana proscriptione trucidatus. Facc. — Adde Brut. cap. 45 extr. et infra cap. 20, 80. Gern. — De C. Sergii (Sili) cognomine *Oratæ*, vid. Macrob. Saturn. II, cap. 11 pr. et Festus, citatus a Pighio in Annal. III, pag. 148. Schütz. hic scripsit *Auratæ* et deinde *Auratam*, ut Orat. I, 39, 178; idem vero in Hortensii Fragg. pag. 108 sq. *Oratæ*. Beier.

14. *Hæ Sergio serviebant*. Quum hunc locum intactum reliquisset Ernestius; Wyttenbachius in Biblioth. critic. I, 3, pag. 29: « Est tamen, inquit, magna difficultas in ea parte: *hæ Sergio serviebant*. Nam si ædes ipsi Sergio serviebant, quomodo hoc vel in vitio ponere, vel Marium ejus causa accusare poterat. Itaque nobis verisimile visum est, *Sergio* delendum esse, quippe ex sequenti *serviebant* ortum ». Gern.

15. *In mancipio*. In transferendo dominio servitutis vitium venditor non aperuerat, quippe jam notum emptori. Facc. — De *mancipatione* vid. jam locum classicum in Gaii Instt. I, 119 sqq. et præter Cujacium, Obs. lib. XI, cap. 37, Turneb. Adv. XX, cap. 19, scriptores laudatos a Summo Hauboldo l. l. § 433, b. cl. ibid. pag. 435. Beier.

esset, teneret[16]. Quorsum hæc? ut illud intelligas, non placuisse majoribus nostris astutos.

68 XVII. Sed aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias: leges, quatenus manu tenere[1] possunt; philosophi, quatenus ratione et intelligentia. Ratio igitur postulat, ne quid insidiose, ne quid simulate, ne quid fallaciter. Suntne igitur[2] insidiæ, tendere plagas, etiam si excitaturus non sis feras, nec agitaturus? ipsæ enim, nullo insequente, sæpe incidunt. Sic tu ædes[3] proscribas, tabulam, tamquam plagam, ponas, domum propter vitia vendas; in eam aliquis incurrat

69 imprudens. Hoc quamquam video propter depravationem consuetudinis, neque more turpe haberi, neque aut lege sanciri, aut jure civili[4]: tamen naturæ

16. *Teneret*, nosset, sciret, meminisset. Nam ipsius aliquando illæ ædes fuerant. M. Heus. — Dig. XIX, 1, 1, § 1: «Non videtur esse celatus, qui scivit, neque certiorari debuit, qui non ignoravit». Beier.

XVII. 1. *Manu tenere*. Leges tollunt astutias apertas, certaque fraude admissas. Philosophi damnant eas quoque, quæ acute excogitatæ sunt, ad leges eludendas, vel, quæ ita leves sunt, ut eo lex non pertingat. Philosophia respicit hominem, ut esse debet, lex, ut est. Facc.

2. *Suntne igitur*, etc. Suntne insidiæ (inquit venditor) tendere plagas, etiamsi feras non excites? Ipsæ sibi imputent feræ, quæ, nullo insequente, in plagas incidunt. Sic tu scilicet (inquit Cicero) ædes proscribas, etc. Facc. — Hæc minus probabilis ratio est, recteque contra monet Heusingerus patruus, Ciceronem, si alteri responderet, alia quadam particula suam illi sententiam opposuisse, omisso adverbio *sæpe*. *Suntne* est Annon sunt. Gern. — Non negamus aliquando *ne* pro *nonne* vel *annon* dici posse: sed hoc nobis omnino durum h. l. videtur. Forsan vv. *Suntne...agitaturus* sunt venditoris objicientis, ut Facc. intp. sed seqq. *ipsæ...incidunt* sunt Ciceronis respondentis, si hæc subintelligas: «Certe hoc est insidias facere»: nam ipsæ feræ, nullo ins. sæp. inc. Sic sequentia.

3. *Sic tu ædes*. Alii, quum minime advertissent, periodo superiore objectionem venditoris contineri, reposuerunt: *sic, tu quum ædes*. Atque ita quidem locum totum et sententiam corruperunt. Facc. — Heusingerus sententiam planiorem fore putavit, si interrogationis notam post *imprudens* apponeret. A quo dissentio. Interrogatio pæne otiosum reddit sequentis periodi judicium. *Sic tu proscribas*, est: Item tu insidias struis, si proscribas. Comp. cap. 19 pr. Gern. — Interrogationem posuit Beier.

4. *Aut lege, aut jure civili*. Hoc distinguitur a legibus, quæ scriptæ erant, quum jus civile nondum scriptum esset. M. Heus. — Nec enim jam tum

lege[5] sancitum est. Societas enim est (quod etsi sæpe dictum est, dicendum tamen est sæpius), latissime quidem quæ pateat, hominum inter homines[6] : interior eorum, qui ejusdem gentis sunt; propior eorum, qui ejusdem civitatis. Itaque majores[7] aliud jus gentium, aliud jus civile esse voluerunt. Quod civile, non idem continuo gentium; quod autem gentium, idem civile esse debet[8]. Sed nos veri juris, germanæque justitiæ solidam et expressam effigiem nullam tenemus; umbra et imaginibus utimur : eas ipsas utinam sequeremur! feruntur enim ex optimis naturæ et veritatis exemplis[9].

extabant Jctorum scripta, quæ Justinianus in Digesta redegit.

5. *Naturæ lege sancitum est.* Id est, jure societatis. Facc.

6. *Hominum inter homines.* Ita Grævius, quem sequuntur Facciolatus, Oliv. Ernest. et J. F. Heusingerus, cujus patruus cum Balduino, Wolf. Pearc. præfert plerorumque librorum lectionem *omnium inter omnes.* Heusingerus suspicatur, utramque lectionem conjungendam hoc modo « hominum inter homines, omnium inter omnes ». Gern.

7. *Itaque majores.* Duo sunt juris genera, gentium, et civile: licet autem arguere a superiore ad inferius, non ab inferiore ad superius. Utroque latius patet jus naturæ. Facc. — *Jus gentium* a *naturæ jure* non distinxisse videtur Cicero, Invent. II, 22, 65, 53, 160 sq. Alibi distinxisse, e. g. pro Mil. 11, 38. Cf. Engelbronneri Diss. de loco Ciceronis qui est de legibus, pag. 22 sqq. cap. 2, § 2. Commentarii instar possunt esse Gaii in Instt. I, § 1, verba, quæ e Digestt. I, 1, 9, etiam in Justinianeas migrarunt Instt. I, 2; § 1. Cf. idem in D. XLI, 1, 1 pr. III, 5, 39, IV, 5, 8, VII, 5, 2, § 1, IX, 2, 4, pr. XLIII, 18, 2, quibus in locis civili naturalis opponitur ratio. Ulpianus quidem, cujus ad 5, 23 pr. 221, I, 50 extr. meminimus, triplex distinguit jus, et *naturale* et *gentium* et *civile*. Beier.

8. *Quod autem gentium... debet.* Int. quæ gentes sibi inter se debent, hæc eadem sibi cives inter se debent : sed præterea cives sibi inter se multa debent, quæ ipsæ gentes sibi inter se non debent.

9. *Naturæ et veritatis exemplis.* « *Exemplum*, ait Ruhnkenius ad Rutil. Lup. de fig. sent. et eloc. II, p. 108, rariore et exquisitiore significatione dicitur exemplar, archetypum, ad quod exprimitur effigies ». Idem cum laude commemorat Ernestium hujus loci interpretem in Clavi et Gesneri Thes. L. L. Platonicam autem rationem sequutum Ciceronem esse multis docet Gottleberus. Sunt enim hæc optima naturæ et veritatis exempla Platonis παραδείγματα ἐν φύσει; vid. Parmenid. § 13, edit. Heind. Hanc umbram justitiæ Plato in Phædon. cap. 13, σκιαγραφίαν vocat.

70 Nam quanti verba illa, UTI NE[10] PROPTER TE, FIDEMVE TUAM CAPTUS, FRAUDATUSVE SIEM? Quam illa aurea, UT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, ET SINE FRAUDATIONE? Sed, qui sint boni, et quid sit bene agi, magna quæstio est. Q. quidem Scævola, pontifex maximus, summam vim dicebat esse[11] in omnibus iis arbitriis[12], in quibus adderetur, EX FIDE BONA; fideique bonæ nomen existimabat manare latissime, idque versari in tutelis, societatibus, fiduciis, mandatis, rebus emptis, venditis, conductis, locatis, quibus vitæ societas[13] contineretur; in his magni esse judicis, statuere (præsertim quum in plerisque essent judicia contraria[14]), quid quemque
71 cuique præstare oporteret. Quocirca astutiæ tollendæ sunt, eaque malitia[15], quæ vult illa quidem videri se esse prudentiam, sed abest ab ea, distatque plurimum. Prudentia est enim locata in delectu bonorum, et malorum; malitia (si omnia, quæ turpia sunt, mala sunt) mala bonis ponit ante. Nec vero in prædiis solum jus civile, ductum a natura, malitiam, fraudem-

10. *Uti ne*, etc. Formulæ ex jure naturæ ductæ, quibus contrahentes sibi cavere solent. FACC.

11. *Summam vim dicebat esse*. I. e. existimabat maximum ac difficillimum negotium agere judicem, qui ejusmodi receperit arbitrium; multumque requiri ad id, ut recte pronuntiari queat, aliquem præstitisse, quæ ex fide bona præstanda fuerunt. J. F. HEUS.

12. *Arbitriis*. Judiciis pendentibus ex ratione et intelligentia judicantis, magis quam ex lege certa. FACC.

13. *Vitæ societas contineretur*. Vulg. *continetur*. — Intell. sine quibus vitæ societas esse non potest, quibus societas constat, quippe quæ in ea frequentissima sunt. M. HEUS.

14. *Judicia contraria*. In quibusdam contractibus utraque pars habet actionem directam; in aliis pars una directam, ut pupillus in tutorem, altera contrariam, ut tutor in pupillum: atque in his quidem magni judicis est statuere, quid præstandum ex fide bona. FACC. — Sic olim Maturantius, et posterum Bachelius intp. contra Plothium, qui agi putat de variis judicum sententiis.—Voorda judicia contraria intelligit ea, quæ sunt quum cuilibet agenti, reus respondet nova actione, quasi compensatione, retentione, etc.

15. *Eaque malitia*. Malitia videri vult ex prudentia et ratione agere, quum legem eludit et prætergreditur. FACC. — Conf. Plat. Menex. cap. 19, et supra I, 19, 63, infra c. 25 extr.

que vindicat; sed etiam in mancipiorum[16] venditione fraus venditoris omnis excluditur. Qui enim[17] scire debuit, de sanitate, de fuga, de furtis[18], præstat edicto ædilium[19]. Hæredum alia causa est. Ex quo intelligi- 72
tur[20], quoniam juris natura fons sit, hoc secundum naturam esse, neminem id agere, ut ex alterius prædetur inscientia. Nec ulla pernicies vitæ major inveniri potest, quam in malitia simulatio[21] intelligentiæ:

16. *Mancipiorum.* Servorum.

17. *Qui enim scire*, etc. Venditor scire debuit; nec interest emptoris, ignorantiane se fefellerit, an calliditate. Facc.

18. *De furtis.* Hæc non ita accipienda sunt, ac si venditor præstare debeat, « servum numquam furatum esse », multo minus (cum Hottingero et Degenio, quibus in primis obstat D. XXI, 1, 30 pr.) « non esse furacem ». Nam edictum ait, « noxave solutus non sit », id est, nemini furti noxæve obligatus. Hoc igitur tantum præstat venditor, servum non esse actioni noxali ex causa furti aliove delicto obnoxium. Interest enim emptoris hoc caveri, quia noxalis actio caput servi sequitur, § 5 (IV, t. 8), Inst. l. 7, l. ult. D. (IX, t. 4), de noxal. act. Beier.

19. *Edicto ædilium.* Edicto ædilitio, qui servum vendit, præstare debet nec insanum esse, nec furem, nec fugacem. Facc. — Notat M. Heusing. v. *sanitate* de corpore, non de animo sumi debere, quamquam et animi vitia erant præstanda, si falso ea venditor abesse dixisset, ut patet e l. 4, π. de ædil. edict. Ipsa hujus edicti de mancipiis vendundis verba vid. apud Gellium, N. A. IV, 2. Gern.— Notat alio sensu et meliori Grævius: Hoc est, hæredes in vendendis bonis defuncti, non coguntur sarcire aut præstare, si quid vitiosi sit in mancipiis aut aliis rebus, quas vendunt, quia creduntur ignorare vitia.—Grævio omnino Voorda assentitur, non item Beierus, qui sensum ita constituit: « Hæredes venditoris non præstant ejus, cui accesserunt, reticentiam, nisi vivus conventus fuerit, quasi lite contestata cum mortuo ».—At nobis nihil melius videtur quam Cujacii interp. frustra a Voorda lacessita, qui ad Papiniani Responsa in explic. l. 77, § 8, D. de legat. II, Tullium sentire existimat de Sticho legato, aut per fidei commissum relicto, quo præstito, qualis est, hæres defungitur, l. 45, § 2, junct. § 1, D. (XXX), de legat. I, nec præstat sanitatem, fugam, furtumve. Beier.

20. *Ex quo intelligitur*, etc. Hinc efficitur, secundum naturam esse, ut nemini noceatur; idque ipsum esse secundum leges, quia legum omnium fons natura est. Facc.

21. *Simulatio intelligentiæ.* Malitia simulat, se intelligere supra leges, ut sibi indulgeat, suique commodi rationem habeat. Itaque separat honesta, quæ legibus imperantur, ab iis, quæ sibi utilia putat. Facc. — Nobis hæc obscura sunt: nobis *intelligentiæ* positum videtur pro *prudentiæ:* nam prudentia ex intelligentia manat. Cf. supra § 71 init.

ex quo ista innumerabilia nascuntur, ut utilia cum honestis pugnare videantur. Quotus enim quisque reperietur, qui impunitate, et ignoratione omnium proposita[22], abstinere possit injuria?

XVIII. Periclitemur[1], si placet, in iis quidem exem-
plis, in quibus peccari vulgus hominum fortasse non
73 putat. Neque enim de sicariis, veneficis, testamenta-
riis, furibus, peculatoribus hoc loco disserendum est;
qui non verbis sunt et disputatione philosophorum,
sed vinculis et carcere fatigandi[2] : sed hæc conside-
remus, quæ faciunt ii, qui habentur boni. L. Minucii
Basili[3], locupletis hominis, falsum testamentum qui-
dam e Græcia Romam attulerunt; quod quo facilius
obtinerent, scripserant hæredes secum M. Crassum,
et Q. Hortensium, homines ejusdem ætatis potentis-
simos : qui, quum illud falsum esse suspicarentur,
sibi autem nullius essent conscii culpæ[4]; alieni faci-
noris munusculum[5] non repudiaverunt. Quid ergo?
satin' hoc est, ut non deliquisse videantur? Mihi qui-
dem non videtur: quamquam alterum amavi[6] vivum,
74 alterum non odi mortuum. Sed quum Basilus[7] M. Sa-

22. *Ignoratione omnium proposita.* Si certus sit, neminem id sciturum.

XVIII. 1. *Periclitemur.* Experiamur doctrinam nostram.

2. *Fatigandi.* Id est, comprimendi. Al. leg. *castigandi.* Facc.

3. *Basili.* Sub falso nomine Basili testamentum, ab ipsis suppositum et signatum.

4. *Nullius conscii culpæ,* in testamento falso conficiendo.

5. *Alieni facinoris munusculum.* Lucrum inhonestum, non sua, sed aliorum fraude ad se delatum. M. Heus.

6. *Amavi vivum.* Hortensium Cicero amavit, Crassum non item; quod apparet maxime ex Paradoxo IV. Tamen mortuo parcendum erat. Facc.—De Crasso quid sentiat, P. Lentulo scribit Epist. I, 9, 54. Gern.—Beierus transp. cum Bern. *vivum amavi.*

7. *Basilus.* Degen. dubitat, an hic sit Cæsaris ille legatus, ab hoc memoratus de B. G. VI, 29. Sed ex temporis ratione efficitur, illum esse ipsum Satrium, cujus, ut recte observat F. Hensing. ab avunculo testamento adoptati nomen postea fuit L. Minucius Basilus, qui in Cæsaris percussoribus fuit alteroque post Cæsaris interitum anno a servis suis occisus est, teste Appiano, Ἐμφ. II, pag. 499, et lib. III extr. Tyranni cædem ei gratu-

trium, sororis filium, nomen suum[8] ferre voluisset, eumque fecisset hæredem, hunc dico[9] patronum agri Piceni et Sabini: (o turpem notam temporum illorum!) num erat æquum, principes cives rem habere, ad Satrium nihil præter nomen pervenire? Etenim, si is, qui non defendit injuriam, neque propulsat a suis[10], quum potest, injuste facit, ut in primo libro disserui: qualis habendus est is, qui non modo non repellit, sed etiam adjuvat injuriam? Mihi quidem etiam veræ hæreditates, non honestæ videntur, si sint malitiosis blanditiis officiorum, non veritate, sed simulatione[11] quæsitæ. Atque in talibus rebus aliud utile interdum, aliud honestum videri solet. Falso; nam eadem utilitatis, quæ honestatis est 75
regula. Qui hoc non perviderit[12], ab hoc nulla fraus aberit, nullum facinus. Sic enim cogitans: «Est istuc quidem honestum, verum hoc expedit»; res a natura copulatas audebit errore divellere; qui fons est fraudium, maleficiorum, scelerum omnium.

XIX. Itaque si vir bonus habeat hanc vim, ut, si digitis concrepuerit[1], possit in locupletium testamenta

latur Cicero ad Fam. VI, epist. 15 (16). Beier.

8. *Nomen suum.* Ut Minucius diceretur, quasi testamento adoptatus.

9. *Hunc dico.* Id est, hunc Satrium dico, in cujus fide et clientela sunt Piceni, et Sabini. Facc. — Verba sunt Ciceronis, non, ut nonnulli voluerunt, Basili testatoris. Conf. I, 11, 35 extr. et Philipp. II, 41, 107. Gern. — Hæc dicuntur contra Langium, qui scripserat contra libros *hunc, ait, dico patronum.*

10. *Propulsat a suis.* Gern. delet *a suis*, ut a glossatore additum.

11. *Non veritate, sed simulatione.* Fortasse hæc verba margini adscripta erant ad explicandas blanditias officiorum. Facc. — Idem suspicatus jam multo ante Facciolatum est C. Langius, qui, ut reliqui, vocem *officiorum* male nectit cum *blanditiis.* Blanditiæ fiunt dictis, in factis posita officia sunt. Gern. — Schützius Gern. interpunctionem sequutus est.

12. *Perviderit.* Al. *providerit,* alii *præviderit.* Facc.

XIX. 1. *Si digitis concrepuerit.* Modus dicendi proverbialis ad significandam facilitatem rei faciendæ. Facc.—Simile est illud Tibulli, lib. I, eleg. 2, [84]: « Et vocet ad digiti

nomen ejus irrepere, hac vi non utatur, ne si exploratum quidem habeat, id omnino neminem umquam suspicaturum. At dares hanc vim M. Crasso, ut digitorum percussione hæres posset scriptus esse, qui re vera non esset hæres: in foro, mihi crede, saltaret[2]. Homo autem justus, isque quem sentimus virum bonum, nihil cuiquam, quod in se transferat, detrahet. Hoc qui admiratur, is se, quid sit vir bonus, nescire
76 fateatur. At vero si quis voluerit animi sui complicatam notionem evolvere[3], jam se ipse doceat, eum virum bonum esse, qui prosit quibus possit; noceat nemini, nisi lacessitus[4] injuria. Quid ergo? hic non noceat, qui quodam quasi veneno[5] perficiat, ut veros hæredes moveat, in eorum locum ipse succedat?

Non igitur faciat (dixerit quis), quod utile sit, quod expediat? Immo intelligat, nihil nec expedire,

me taciturna sonum » : et Martial. lib. III, epigr. 82, 15 : « Digiti crepantis signa novit eunuchus ». Beier.

2. *Saltaret*. Præ gaudio, decori oblitus, in foro saltaret. Facc. — Commentarii instar est c. 24, 93, ubi hæc conditio hæreditatis fingitur, ut quis in foro saltet. Itaque hoc loco « si dares ... saltaret » est, si M. Crasso hanc vim, ut digitorum percussione, i. e. nullo labore hæres posset scriptus esse, ea conditione promitteres, ut in foro saltaret; id ipsum quamvis indecorum faceret : neque, ut sapiens, hanc artem repudiaret, sed numquam ea non uteretur. Gern.

3. *Animi sui complicatam notionem evolvere*. Recte Manutius exponit, et clarius ὁ πάνυ Gronovius, id quod animo insitum est et innatum, etsi obscurius et involutum, meditando acuere et penitus recognoscere; id respicere, quod mens ipsa, si excutiatur, et conscientia dictitat. Tuscul. IV, 24 : « Notionem nostram de fortitudine habemus omnes tectam et involutam ». Ex his notionibus quas evolverunt viri sapientes, nata est philosophia moralis. Apud gentes barbaras, qui eas non explicuerunt et excusserunt, manent etiam nunc complicatæ. Græv. — Cap. 10, 30 : « in animis omnibus imprimi dicuntur *inchoatæ* quædam vel « quasi adumbratæ intelligentiæ », ut 22, 59, ubi rectene Gœrenz. de *ideis innatis* cogitandum esse, negarit, dubitamus propter illa Fin. V, 21, 59 extr. Cf. ad h. l. 52, p. 274, ubi prædicantur principia naturæ. Cf. et Orat. III, 29. Beier.

4. *Nisi lacessitus*. Nisi vis vi repellenda sit : quod conceditur in lib. I, Dig. tit. 1, leg. 3. Locum hunc reprehendit Lactantius ex Christianæ religionis principiis, in lib. VI, cap. 18. Facc.

5. *Quasi veneno*. Quasi incantationibus et præstigiis. Facc.

nec utile esse, quod sit injustum. Hoc qui non didicerit, bonus vir esse non poterit. Fimbriam consu- 77
larem, audiebam de patre nostro puer, judicem M. Lutatio Phintiæ fuisse, equiti romano sane honesto, quum is sponsionem fecisset[6], « ni bonus vir esset ». Itaque ei dixisse Fimbriam, se illam rem numquam judicaturum, ne aut spoliaret fama probatum hominem, si contra judicasset; aut statuisse videretur, virum bonum aliquem esse, quum ea res innumerabilibus officiis et laudibus contineretur. Huic igitur viro bono, quem Fimbria etiam, non modo Socrates[7] noverat, nullo modo videri potest quidquam esse utile, quod non honestum sit. Itaque talis vir non modo facere, sed ne cogitare quidem quidquam audebit, quod non audeat prædicare. Hæc, nonne est turpe, dubitare philosophos, quæ ne rustici quidem dubitent? a quibus natum est id, quod jam contritum est vetustate proverbium. Quum enim fidem alicujus, bonitatemque laudant; dignum esse dicunt, quicum in tenebris mices[8]. Hoc, quam habet vim, nisi illam,

6. *Sponsionem fecisset.* Quum provocasset adversarium in judicio, ni probasset, se bonum virum esse, sponsione in hanc formulam facta. Facc. — Non debebat Facciolatus addere *ni probasset.* M. Lutatius certam pecuniam deposuit et spopondit, se soluturum, nisi causa vicerit, i. e. si judicatum fuerit, se virum bonum non esse. Judicii causa autem, quoniam alia documenta, ut tabularum et testium, adhiberi non poterant, ex ipsius vita et moribus repetenda erat, et ex ea, quam apud cives haberet, existimatione; recteque Hottingerus, ubi p. 251 et seqq. contra Garvium disputat, monet Lutatium hac formula dicere, se virum bonum esse, dum nemo, non esse, probaverit, remque illustrat exemplo Gellii, Noct. Attic. XIV, 2, cui quum in simili causa Favorinus suasisset, ut M. Catonis exemplo condemnaret eum, de quo peteretur, quoniam qui peteret, melior esset; tamen, ut Fimbria, a se impetrare non potuit, ut de moribus condemnaret, juravitque sibi non liquere. Gern.

7. *Socrates.* Provocatur ad *Socratem.* Hic enim apud Platonem ad *viri boni* notionem declarandam usus erat de Gyge fabula, ad quam Cicero, 78 pr. redit. Beier.

8. *Mices.* Micare digitis, ludi genus populare satis notum. Ital. *la mora.* Facc. — De hoc genere ludi, quod

nihil expedire, quod non deceat, etiam si id possis,
78 nullo refellente, obtinere? Videsne igitur, hoc proverbio neque Gygi illi posse veniam dari, neque huic, quem paullo ante fingebam, digitorum percussione hæreditates omnium posse convertere[9]? Ut enim, quod turpe est, id quamvis occultetur, tamen honestum fieri nullo modo potest: sic, quod honestum non est, id utile ut sit, effici non potest, adversante et repugnante natura[10].

79 XX. At enim[1], quum permagna præmia sunt, est causa peccandi. C. Marius[2] quum a spe consulatus longe abesset, et jam septimum annum post præturam jaceret[3], neque petiturus umquam consulatum videretur: Q. Metellum[4], cujus legatus erat, summum vi-

fiebat per clausæ manus digitos quosdam subito extentos, ut is vinceret, qui tot conjiceret expansos ab altero esse, quot revera essent, et, manu in lucem porrecta, apparerent, vide præter eos, quos laudant Heusingeri, J. F. Gronovium, Observatt. III, 13, p. 416, et Hottingerum ad libr. II de Divin. cap. 41. Garn. — *Micare*, quod Nonius explicat *sortiri digitis*. Gallis *jouer à la mourre*. Belgis quoque cognitus est hic ludus, qui celeri digitorum motu ita fiebat, ut bini, clausa manu, simul et digitos quosdam extenderent atque una numerum quemdam ederent, ita, ut vinceret is, cujus conjectura parem digitis ab utroque simul exsertis et subito apparentibus numerum assequuta esset. Vid. Nonnus Dionys. XXXIII, 77 sqq. Indice Nemesiano in Buc. Ecl. II, 27, solebant micantes « ter decernere digitis ». Beier.

9. *Posse convertere*. Al. *posse converrere*. Facc. — Est autem *convertere*, id quod J. F. Gronovii Observationes docent lib. IV, c. 5, p. 570, et Heusingeri patrui adn. ad h. l. avertere i. e. auferre. Garn. — Qui servato *convertere* subaudi vellet *domum*, quod durius est. Sed melius videtur Pearcius, qui « hæreditates convertere » intepretatur, mutare, efficere, ut is, qui non sit re vera hæres, omnium scriptus sit hæres; et Pearcio Beierus assentitur. Schützius, *converrere*.

10. *Repugnante natura*. Quia, quod honestum non est, contra naturam est, utile autem secundum naturam. Facc.

XX. 1. *At enim*. Quærit, num saltem magnitudo præmiorum abducere possit a proposito virum bonum. Facc.

2. *C. Marius quum a spe consulatus*. Vide Sallustium de bello Jugurthino, cap. 63. Facc.

3. *Jaceret*, neglectus et spe destitutus esset.

4. *Q. Metellum*, cui cognomen Numidico fuit.

rum, et civem, quum ab eo, imperatore suo, Romam missus esset, apud populum romanum criminatus est bellum illum ducere; si se consulem fecissent, brevi tempore, aut vivum, aut mortuum Jugurtham se in potestatem populi romani redacturum[5]. Itaque factus est ille quidem consul; sed a fide, justitiaque discessit, qui optimum, et gravissimum civem, cujus legatus, et a quo missus esset, in invidiam falso crimine adduxerit. Ne noster quidem Gratidianus[6] officio boni 80
viri functus est tum, quum prætor esset, collegiumque prætorum tribuni plebis adhibuissent[7], ut res nummaria de communi sententia constitueretur. Jactabatur[8] enim temporibus illis nummus[9], sic, ut nemo posset scire, quid haberet. Conscripserunt communiter edictum cum pœna, atque judicio[10], constitueruntque, ut omnes simul in Rostra post meridiem[11] escenderent.

5. *Redacturum*. Gern. scribit *daturum*. Schützius cum Beiero Gern. sequitur: sed cum eo temere fecisse nobis videtur, qui unius cod. auctoritatem ceterorum omnium auctoritati prætulerit, quasi credibile sit omnes in eumdem modum fuisse corruptos. Nec scire interest an hæc lectio altera sit elegantior, dummodo vulgata æque latina sit.

6. *Noster Gratidianus*. De quo supra (c. 16, 17). Nostrum autem dicit, quia propinquus ejus erat. Facc.

7. *Tribuni plebis adhibuissent*. Id est, adhibuissent in consilium. Facc.

8. *Jactabatur*. Incertum erat pecuniæ pretium. Facc. — Ad *jact. nummus* Reizius adscripsit hæc: « quid sit, clarum ex ipsa lege, cujus titulus est: de probandis denariis. Cf. Plin. H. N. XXXIII, 9. Heyn. ad Garv. » Gern. — De re nummaria et pretiis rerum ap. Romanos v. scriptores laudatos ab Haubaldo, V. S. in Instt. J. R. priv. lin. § 147 *a*. et *c*. cl. p. 417. Supplem. ad p. 79 sq. Beier.

9. *Nummus*. Ab Heus. Deg. et Gernh. scribitur *numus*. Sequimur Bern. aliorumque orthographiam, probatam Grotefendo in Lat. Gramm. II, § 179. Beier.

10. *Cum pœna, atque judicio*. Cum sanctione. Facc. — Per ἓν διὰ δυοῖν acceperim pro « pœna judicii », v. « judicio persequenda ». J. F. Heus. explicat: « Edicto constituerunt rem nummariam: adversus quod qui faceret, multaretur aut ad populum accusatus publico judicio damnaretur ». Beier.

11. *Omnes simul in Rostra post merid. escenderent*. Facc. qui scribit *descenderent*, notat: Utitur hoc verbo, quia proceres ex collibus, ubi habitabant, descendebant in forum. Verum non continuo descendunt in Rostra, qui in Forum. Gern. — Plura addit Beierus quibus lectio *escenderent* confirmetur.

Et ceteri quidem alius alio[12] : Marius a subselliis[13] in
Rostra recta, idque, quod communiter compositum
fuerat, solus edixit. Et ea res (si quæris) ei magno
honori fuit. Omnibus vicis statuæ; ad eas tus, et ce-
rei[14]. Quid multa? nemo umquam multitudini fuit ca-
81 rior. Hæc sunt, quæ conturbant homines[15] in deli-
beratione nonnumquam, quum id, in quo violatur
æquitas, non ita magnum; illud autem, quod ex eo
paritur, permagnum videtur : ut Mario, præripere
collegis et tribunis plebis popularem gratiam, non ita
turpe; consulem ob eam rem fieri[16], quod sibi tunc pro-
posuerat, valde utile videbatur. Sed omnium una re-
gula est, quam tibi cupio esse notissimam : aut illud,
quod utile videtur, turpe ne sit; aut, si turpe est, ne

12. *Alius alio.* Ceteri non in forum, sed domum aut ad amicos deverterunt : Marius vero recta in forum provolavit, non exspectata hora pomeridiana, quæ convenerat. M. Heus.

13. *A subselliis*, tribunorum, quibuscum in consilio fuerant.

14. *Tus, et cerei.* Veluti deo liberatori. Facc. — Gernh. scribit *tus, cerei*, sequente Beiero. — De statuis M. Gratidiano a plebe vicatim dicatis consentit Plinius l. l. Sen. de Ira, III, 18, addit : « M. Mario... cui thure et vino R. populus supplicabat, L. Sulla perfringi crura, erui oculos et amputari manus jussit ». Heusingerus patruus monet, tus et cereos populum non Mario, sed diis averruncis accendisse. Sed ut statuarum mos a diis ad homines bene merentes transiit teste Plin. Hist. N. XXXIV, 4, sic sacrificia M. Gratidiano oblata non minus ad ipsum pertinere putanda sunt, quam ad Metellum illud, quod Sallustius narrat in Fragm. lib. II Historiarum : « tum venienti (Metello) ture, quasi deo, supplicabatur ». Ceterum vide G. S. Greenium, de Thure et Cereis ad statuas M. Marii Gratidiani, Misenæ 1742, qui de cereorum oblatione pietatem et lætitiam publicam testante laudat Barthii Advers. VIII, 1, 358, et XXVI, 16, 1659. Gern.

15. *Conturbant homines.* Gern. delet *homines*. Int. spes et cupiditas talium honorum conturbat animos hominum.

16. *Consulem ...fieri.* Contra Beierus : « Consulem fieri, quod sibi tum proposuerat », non contigit Mario Gratidiano. Namque, testibus Seneca l. c. Asconio ad or. in tog. cand. Plut. in Sulla, c. 32 extr. Floro, III, 21, 27, et Valerio M. IX, 2, 1 extr. in altera prætura acerbissimo supplicio a L. Catilina interfectus est an. Urb. 671. Errare enim Appianum, Ἐμφ. A, n. 402, et auctorem græcum Fastorum Cuspiniani, qui eum hujus anni consulem faciunt, edocuit Perizon. Animadvv. Hist. c. 3, p. 103-6, ed. Harles. Cf. Ern. in Schützii Indice Hist. p. 213. Beier.

videatur esse utile. Quid igitur? possumusne aut illum
Marium[17], virum bonum judicare, aut hunc[18]? Ex-
plica, atque excute intelligentiam tuam, ut videas,
quæ sit in ea species, forma, et notio[19] viri boni. Cadit
ergo in virum bonum, mentiri emolumenti sui causa,
criminari, præripere, fallere? nihil profecto[20] minus.
Est ergo ulla res tanti, aut commodum ullum tam 82
expetendum, ut viri boni et splendorem, et nomen
amittas? Quid est, quod afferre tantum utilitas ista,
quæ dicitur, possit, quantum auferre, si boni viri no-
men eripuerit? fidem, justitiamque detraxerit? Quid
enim interest, utrum ex homine se quis conferat[21] in
belluam, an hominis figura immanitatem gerat belluæ?

XXI. Quid? qui omnia recta et honesta negligunt, dummodo potentiam consequantur, nonne idem faciunt, quod is, qui etiam socerum habere voluit[1] eum, cujus ipse audacia potens esset? Utile ei videbatur plurimum posse alterius invidia[2]. Id quam injustum in patriam, quam inutile, quam turpe esset, non videbat. Ipse autem socer in ore semper græcos[3] versus

17. *Illum Marium*. C. Marium, a Sulla superatum.

18. *Aut hunc*. Hunc Marium Gratidianum. Facc.

19. *Species, forma, et notio*. Conf. Topic. 7, « formæ sunt quas Græci ἰδέας vocant : nostri, si qui hæc forte tractant, species appellant ... Notionem appello, quam Græci tum ἔννοιαν, tum πρόληψιν dicunt. Ea est insita et ante percepta (aut, quod malim, *et præcepta*) cujusque formæ cognitio, enodationis indigens ». De viri boni notione vide supra c. 19, 76. Gern.

20. *Nihil profecto minus*. Gernh. ad lib. I, cap. 72, non satis accurate explicuit, ut esset *nequaquam*. Immo intell. « Nihil prof. minus », quam hoc, « cadit in virum bonum », i. e. Nihil magis abhorret a specie, forma (idea) et notione viri boni. Beier.

21. *Se conferat*. Al. *se convertat*. Facc.—Beier. reduxit *convertat*, fretus numero libb. qui h. lect. exhibent, eamque tuetur loco collato de Republica, apud Lactant. V, 10, 2.

XXI. 1. *Socerum habere voluit*. Pompeius Cæsarem, cujus e Cornelia filiam duxit uxorem Juliam, an. Urb. 694, frustra Catone clamitante, regnum conciliari nuptiarum lenociniis, οὐκ ἀνεκτὸν εἶναι, γάμοις διαμαστροπευομένης τῆς ἡγεμονίας. Plutarch. in Jul. Cæsar. p. 714, ed. Francf. c. 47.

2. *Alterius invidia*. Cæsaris. Facc.

3. *Græcos versus*. Euripidis in tra-

de *Phœnissis* habebat, quos dicam ut potero, incondite fortasse, sed tamen, ut res possit intelligi:

Nam si violandum est jus, regnandi gratia
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

Capitalis Eteocles[4], vel potius Euripides[5], qui id unum,
83 quod omnium sceleratissimum fuerat[6], exceperit. Quid igitur minuta colligimus, hæreditates, mercaturas, venditiones fraudulentas? Ecce tibi, qui rex[7] populi romani dominusque omnium gentium esse concupierit, idque perfecerit. Hanc cupiditatem si honestam quis esse dicit, amens est. Probat enim legum et libertatis interitum, earumque oppressionem tetram et detestabilem, gloriosam putat. Qui autem fatetur, honestum non esse in ea civitate, quæ libera fuit, quæque esse debeat, regnare, sed ei, qui id facere

gœdia de Phœnissis. Facc. — Vide v. 527: Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι Κάλλιστον ἀδικεῖν· τἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών. Impressi vett. et Ascensius habent « versus Euripidis de Phœn. » Egregie defendit J. F. Heus. omnium codicum lectionem: sunt autem, inquit, « versus de Phœnissis », versus ex Euripidis tragœdia, quæ Phœnissæ inscripta est: Suetonius eumdem Euripidis locum Ciceronis verbis expressum Cæsari tribuit, c. 30 extr. Gern.

4. *Capitalis Eteocles.* OEdipi filius, qui regnum fratri reddere nolebat. Facc. — *Capitalis.* Dicitur homo nefarius, sceleratus, qui *capital* aut facit audacter aut factum probat. Beier.

5. *Vel potius Euripides.* Adjecta in omnibus ll. verba « vel potius Euripides » in uncos compegit Gernhard. Schütz. autem sanæ parti corporis scalpellum adhibuit atque integræ. Sed fortiter defendit hæc vv. Gœrenz. ad Fin. IV, 4, 2, p. 424 b. quum auctoris sensus sit: « vel ut rectius Euripidem capitalem dicam, quippe qui Eteoclem tam capitalia loqui fecerit ». Comp. N. D. III, 26, 66; Divin. II, 50, 104, ad f. Tusc. I, 16, 16, 39, et II, 11, 27, ubi Noster judicat, « recte a Platone educi ex optima republica *poetas*, quippe qui nervos omnis virtutis elidant ». Beier.

6. *Sceleratissimum fuerat.* Nihil enim sceleratius tyrannide. Facc. — Ernestio placet Pearcii correctio *fuerit.* Gern.

7. *Qui rex populi romani dominusque*, etc. Cæsar. Facc. — Vide Suetonium in Cæs. c. 79: « Neque ex eo infamiam affectati etiam regii nominis discutere valuit... ut, quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos, nisi a rege, non posse vinci, Cæsar Rex appellaretur », comp. ibid. c. 81. Gern.

possit, esse utile: qua hunc objurgatione, aut quo potius convicio a tanto errore coner avellere? Potest enim, dii immortales! cuiquam esse utile fœdissimum et teterrimum parricidium patriæ, quamvis is, qui se eo obstrinxerit, ab oppressis civibus Parens nominetur[8]? Honestate igitur dirigenda utilitas[9] est, et quidem sic, ut hæc duo, verbo inter se discrepare, re tamen unum sonare videantur. Non habeo[10], ad 84
vulgi opinionem, quæ major utilitas, quam regnandi, esse possit: nihil contra inutilius ei, qui id[11] injuste consequutus sit, invenio, quum ad veritatem cœpi revocare rationem. Possunt enim cuiquam esse utiles angores, sollicitudines, diurni et nocturni metus, vita insidiarum periculorumque plenissima?

Multi iniqui atque infideles regno, pauci sunt boni[12],

inquit Attius[13]. At cui regno[14]? quod a Tantalo et Pe-

8. *Parens nominetur*. Cæsare defuncto, posita in foro columna est, addito titulo, « Parenti Patriæ », ut scribit Suetonius in ejus vita, c. 85. Sed et vivens « Pater Patriæ » vocitatus est, ut ibid. c. 76. Facc.

9. *Honestate ... dirigenda utilitas*. Honestas sit regula utilitatis.

10. *Non habeo*, etc. Ad vulgi opinionem nihil invenio utilius regno; ad veritatem nihil inutilius, si injuste quæsitum sit. Facc. — Unice vera lectio. Alii, « non abeo ad opinionem vulgi ». Gern.

11. *Qui id injuste*. Gern. dedit *qui non juste*. Beierus Gern. sequitur. — Noster in præclara illa epistola ad Att. VII, 11, sect. 1, hæc effatus de Cæsare est: « Sibi habeat suam fortunam! — Malim ... mori milies, quam semel istius modi quidquam cogitare. — Ego hoc ipsum, velle, miserius esse duco, quam in crucem tolli. Una res est ea miserior, adipisci, quod ita volueris ». Prætulit ei veritatis facem præstantissimus sapientiæ Plato in Gorg. c. 28, sq. p. 475, B, sqq. Beier.

12. *Boni*. Degenio, id est, F. Heusingero, versus ex Atreo tragœdia desumptus videtur; nobis potius e Clytæmnestra, de qua vid. ad lib. I, cap. 114. Etenim similia in Æschyli Agam. 450—459 et 834 sqq. ed. Glasg. ubi ipse Agamemnon conqueritur de regni invidia: Παύροις γὰρ ἀνδρῶν ἐστι συγγενὲς τόδε, φίλον τὸν εὐτυχοῦντ' ἄνευ φθόνου σέβειν, etc.

13. *Attius*. Heusingg. Oliv. Facc. scribunt *Accius*: alii peccant *Actius*. Schützius cum nobis facit, item Beierus.

14. *At cui regno?* Quo de regno scilicet hæc dicit Attius? nempe, de regno non injuste quæsito.

lope proditum[15], jure obtinebatur. Nam quanto[16] plures ei[17] regi putas, qui exercitu populi romani populum ipsum romanum oppressisset, civitatemque non modo liberam, sed etiam gentibus imperantem, servire sibi
85 coegisset? Hunc tu quas conscientiæ labes in animo censes habuisse? quæ vulnera? Cujus autem vita ipsi potest utilis esse, quum ejus vitæ ea conditio sit, ut, qui illam eripuerit, in maxima et gratia futurus sit, et gloria? Quod si hæc utilia non sunt, quæ maxime videntur[18], quia plena sunt dedecoris ac turpitudinis: satis persuasum esse debet, nihil esse utile, quod non idem honestum sit.

86 XXII. Quamquam id quidem[1], quum sæpe alias, tum Pyrrhi bello a C. Fabricio, consule iterum, et a senatu nostro judicatum est. Quum enim rex Pyrrhus populo romano bellum ultro intulisset, quumque de imperio certamen esset cum rege generoso, ac potente; perfuga[2] ab eo venit in castra Fabricii, eique

15. *Pelope proditum*, per manus traditum.

16. *Quanto plures*. Sc. iniquos atque infideles putas esse.

17. *Ei regi*. Cæsari, cui vel ipse Brutus filius infidelis fuit. Facc. — Ernesti post Heumannum male corrigit « Jam quanto plures ». Offensionis causa videtur fuisse in interrogatione, quæ quum Cæsarem Tantalo opponit, ad eamdem rationem revocanda est, qua Verr. I, 57, 150 : « Nam quid argumentamur, quo ista pecunia pervenerit? fecit ipse indicium ». Præponi sic solet *nam*, ut indicium fiat causæ, cur id, quod contrarium superioribus est, repudiandum sit. Ipsa autem judicii causa postponitur, ut in illis, « fecit ipse indicium », propterea quod verba « argumentamur et q. s. » sensu conjuncta sunt superioribus. Ita nostri loci sensus is erit : Quanto plures J. Cæsari putas esse iniquos? Nam is exercitu, etc. Gern.

18. *Maxime videntur*. Sc. regnum et dominatio.

XXII. 1. *Quamquam id quidem*. Chapmannus legendum putat *quamobrem* : sed *quamquam* frequentissima est transitio ad præcedentia respiciens : nostro loco valet : et tamen non adeo novum id quod dico videri debet; vel, et tamen quid tam multis hoc probare conor? Idem judicatum est, quum sæpe alias, tum a Fabricio.

2. *Perfuga*. Medicus Pyrrhi. Facc. — Cum toto hoc loco comp. I, 13, 40. Vid. Gell. lib. III, c. 8; Val. Max. lib. VI, 5, 1; Flor. lib. I, 18, 21. Gern.

est pollicitus, si præmium sibi proposuisset[3], se, ut clam venisset, sic clam in Pyrrhi castra rediturum, et eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum : idque factum ejus a senatu laudatum est[4]. Atqui si speciem utilitatis opinionemque quærimus, magnum illud bellum perfuga unus, et gravem adversarium imperii sustulisset : sed magnum dedecus et flagitium[5], quicum laudis certamen fuisset, eum non virtute, sed scelere superatum. Utrum igitur 87
utilius vel Fabricio, qui talis in hac urbe, qualis Aristides[6] Athenis fuit, vel senatui nostro, qui numquam utilitatem a dignitate sejunxit[7], armis cum hoste cer-

3. *Proposuisset.* Offerenti operam, ac pretium paciscenti, *poni*, non *proponi* præmium, vidit J. F. Heusinger, recepitque hoc lubentius lectionem Gu. 1, *posuisset* pro vulg. *proposuisset.* Cf. Sallust. Catil. c. 20: « Fortuna omnia victoribus præmia posuit ». Gern.

4. *A senatu laudatum est.* De historia vide ad I, 13, 40 [Exc. XIV, p. 350], cll. Livio, XXXIX, 15 extr. et Plutarcho in Flaminino, c. 20 extr. et de Pyrrho quidem ad I, 12, 38, p. 92 sqq. 96. Beier.

5. *Et flagitium*, subaudi *fuisset*, sc. superare non virtute, sed scelere eum, cum quo laudis certamen intercessisset.

6. *Aristides.* Justitiæ exemplum ab eo editum vid. h. l. cap. 11.

7. *Qui numquam utilitatem a dignitate sejunxit.* His contrarium est, quod paullo post judicatur de senatu, qui L. Philippi turpi sententiæ assensus est. Non una est adhibita excusatio. Ac Grævius quidem in Addendis senatum ait interdum fallaciis deceptum ab instituto et honestate deflexisse. Rectius monet J. F. Heusingerus, senatum ex altero genere perverse de utilitate deliberantium (vid. c. 10 pr.) eximi, non item ex eorum genere, qui deliberant, possitne id, quod utile videatur, fieri non turpiter, in eoque esse aliquoties a senatu peccatum, ut c. 11 pr. Atqui hoc non modo est defendere, sed ne excusare quidem. Pearcio autem, qui, ut illa senatui tributa laus ad Fabricii tempora referretur, correxit « qui tum numquam », Hottingerus in annotat. p. 257, ita assentitur, ut hanc temporum distinctionem sponte putet intelligi, nec ulla opus esse correctione: quinti et septimi sæculi non eumdem fuisse senatum, neque idem statuentem. Huic sententiæ verba « senatui nostro, qui numquam » refragantur. Litem dirimit vox *dignitas*, quæ non est *honestas*, sed honore digna auctoritas, quæ venenum atque insidias ut contemnit, sic putat non utilia; armis autem de gloria et de imperio contendit ignaviæ opprobrium fugiens, quoniam in bello admiratio efflorescit e contentione ac viribus. Dignitatem igitur strenue consequutus senatus est: contra idem senatus ab æquitate uti-

tare, an venenis? Si gloriæ causa imperium expetendum est, scelus absit, in quo non potest esse gloria; sin ipsæ opes expetuntur quoquo modo[8], non poterunt utiles esse cum infamia. Non igitur utilis illa L. Philippi, Q. F. sententia: quas civitates[9] L. Sulla, pecunia accepta, ex senatusconsulto liberavisset, ut hæ rursus vectigales essent; neque his pecuniam, quam pro[10] libertate dederant, redderemus. Est ei senatus assensus. Turpe imperio. Piratarum enim melior[11] fides, quam senatus. At aucta vectigalia: utile igitur. Quousque audebunt dicere quidquam utile, quod non
88 honestum? Potest autem ulli imperio, quod gloria fultum esse debet, et benivolentia sociorum, utile esse odium, et infamia? Ego etiam cum Catone meo sæpe dissensi. Nimis mihi præfracte[12] videbatur ærarium

litatem nonnumquam sejunxit sic, ut utile censeret, quod opes augeret, sociorumque et singulorum civium jura inferiora duceret commodis reipublicæ. Vide sequentia: « At aucta vectigalia: utile igitur ». Ita senatus justior fuit in vincendis hostibus, quam in civibus sociisque tuendis, minusque metuit civium, quam hostium, invidiam. Gern. — Hanc acutissimi grammatici interpretationem confirmare videtur ipse Cicero iis, quæ in Phil. VII, cap. 5, senatoribus insinuat, maxime § 14, p. m. X, 10, 20. Igitur, quod semper senatus, ut indignum, repudiavit, violata victoria esset, si, regem per fraudem et insidias et domesticum parricidam aggressus, hanc hosti gloriam dedisset, ut videretur aliter vinci non posse: quem ad modum postea Sertorii victor, propterea ignominia notatus a Floro, II, 17 extr. Beier.

8. *Quoquo modo*. Recte explicatur « bonis malis artibus, per fas et nefas ». Male igitur Turnebus, Advers. XX, 13 extr. probat, quod in antiquis libris reperit: « quo modo poterunt utiles esse cum infamia? » Beier.

9. *Quas civitates*. Sulla immunes fecerat, Philippus vectigales, uterque auctore senatu: sed pecuniam istis restituere debebat, qua immunitatem emerant. Facc. — Intelligendæ sunt Asiæ civitates Mithridati ereptæ.

10. *Pro libertate*. *Libertas* autem hic intelligitur immunitas a vectigalibus. Heus. comparat Agrar. I, 4, 10 pr. Phil. II, c. 38, post in. Hæc agros publicos *liberandi* potestas, Sullæ dictatori data, videtur contineri senatusconsulto, cujus mentio fit ap. Plutarch. in Sulla, c. 33, post init. Beier.

11. *Melior fides*. Solent autem piratæ, accepto pretio, e potestate sua dimittere eos, qui e captivitate redempti sunt. Beier.

12. *Nimis mihi præfracte*, etc. Vere

vectigaliaque defendere, omnia publicanis negare, multa sociis : quum in hos benefici esse deberemus, cum illis sic agere, ut cum colonis nostris solemus: eoque magis, quo illa ordinum conjunctio ad salutem reipublicæ pertinebat. Male etiam Curio, quum causam Transpadanorum [13] æquam esse dicebat; semper autem addebat, Vincat utilitas. Potius diceret [14], non esse æquam, quia non esset utilis reipublicæ, quam, quum utilem esse diceret [15], non esse æquam fateretur.

damnat hic Cicero Catonis præfractum nimis vectigalia urgendi et a publicanis exigendi studium. Cum iis enim agendum tamquam cum colonis, quibus, si calamitas quædam fundum infestavit, et proventum perdidit, remittimus aliquid de pacta mercede, aut vectigali, quod annuum nobis pro usu soli pendunt : sic et publicanis, si animose nimis vectigalia publica conduxerunt, et inopinata mala intercesserunt, per quæ non possunt solvere, quantum ad reip. solvendum se obstrinxerunt, æquitas postulat, ut non nihil pecuniæ debitæ remittatur. Quod quum Cato nollet facere, ordinem equestrem in quo erant publicani a senatu disjunxit, et fenestram aperuit Cæsari et Pompeio rempublicam opprimendi, uti queritur verissime Cicero non hic modo, sed in epistolis ad Atticum in libro primo, ep. 17 et 18, et in libro secundo, epist. 1. Fabricius. — De *publicanis* vid. Bouchaud in *Mémoires de l'Académie des Inscriptions*, tom. XXXVII, p. 241-261. Beier.

13. *Transpadanorum.* Restitit Curio *Transpadanis*, i. e. legatis e coloniis Latinis in Gallia Cisalpina, s. Togata trans Padum, non contentis Latii jure, post bellum Marsicum lege Pompeia illis dato, sed civitatem, i. e. jus suffragia ferendi et honores, saltem minores, ut ædilitatis, ut quæsturæ dignitatem, Romæ assequendi, petentibus. Vid. Dio, lib. XXXVII; Sueton. in Cæs. 8. Lipsius ad Tacit. Ann. XI, 23; *Æqua* erat *causa* eorum, quum Galli Cispadani jam pridem civitatem assequuti essent. Beier.

14. *Potius diceret.* Al. *potius doceret* : hoc est, ostenderet, non esse æquam, quandoquidem non esset reip. utilis; quam, quum æquam esse fateretur, non tamen utilem diceret. Facc. — *Doceret* est in uno libro Fabricii. Gern.

15. *Quam, quum utilem esse diceret, non esse æquam fateretur.* Gern. scribit « quam, quum utilem non esse diceret, esse æquam fateretur ». — Non dixit enim Curio, causam Transp. esse utilem, sed (*vincat utilitatis*) hanc non esse utilem; sequendum autem id esse, quod utile esset : ergo illorum causam esse rejiciendam. Hujus sensus in postremis verbis restituendi periculum fecerunt multi, aliis alii faciliore non eorumdem verborum transpositione. Gern. — Nemo dubitat, quin mens et sententia Ciceronis hæc sit : « Potius diceret, non esse causam Transpadanorum æquam, quia reipublicæ non esset utilis, quam, quum fateretur, esse æquam, negaret tamen,

89 XXIII. Plenus est sextus liber de Officiis Hecatonis talium quæstionum : Sitne boni viri, in maxima caritate annonæ, familiam non alere[1]. In utramque partem disputat; sed tamen ad extremum utilitate putat officium dirigi[2] magis, quam humanitate. Quærit, si in mari jactura facienda sit, equine pretiosi potius jacturam faciat, an servuli vilis. Hic alio res[3] familiaris, alio ducit humanitas. Si tabulam de naufragio stultus arripuerit, extorquebitne eam sapiens, si potuerit? negat, quia sit injurium[4]. Quid? dominus navis, eripietne suum? minime : non plus, quam[5] si navigantem in alto ejicere de navi velit, quia sua sit. Quoad enim perventum sit eo, quo sumpta[6] navis est, non domini
90 est navis, sed navigantium. Quid, si una[7] tabula sit, duo naufragi, æque sapientes : sibi uterque sapiat, an alter cedat alteri? cedat vero; sed ei, cujus magis in-

esse utilem, et sic æquitatem ab utilitate, utilitatem ab æquitate sejungeret ». Solummodo laboratur de collocatione verborum, quæ digna sit stylo Ciceroniano. Hæc Voorda, qui Facc. lectionem sequitur, nisi quod transp. « non utilem esse ». Beierus sequens Gœrenz. ad Fin. IV, 26, 72, p. 511, scribit : « potius diceret, non esse æquam, quia non esset utilis reipublicæ, quam, quum utilem diceret non esse, æquam fateretur ».

XXIII. 1. *Familiam non alere.* Id est, servos. Facc. — Gernh. legit « utilitate officium dirigit magis », sequente Beiero, sed contra codd. auctoritatem.

2. *Utilitate putat officium dirigi.* Concludit, licere bono viro servos deserere, ne pereat, vel grave aliquod detrimentum capiat rei domesticæ status. Itaque in hac quæstione officium dirigendum censet utilitate. Facc.

3. *Hic alio res*, etc. Hic vero aliud humanitas poscit, quia agitur de homine; aliud res familiaris, quia agitur de equo, qui pluris est, quam talis homo. Facc.

4. *Injurium.* Aufert enim alteri, quod ille suum fecit, ideoque lædit justitiam. Facc.

5. *Quam si navigantem.* Uterque Heusingerus unius cod. Goth. auctoritate particulam *si* proscripsit hoc sensu : Non magis illud faciat, quam navigantem in mare ejiciat, vel ejicere velit. — Eosque Gern. sequitur, itemque Beierus.

6. *Sumpta.* Conducta est, interprete Nonio, c. 4, 428.

7. *Quid, si una ... cedat alteri?* Gern. scribit, « iique sapientes? sibine uter rapiat? « Hic multum variant libri. Alii, « sibine uterque », vel « sibine uter ». Al. e codd. « sibi neuter rapiat? » J. V. L.

tersit, vel sua[8], vel reipublicæ causa, vivere. Quid, si hæc paria in utroque? nullum erit certamen, sed quasi sorte, aut micando[9] victus, alteri cedat alter. Quid si pater fana expilet, cuniculos agat ad ærarium: indicetne id magistratibus filius? nefas id quidem est. Quin etiam defendat patrem, si arguatur. Non igitur patria præstat omnibus officiis? immo vero; sed ipsi patriæ conducit, pios cives habere in parentes. Quid? si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater? silebitne filius? immo vero obsecrabit patrem, ne id faciat. Si nihil proficiet, accusabit[10]; minabitur etiam; ad extremum si ad perniciem patriæ res spectabit, patriæ salutem anteponet[11] saluti patris.

Quærit etiam, si sapiens adulterinos nummos acceperit imprudens pro bonis, quum id rescierit, soluturusne sit eos, si cui debeat, pro bonis. Diogenes ait: Antipater negat; cui potius assentior[12]. Qui vinum 91

8. *Vel sua.* Vel quod ipse per se majores vivendi causas habeat, vel pro bono reip. Facc. — Male Grævius scripsit *vel suæ*, rejiciendumque est quod in uno Ox. legitur, *vel sui.* Gern.

9. *Quasi sorte, aut micando.* Sortiendo aut micando, veluti victus. Facc. — Garvium in versione cum Pearcio *quasi* delentem castigat Hottingerus in annot. ad h. l. p. 264 et seq. *Micando*, alii *dimicando*; male. Gern. — De his quæstionibus vid. Barbeyrac. ad Pufend. de off. Hom. et Civ. l. I, § 17; Pufend. J. N. et G. lib. II, c. 6, § 4 sqq. et de off. Hom. et Civ. l. c. § 23; Pestel Fund. Juris. Nat. § 291, ed. IV Kant. Metaphys. *Anf. der Rechtsl. Einl.* pag. XLI sq. Hugo, *Lehrb. des Naturr.* § 123, edit. III Bauer. *Naturr.* § 40; Garvium, ed. II, pag. 225 sq. Hottinger. II, pag. 266; Krugii Dicæol. § 22, n. 2, et p. 482; J. G. Fichte in *Grundlage des Naturrechts*, II, p. 85 sqq.

10. *Si nihil proficiet, accusabit.* Reprehendet atque arguet, extra judicium tamen. Facc. — Conf. Epist. ad Att. I, 6 pr.

11. *Patriæ salutem anteponet.* Indicabit magistratibus: quod tamen Cicero vix dicere audet; et significat potius, quam dicit. Facc. — Binkes, pag. 57, n. 64, laudat Marcianum (immo Marcellum) in Dig. IX, 7, 35; Bynkershoek, Obss. lib. VIII, c. 25, § 10; Huber. Eunom. Rom. p. 460 sq. Diram hanc officii deligendi necessitatem Raupach. argumentum fecit tragœdiæ sublimis ac magnificæ, cui nomen posuit *die Erdennacht*. Beier.

12. *Cui potius assentior.* Recte: qui enim nummos adulterinos accepit, imputet inscientiæ suæ, ex qua nullum jus capit decipiendi alterum. Facc.

fugiens[13] vendat sciens, debeatne dicere. Non necesse putat Diogenes : Antipater viri boni existimat. [Hæc sunt quasi controversa jura[14] stoicorum]. In mancipio vendendo, dicendane vitia, non ea[15], quæ nisi dixeris, redhibeatur mancipium jure civili; sed hæc, mendacem esse, aleatorem, furacem[16], ebriosum. Alteri di-
92 cenda videntur, alteri non videntur. Si quis[17] aurum vendens, orichalcum[18] se putet vendere, indicetne ei

13. *Vinum fugiens*. Quod ibi est, ut propediem corrumpatur. Facc. — *Qui vinum fugiens*, i. e. quod ætati cedit et exolescit, ut explicat Turn. in Adv. XX, 13. Comparatur Senecæ epist. 12 : « Gratissima sunt poma, quum fugiunt ». Beier.

14. *Controversa jura*, etc. Quæstiones ambiguæ et proximæ inexplicabilibus, in quibus Stoici libenter versantur. Alii leg. « hæ sunt quasi controversiæ in jure Stoicorum ». Facc.

15. *Non ea, quæ*, etc. Non loquor de illis, quæ nisi aperueris, rescindatur jure civili venditio; sed de levioribus, quæ fidem et honestatem viri boni patefaciunt. Facc. — *Redhibeatur*. Id est, reddatur. Mire Degenius derivat a *retro*. Quid ni sufficiat simplex *re* cum *d* ἐφελκυστικῷ? « Redhibere est facere, ut rursus habeat venditor, quod habuerit : et quia reddendo id fiebat, idcirco redhibitio est appellata quasi redditio », ut ait Ulpianus in Digest. XXI, 1, 21 pr. et 23, 1. Beier.

16. *Furacem*. Gern. scribit *voracem;* quam vocat egregiam Pearcii correctionem. — Pearcius satis speciose comparavit Ulpianum in Dig. XXI, 1, l. 4, § 2 : « Item aleatores et vinarios non contineri edicto, quosdam respondisse, Pomponius ait : quem ad modum nec gulosos, nec impostores, aut mendaces, aut litigiosos ». Sed constans omnium librorum lectio minime repugnat iis, quæ sup. h. l. 71 extr. de ædicto ædilium prolata sunt, modo ea recte interpretere. Confirmatur insuper disertis verbis Marciani in Digest. XXI, 1, 52 : « Si furtum domino fecerit, non est necesse, hoc in venditione servi prædicere, nec ex hac causa redhibitio est. Sed, si dixerit, hunc furem non esse, ex illa parte tenebitur, quod dixit promisitve ». Conf. Ulpian. ib. l. 19, § 1; Gaii ib. l. 31, § 1, et Synopsis, Basil. XIX, 10, cap. 39. Neque obstat l. 13, § 1 et 3, Dig. XIX, t. 1. Beier.

17. *Si quis aurum*, etc. Exemplum hoc, et superiora de servo fugitivo, de tabula naufragii, de domo pestilenti memorat Lactantius, lib. V, cap. 16, ex Carneade, qui aiebat, virum bonum et justum, si suam utilitatem deserat, incidere in stultitiam. Hinc Carneades, inquit, intelligi volebat, et eum, qui sit justus ac bonus, stultum esse; et eum, qui sapiens, malum. Facc.

18. *Orichalcum*. Facc. *aurichalcum* e nonnullis libris edidit. Confer quæ Heynius annotavit ad Virg. Æn. XII, 87. — Movit autem eamdem hanc quæstionem Carneades in Cic. lib. III de Republ. apud Lactant. V, 16, 7; 17, 32, et Epitom. 56, 4. Beier.

vir bonus, aurum illud esse, an emat denario, quod sit mille denarium? Perspicuum jam est, et quid mihi videatur, et quæ sit inter eos philosophos, quos nominavi, controversia.

XXIV. Pacta, et promissa semperne servanda sint, quæ nec vi, nec dolo malo (ut prætores solent[1]) facta sint? Si quis medicamentum cuipiam dederit ad aquam intercutem[2], pepigeritque, ne illo medicamento umquam postea uteretur; si eo medicamento sanus factus fuerit, et annis aliquot post inciderit in eumdem morbum, nec ab eo, quicum pepigerat, impetret, ut iterum eo liceat uti: quid faciendum sit? Quum sit is inhumanus, qui non concedat uti, nec ei quidquam fiat injuriæ; vitæ et saluti consulendum[3]. Quid? si quis 93
sapiens rogatus sit ab eo, qui eum hæredem faciat, quum ei testamento sestertium millies[4] relinquatur, ut ante, quam hæreditatem adeat, luce palam in foro saltet, idque se facturum promiserit, quod aliter eum hæredem scripturus ille non esset[5]: faciat, quod promiserit, necne? Promisisse nollem, et id arbitror fuisse gravitatis. Sed quoniam promisit[6], si saltare in foro turpe ducet, honestius mentietur[7], si ex hæreditate

XXIV. 1. *Ut prætores solent.* Al. « ut prætores edicere solent ». Sed vox *edicere* abest a codicibus, quia loquendo omitti solebat. Facc. — De formula illa prætoria, vide Dig. IV, tit. 2: « Quod metus causa gestum erit », et tit. 3, de dolo malo. Beier.

2. *Ad aquam intercutem.* Ad hydropem curandum aptum.

3. *Saluti consulendum.* Pactum et promissum servandum non est homini inhumano. Facc.

4. *Sestertium millies relinquat. Sestertium* hic esse nominativum, ipse verbi numerus indicat. Aliter sentire videtur Degen. qui ad *milies* (sic simplici *l* ad analogiam v. *miles* recte Bern. cum al. MSS et edd. vett.) suppleverit *centena milia*. Immo solenniter subauditur *centies*. Beier.

5. *Scripturus ille non esset.* Testamentis autem interdum nugatorias et ridiculas conditiones insertas esse, colligas ex Horat. Sat. II, 3, 84-88. Quid, quod in Britannia multa sæpe talium ineptiarum et deliramentorum exempla renascuntur. Beier.

6. *Sed quoniam promisit.* Gern. delet *sed,* sequente Beiero.

7. *Honestius mentietur, si*, etc. Nec

nihil ceperit[8]; nisi forte eam pecuniam in reipublicæ magnum aliquod[9] tempus contulerit : ut vel saltare eum, quum patriæ consulturus sit, turpe non sit.

94 XXV. Ac ne illa quidem promissa servanda sunt, quæ non sunt iis ipsis utilia, quibus illa promiseris. Sol Phaethonti[1] filio (ut redeamus ad fabulas) facturum se esse dixit, quidquid optasset : optavit, ut in currum patris tolleretur : sublatus est; atque insanus, qua constitit, ictu fulminis deflagravit[2]. Quanto melius fuerat, in hoc, promissum patris non esse servatum? Quid, quod Theseus[3] exegit[4] promissum a Neptuno? Cui quum tres optationes Neptunus dedisset, optavit interitum Hippolyti, filii sui, quum is patri suspectus esset de noverca[5] : quo optato impetrato, Theseus in

saltet, nec hæreditatem capiat. Facc. — *Mentietur*. Promissum non tenebit.

8. *Nihil ceperit*. Vinar. et plerique libri imprr. vett. *nihil exceperit*.

9. *Magnum aliquod*, etc. Nisi magna aliqua occasio sit reip. juvandæ pecunia illa. Facc. — Quam eleganter « summum, magnum, extremum, ultimum tempus », sine ulla adjectione dicatur de tempore, in quo alicujus salus in periculo versetur, Ruhnkenius ad Rutil. Lup. de fig. sentent. et eloc. I, 7, pag. 27 et seq. planum fecit et hujus loci exemplo, et Philipp. V, 17, 46; Verr. I, 1, 1; de Legg. III, 19, 43, et al. l. Gern.

XXV. 1. *Phaethonti*. In seq. *Phaethontis* exemplo quum disjecta membra poetæ (nescio, qua narium sagacitate) odorati essent Gulielmius et Gruterus: en! princeps J. F. Heusing. adhibita tum addendi tum transponendi licentia, in septenarios coegit. Me quidem quum monstrosissimi illi versus nimium quantum offenderent : consului eum, cujus solertiæ atque eruditioni sapientissimi quique fasces submittunt, Hermannum. Isque plenissime nobis persuasit, in oratoria hac exempli brevitate nullos versus quærendos esse, sed prosos ipsissimi Ciceronis modos agnoscendos. Beier.

2. *Deflagravit*. Ignito Jovis fulmine percussus decidit in Eridanum. Facc. — Beierus *esse* post *facturum se* delet. Idem scrib. « in currum patris », non « ut curru »; eidem placet « sublatus est insanus » : ceterum probat Hermanni conject. *sublatus est*. Mox dat, *antequam constitit*. — « Antequam constitit », nempe, « cum curru », interpretor : « antequam cursum absolvisset ». Nam « multum cæli post terga relictum », antequam a Jove fulmine dejectus est; « occasus autem illi fato contingere non fuit ». Ovid. Met. II, 187 seqq. *Constitit*, loco, quem petierat, potita Tritonia, ib. V, 255.

3. *Theseus*. Vide lib. I, cap. 10, et de Nat. Deor. lib. III, cap. 31. Facc.

4. *Exegit*. *Exigere* hæc non sonat *petere*, sive *poscere*, sed *ferre*, *impetrare*, *accipere*.

5. *Noverca*. Phædra, quæ falso cri-

maximis fuit luctibus. Quid? Agamemnon quum devovisset Dianæ, quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno, immolavit Iphigeniam[6], qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius. Promissum potius non faciendum, quam tam tetrum facinus admittendum fuit. Ergo et promissa non facienda nonnumquam: neque semper deposita reddenda. Si gladium quis apud te sana mente deposuerit, repetat insaniens: reddere, peccatum sit; non reddere, officium[7]. Quid? si is, qui apud te pecuniam deposuerit, bellum inferat patriæ; reddasne depositum? non, 95

minata filium est. Vide Senecam in Hippolyto. Facc. — Walckenarius ad Euripid. Hippolyt. v. 887, hæc omnia « cui quum ..... luctibus », quod e lib. I, cap. 10, 32, dicta sint, pro insititiis habet. Ernest. offenditur etiam eo, quod judicium Ciceronis non subjiciatur, ut in aliis locis. Hensingeri tacent. Mihi videtur alter ille primi libri locus de Theseo glossatoris manu magis corruptus esse, quam hic, atque si illud Neptuni promissum iterum erat commemorandum (erat autem aptissimum) non dubito quin Cicero hæc verba addiderit, quæ si deessent, quid promissum Theseo fuerit, non intelligeretur. Utrumque Phaethontis et Thesei exemplum commemoratur etiam de Nat. Deorum, III, 31, 76. Gern. — Hujus voti meminit Plato, de Leg. III, p. 687, E. Hippolyti *noverca* fuit Phædra, illustrata ab Euripidis æmulo Racineo, Gallo, cognomine fabula, quam Fr. Schiller, Nostratium sidus, suis versibus expressam immortalitati commendavit. Utriusque poetæ tragici fabulam intelligenter comparavit Aug. Guil. Schlegel, ipse poeta ingeniosissimus. Beier.

6. *Immolavit Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem.* Cicero hic sequitur Euripidem in Iphigen. Taur. 17 seqq. Cf. ejusdem Ἰφιγ. ἡ ἐν Αὐλίδι; Æschyl. Agam. 199 seqq. ubi 241 Iphigenia describitur πρέπουσα ὡς ἐν γραφαῖς. Cf. ib. 1546 seqq. et 1577; Sophocl. Electr. 530 seqq. Idem 563-576. Hyginus, Fab. 98 (ubi cf. Munker. n. 12, pag. 185). Schol. ad Euripid. Orest. 659. Necis causam fingunt, quod in venando cervam Dianæ violarit superbiusque in Dianam sit loquutus, cujus iræ Calchantis jussu immolata fuerit. Beier.

7. *Non reddere, officium.* Expressit locum Platonis de Rep. p. 574 edit. Fr. quem laud. Gottleberus in Specim. III ad lib. I, cap. 10, 31. Gern. — *Insanienti* quidem *gladium* etiam extorquere atque eripere, rectum est: quid ni igitur, si repetat, retinere? Vid. Senec. de Benef. IV, 10 pr. Ipsum exemplum debetur Platoni, de Rep. lib. I, p. 574, Frcf. (331, C. Stephan. cap. 6 p. in.). Et ad hæc et ad seqq. cf. Ambros. Off. lib. I, cap. ult. *Binkes*, p. 57, n. 67, laudat Pufendorf. J. N. et G. lib. V, cap. 4, § 7, de Off. H. et C. lib. I, cap. 15, § 7; Barbeyrac. ad Pufend. l. c. *Noodt*, Probab. lib. III, cap. 8; Leibnitii Theodic. P. II, § 121. Beier.

96 credo : facias enim contra rempublicam, quæ debet esse carissima. Sic multa, quæ honesta natura videntur esse, temporibus fiunt non honesta. Facere promissa, stare conventis, reddere deposita, commutata utilitate [8], fiunt non honesta. Ac de iis [9] quidem, quæ videntur esse utilitates contra justitiam, simulatione prudentiæ, satis arbitror dictum.

Sed quoniam [10] a quatuor fontibus honestatis primo libro officia duximus, in eisdem versabimur, quum docebimus, ea, quæ videntur esse utilia, neque sunt, quam sint virtutis inimica. Ac de prudentia quidem, quam vult imitari malitia; itemque de justitia, quæ semper est utilis, disputatum est. Reliquæ sunt duæ partes honestatis, quarum altera in animi excellentis magnitudine et præstantia cernitur; altera in conformatione et moderatione continentiæ et temperantiæ [11].

97 XXVI. Utile videbatur [1] Ulyssi, ut quidem poetæ

8. *Commutata utilitate*. Quum desinunt esse utilia. Facc. — Sic gladium te redditurum esse promiseras, ob utilitatem ejus a quo tibi fuerat gladius commissus : ubi ei utile est gladium a te non reddi, commutata utilitate, non reddendus est.

9. *Ac de iis*, etc. De falsis utilitatibus, quæ sunt inimicæ tum justitiæ, tum prudentiæ, disputatum est. Restat, ut idem ostendatur de fortitudine et temperantia. Facc.

10. *Sed quoniam*, etc. Omnia hæc usque ad finem capitis (ad verba *disputatum est*) insititia videntur. Nisi forte, primo membro servato, hinc incipiendum est caput proximum, atque ita legendum : « Sed quoniam a quatuor fontibus honestatis primo libro officia duximus, reliquæ sunt partes duæ, quarum altera in animi, etc. » Facc. — Priori illi suspicioni ne ipse quidem videtur multum tribuere. Altero autem loco prudentiam et justitiam iterum commemorat Cic. quasi viam monstrans, qua honestatis fontes primo libro aperuerit, ut sit facilior illarum virtutum in hac utilitatis et honestatis contentione conspectus. De justitia disputavit cap. 10 usque ad cap. 17, 71; de prudentia inde a cap. 17, 71, usque ad hunc locum. Gern.

11. *In conf. et mod. continentiæ et temperantiæ*. J. M. Heusingerus vulgatam recte interpretatur : in continentia et temperantia conformante et moderante animi motus non minus, quam ipsas actiones. Vide I, 5 extr. Gern.

XXVI. 1. *Utile videbatur*. His vocibus nihil respondet post parenthesim, quod constructionem regat. Sed, ut alias dixi, inconsequentiæ istius-

tragici prodiderunt (nam apud Homerum, optimum
auctorem, talis de Ulysse [2] nulla suspicio est); sed
insimulant eum tragœdiæ, simulatione insaniæ mili-
tiam subterfugere voluisse. Non honestum consilium.
At utile (ut aliquis fortasse dixerit) regnare, et Ithacæ
vivere otiose cum parentibus, cum uxore, cum filio.
Ullum tu decus in quotidianis periculis et laboribus
cum hac tranquillitate conferendum putas? Ego vero
istam contemnendam et abjiciendam; quoniam, quæ
honesta non sit, ne utilem quidem esse arbitror. Quid 98
enim auditurum putas fuisse Ulyssem, si in illa simu-
latione perseverasset? qui quum maximas res gesserit
in bello, tamen hæc audiat ab Ajace:

Cuju' [3] ipse princeps jurisjurandi [4] fuit,
Quod omnes scitis, solus neglexit fidem.

modi latinis scriptoribus familiares sunt, et schemata dicuntur. Facc. — Parenthesis non, ut Facciolatus et Heusingeri voluerunt, verba « ut quidem... suspicio est » complectitur, sed hæc tantum : « nam apud... suspicio est », id quod apparet ex iis verbis, quibus superiora post parenthesin repetuntur, particula *sed* (vide quæ annotata sunt ad I, 23, 79) ad revocandam inchoatam sententiam præposita, « sed insimulant, etc. » De Ulixe furorem simulante, ne ad Trojam navigare cogeretur, et a Palamede fraudis convicto, vid. Scholiastes ad Sophocl. Philoct. 1025 : Προσποιούμενον γὰρ αὐτὸν μαίνεσθαι, Παλαμήδης ἤλεγξεν. Brunkius ad Sophocl. Fragm. Ὀδυσσεὺς μαινόμενος. Servius ad Virg. Æn. II, 81, et alii, quos laudat Heusingerus. De scriptura vocis *Ulixi* vide quæ annotata sunt ad I, 31, 113. Gern.

2. *Ulysse*. Plinio, XXXV, c. 11, sect. 40, § 25 extr. memorantur Parrhasii tabulæ, « Ulysses, simulata vesania, bovem cum equo jungens et palliati cogitantes », sed edit. Paris. 1516 suppeditat « et Palamedes ». Res, quam tragicus quidam, ut invidiæ illius, qua Ulixes Palamedem persequebatur, causam aperiret, commentus esse videtur, nota est ex Hygini fab. 95; Schol. ad Sophocl. Philoct. 1025; Schol. Lycophron. 818, atque Eudocia, p. 321. Beier.

3. *Caju' ipse*, etc. Ex Pacuvio in judicio de armis Achillis inter Ulyssem et Ajacem. Facc.

4. *Princeps jurisjurandi*. Jurejurando Græci conspirarunt simul coituri ad bellum Trojanum, inter quos princeps Ulysses. Facc.—Hoc ipsum jusjurandum respicit etiam Horatius, Carm. I, 15, 6 sqq. Sed Ulixes *primus* omnium juraverat : nam inter Helenæ procos primo loco enumeratur ab Apollodoro, III, 10, sect. 8 pr. Beier.

Furere assimulavit; ne coiret, institit [5].
Quod ni Palamedis perspicax prudentia
Istius percepset [6] malitiosam audaciam [7],
Fide sacratum [8] jus perpetuo falleret.

99 Illi vero non modo cum hostibus, verum etiam cum

5. *Ne coiret, institit.* J. M. Heusingerus recte interpretatur; ne cum ceteris iret, operam dedit, et in proposito perseveravit. Gern. — *Institit*, nempe *in dolos*, omnia tentavit, cœpit effugia quærere, ne coiret.

6. *Percepset.* Vetusta forma pro *percepisset.* Facc. — *Percepisset* J. F. Heusing. in suis libris reperit. Gern. — Bern. et Cur. cum al. *percepisset.* Venet. 502, *præcepisset.* Archaismi exempla Turneb. Advers. VIII, 3 pr. notavit hæc: *recepso* pro *recepero* in Catull. XLIV, 19; *capsis* pro *ceperis* in Orat. cap. 45 (conf. Schelleri Lex. s. v. pag. 1469); *clepsit rapsitve* pro *clepserit* et *rapuerit* Leg. II, 9, 22, ubi nunc e codd. editur *cleperit rapsitque.* Sed conf. Liv. XXII, 10, ubi et *faxit* reperitur, ut alibi, et *illexe* apud Cic. Nat. Deor. III, 68, cap. 27 pr. Beier.

7. *Malitiosam audaciam.* Gern. sequente Beiero, scribit « malitiosam astutiam ». Hanc, inquit, Wakefieldii correctionem ad Lucret. I, 234, propositam confirmat Gu. 1. Ulixis non tam fuit fortis animus, quam cavens mala fraude pericula. Est autem *malitia* Cicerone interprete de Nat. Deor. III, 30, 75, ex communi loquendi usu « versuta et fallax nocendi ratio », atque poeta dignum est, *malitiosam* dici astutiam, quæ (vid. supra c. 17, 71) turpia facit sic, ut videantur turpia non esse. — Sed si admittas *astutiam*, omnino mirum est codd. et edd. omnes in *audaciam* consentire: nempe audax erat Ulysses in sacramento violando, licet simul ignavus erat in bello fugiendo.

8. *Fide sacratum.* Al. « fide sacratæ ». Hoc est, jus fidei sacratæ. Veteres enim dixere *fide* pro *fidei.* Facc. — *Fide sacratæ.* Sic Fabric. e plerisque suis. A F. Heusing. comparatur e Senecæ Agam. 79: « Jura pudorque et conjugii sacrata fides ». Idem reperisse Gernhardo videtur in duobus Aldus. At vero hic emendavit quidem ita; sed fatetur tamen: « Veteres libros omnes aliter. Unum *fides sacrata.* Unum *fid' sacratum.* Decem et Tertii *fide sacrata* ». Sic et alii plerique. Bern. *ei desacrata.* Quidam libri Car. Langii *fides sacratæ*: quam quidem genitivi formam a Pacuvio usurpatam crediderim. Vid. Gellius, Noct. Attic. IX, 14. Victor. Bald. Græv. Ern. habent *fide sacratum*, ut vet. codex Nannii, Miscell. IX, 11. Turnebus, Advers. VI, 21, comparat illud Virgil. Æn. II, 157: « Fas mihi Graiorum sacrata resolvere jura »: ut *jus* hic *sacratum* dixerit, quod sacramenti militaris religione teneri videretur. Nam jurejurando tenebatur, i. e. fide. Quamquam locum illum aliter exposuit Heynius. Sed hic ante dixit « jurisjurandi fidem » et apud Nonium in v. *Sagmina* Nævius: « Jus sacratum Jovis jurandum sagmine »: de quo vide ad § 104. Quod si hoc loco sic legatur: tamen *fide* erit genitivus, quem priscis tribuit Charisius, lib. I, pro *fidei*, ut in Ovid. Met. III, 341, VI, 506, VII, 728, 738. Vid. Heyn. ad Virg. G. I, 208. Beier.

fluctibus[9], id quod fecit, dimicare melius fuit, quam deserere consentientem Græciam ad bellum[10] barbaris inferendum. Sed dimittamus et fabulas, et externa; ad rem factam, nostraque veniamus.

XXVII. M. Attilius[1] Regulus, quum consul iterum in Africa ex insidiis captus esset, duce Xanthippo Lacedæmonio, imperatore autem patre Hannibalis, Hamilcare: juratus[2] missus est ad senatum, ut, nisi redditi essent Pœnis captivi nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem. Is quum Romam venisset, utilitatis speciem videbat, sed eam, ut res declarat, falsam judicavit; quæ erat talis: manere in patria, esse domi suæ cum uxore, cum liberis; quam calamitatem[3] accepisset in bello, communem fortunæ bellicæ judi-

9. *Cum fluctibus.* In decennali illo errore, quo undis jactatus est.

10. *Ad bellum barbaris inferendum.* Ita appellabantur gentes omnes præter Græcos. Facc.

XXVII. 1. *M. Attilius.* In Bern. scribitur *Attilius* duplici *t*, ut in edd. Ern. Gern. Sch. Sed *Atilius* exstat in antiquis monumentis. Vid. Grotefendi Lat. Gramm. II, § 191. Consul fuit primum an. Urb. 486, iterum 497. Captus est autem (ab hostibus) ex insidiis (prorumpentibus) proconsul: nam de prorogato ei imperio testatur Valerius Maxim. IV, 4, 6 pr. e Liv. Epit. 18. Sic proconsulem passim dici consulem, præsertim si ante fuerit consul, docuit Car. Dav. Ilgen. V. S. Rev. ad orat. pro Arch. cap. 6; in Opuscc. philoll. vol. II, pag. 104 sqq. Eodem modo, qui proprætor esset, prætorem dici, monuimus ad II, 50, pag. 97 extr. Errat autem Cicero, quod hunc Hamilcarem, similitudine nominum deceptus, patrem facit Hannibalis, qui secundum bellum Punicum cum Romanis gessit. Hujus enim « Hamilcar, Barcas, pater primo Pœnico bello; sed temporibus extremis, admodum adolescentulus in Sicilia cœpit præesse exercitu »; propter celebritatem autem huic superioris Hamilcaris ignobilioris res gestæ adscriptæ sunt: ut ex Æmilio Probo, XXII, 1, 1, docuit Freinshem. ad Supplem. Liv. XVI extr. Ad totum h. l. cf. Flor. II, 2. Beier.

2. *Juratus.* Postquam se jurejurando devinxit, se rediturum, nisi captivorum permutatio fieret.

3. *Calamitatem.* Calamitatem communem fortunæ bellicæ, i. e. omnium, qui fortunam belli (Brut. 35, 135 extr.) experiuntur. Sic « communis Mars, qui sæpe spoliantem jam et exsultantem evertit et perculit ab abjecto, bellique casus », vel « omnis belli Mars communis et semper incerti præliorum exitus » metuendi memorantur, ut Mil. 21, 56; Sext. 5, 12; Epist. VI, 4, 4; Orat. III, § 167; Verr. V, 50, § 130. Beier.

cantem, tenere consularis dignitatis gradum. Quis hæc neget esse utilia? quem censes [4]? magnitudo animi
100 et fortitudo negat. Num locupletiores quæris auctores [5]? Harum enim est virtutum proprium, nil extimescere, omnia humana despicere; nihil, quod homini accidere possit, intolerandum putare. Itaque quid fecit? In senatum venit; mandata exposuit; sententiam ne diceret [6], recusavit: quamdiu jurejurando hostium teneretur, non esse se senatorem [7]. Atque illud etiam (o stultum hominem, dixerit quispiam, et repugnantem utilitati suæ!) reddi captivos, negavit esse utile: illos enim adolescentes esse, et bonos duces; se jam confectum senectute. Cujus quum valuisset auctoritas, captivi retenti sunt: ipse Carthaginem rediit; neque eum caritas patriæ retinuit, nec suorum. Neque vero tum ignorabat, se ad crudelissimum

4. *Quem censes*, sc. negare? Alii dant « quid censes? » Nobis loci tenor hic esse videtur, ut ipse Cic. vicissim duas partes per subjectionem impleat. Sic quum veluti causam utilitatis defendens dixit « quis hæc neget esse utilia? » tum, mutatis partibus, ipse quasi ab adversario rogatus, respondet: quæris quis neget hæc esse utilia: negat scilicet magn. etc. — Cum toto h. l. comp. plane geminus Fin. II, 20, 65: « Dicet pro me ipsa virtus nec dubitabit illi vestro beato M. Regulum anteponere, etc. »—Hic locus Fin. interpretationem vv. *quid censes?* plurimum adjuvat.

5. *Auctores* dicuntur testes, quorum auctoritas ad alios vim quamdam habet. Conf. 105 med. Att. VIII, 2, sub fin. « Quasi... locupletior mihi sit quærendus auctor, quam Socrates ». Beier. — *Locupletiores*, sc. quam magnitudo animi et fortitudo.

6. *Sententiam ne diceret*, etc. Noluit in senatu sententiam dicere, quod adhuc captivus esset, ac proinde capitis deminutus, et hostium servus. Facc.

7. *Se senatorem*. Captivitate autem amittebatur ordo, civitas, libertas, caput. Cf. Orat. cap. 40. Pomponius in Dig. XLIX, 15, 5, § 3, « in Atilio Regulo, quem Carthaginienses Romanis miserunt, responsum est, non esse postliminio reversum: quia juraverat *Carthaginem reversurum*, et non habuerat animum Romæ remanendi ». De ipso Regulo vid. Eutrop. II, 14, 3 sq. Polyb. Fragm. IX. Horat. in Carm. III, 5, 18-40. Cf. Reguli, dissentientis conditionibus fœdis, oratio. Cf. Dio apud Fulv. Ursinum et Zonaras: quibus auctoribus utitur Freinshemius in Supplem. Liv. XVIII, a cap. 57. Accidit ea res an. Urb. cond. 501. Beier.

hostem, et ad exquisita supplicia proficisci; sed jusjurandum conservandum putabat. Itaque tum, quum vigilando necabatur[8], erat in meliore causa, quam si
domi senex captivus, perjurus consularis remansisset. At 101
stulte, qui non modo non censuerit captivos remittendos, verum etiam dissuaserit. Quomodo stulte? etiamne si reipublicæ conducebat? potest autem[9], quod inutile reipublicæ sit, id cuiquam civi utile esse?

XXVIII. Pervertunt homines ea, quæ sunt fundamenta naturæ[1], quum utilitatem ab honestate sejungunt. Omnes enim expetimus utilitatem[2], ad eamque rapimur, nec facere aliter ullo modo possumus. Nam

8. *Vigilando necabatur.* Gellius, lib. VI, cap. 4 : « Tuditanus somno diu prohibitum Regulum, atque ita vita privatum refert ». Facc. — Eximiam Reguli fidem Annalium scriptores videntur illustrare voluisse barbarorum crudelitate opposita. Descripsit crudelissima illa supplicia Silius Ital. VI, 539 seqq. ad quem locum vide quæ de vulgari ista narratione disputavit Ruperti post Palmerium in Exercit. ad Appian. edit. Schweigh. vol. III, pag. 392, qui Diodori Sic. fragmento usus suspicatur Regulum in custodia morbo exstinctum esse. Gern. — Beierus, postquam longius retulit opiniones eorum qui de supplicio Reguli dubitaverunt (vide apud illum), addit se, quamquam concedit ab historicis multa ad ostentationem virtutis ficta esse, tamen de supplicio ipso vix dubitare posse. Recordamur, inquit, Carthaginienses adeo suis imperatoribus, qui in communi incertoque periculo belli offendissent, culpam Fortunæ assignasse, eosque cruci suffixisse : id quod e. c. Hannoni accidit. Vid. Diodor. I, pag. 412, II, 697 ; Liv. XXII extr. Valer. Maxim. II, 7, extern. 1 ; Aurel. Vict. de Viris ill. cap. 38 extr. Quid mirum igitur, si Carthaginienses Regulo, qui antea victor superbissimus, ipsa Carthagine obsessa, pacem petentes durissimis suis deditionis legibus ad extremam desperationem compulisset, eo minus pepercerint, quod ipsi Pœni cum Regulo legati Romam missi, reque infecta, Carthaginem reversi, ut credibile est, non deessent urbis inimicæ iras exacerbare?

9. *Potest autem*, etc. Quod inutile et incommodum reip. est, non debet existimari utile illi, qui pars reip. est. Id si fieret, perverteretur natura rerum, et esset alicui utile, quod non tamen esset honestum. Facc.

XXVIII. 1. *Fundamenta naturæ, quum utilitatem ab honestate*, etc. Id est, originariam naturæ rationem, qua utilitas sic cum honestate cohæret, ut sejungi nequeant. Beier.

2. *Expetimus utilitatem.* Ad vim naturæ pertinet, ut omne animal utilia sibi quærat, rationale animal cum ratione quærat; quod autem cum ratione quæritur, in eo quæritur, quod honestum et laudabile est. Facc.

quis est, qui utilia fugiat, aut quis potius, qui ea non studiosissime persequatur? Sed quia nusquam possumus, nisi in laude, decore, honestate utilia reperire, propterea illa prima, et summa habemus : utilitatis nomen non tam splendidum, quam necessarium [3] ducimus.

102 Quid est igitur, dixerit quis[4], in jurejurando? num iratum timemus Jovem? At hoc quidem[5] commune est omnium philosophorum, non eorum modo[6], qui deum nihil habere ipsum negotii dicunt[7], et nihil exhibere alteri; sed eorum etiam[8], qui deum semper agere aliquid, et moliri volunt, numquam nec irasci deum, nec nocere. Quid autem iratus Jupiter[9] plus nocere potuisset, quam nocuit sibi ipse Regulus? nulla igitur[10] vis fuit religionis, quæ tantam utilitatem perverteret. An, ne turpiter faceret? Primum, minima de malis[11]. Num igitur tantum mali turpitudo ista habe-

3. *Necessarium*. Quia refertur ad ea, quibus indigemus, necessarium putamus; splendidum non item, quia splendor in sola virtute et honestate est. FACC.

4. *Quid est igitur, dixerit quis*. Qui laudem a me Regulo tributam ereptum it.

5. *At hoc quidem commune est*, etc. Ejus verba sunt qui Regulum laudandum negat.

6. *Non eorum modo*. Epicureorum. FACC. — Vid. Senec. de Morte Claud. cap. 12.

7. *Dicunt*. Hoc Pearc. abjicit, sequentibus Beiero et Schützio. — Gernhardo autem duæ philosophorum partes per duplex *eorum*, *qui* sic distingui videntur, ut, utriusque sententiam plenius dici, non mirum sit. Conf. tamen I, 2, 6, p. 13 sq. BEIER.

8. *Sed eorum etiam*. Stoicorum, qui non secus atque Epicurei aiunt, deum nec obesse velle, nec posse; quod nullam vim, nisi beneficam et salutarem habeat, ut est apud Senecam de Ira, lib. II, cap. 27. FACC. — Adde Cic. de Nat. Deor. I, cap. 44. — De variis philosophorum sententiis vide Beierum; qui undequaque eas collegit.

9. *Jupiter* i. est q. *Juvans pater*, interprete Goerenzio ad Fin. II, 4, 14 pr. cum Cicerone, Nat. Deor. II, 25, 64. Sed jure de hac originatione dubitat Ill. Creuzer. N. D. I, 17. Nam Jupiter est Ζεῦ πάτερ, litera ζ mutata in *i* consonam. BEIER.

10. *Nulla igitur*, etc. Colligit, nihil fuisse causæ, cur Regulus jusjurandum suæ utilitati anteverteret. FACC.

11. *Minima de malis*. Effatum proverbio tritum, de malis minima sumenda esse. FACC.

bat, quantum ille cruciatus? Denique illud etiam apud Attium[12],

> Fregisti fidem[13].
> —Neque dedi, neque do infideli cuiquam;

quamquam ab impio rege[14] dicitur, luculente tamen
dicitur. Addunt etiam, quemadmodum nos dicamus,
videri quædam utilia, quæ non sint; sic se dicere, vi-
deri quædam honesta, quæ non sint: ut hoc ipsum
videtur honestum, conservandi jurisjurandi causa ad
cruciatum revertisse; sed fit non honestum, quia, quod
per vim hostium esset actum, ratum esse non de-
buit. Addunt etiam, quidquid valde utile[15] sit, id fieri 103
honestum, etiam si antea non videretur. Hæc fere
contra Regulum. Sed prima[16] videamus.

XXIX. Non fuit Jupiter metuendus, ne iratus no- 104
ceret: qui neque irasci solet, neque nocere. Hæc quidem ratio non magis contra Regulum, quam contra omne jusjurandum valet. Sed in jurejurando, non qui metus, sed quæ vis sit[1], debet intelligi. Est enim jus-

12. *Apud Attium*. In tragœdia de Atreo. Significat autem, Pœnis fœdifragis fidem servandam non fuisse, quod fides data non videatur, quum datur homini infideli. Facc.

13. *Fregisti fidem*. Beier. « fregistin' fidem? » Bern. « fregistine fidem? » — Apostrophum, quem ante literam consonam recte deleverat Gernhard. denuo addunt Deg. et Sch. *Ne* pro *an non* posita, ut c. 17 pr. (ubi cf. n.), affirmantis est in hac interrogatione, quam recte F. Heus. adscribit Thyestæ, Atrei perfidiam accusanti. Sic enim idem loquitur apud Senecam in Thyest. scen. ult. « Hoc fœdus? hæc est gratia? hæc fratris fides? » Beier.

14. *Impio rege*, Atreo, de quo vid. Hygin. fab. 88.

15. *Quidquid valde utile*, etc. Hac ratione qui bella gerunt ultro suscepta pro imperio (si qui forte sunt) et provincias prædantur, se tamen a prædonibus distingui putant, quod præda magnitudine ipsa fiat honesta. Facc. —*Antea*. Nescio quo consilio F. Heus. cujus lateri fidus comes adhæret Degenius, e Gu. 1 et 2 scripserit *ante*, quum tamen hic non tam tempus spectetur, quam mutata rerum conditio. Beier.

16. *Prima videamus*. Quæ dicuntur § 102.

XXIX. 1. *Non qui metus, sed quæ vis sit*. In jurejurando id potius considerandum, quæ ejus natura et obligatio, quam quid mali in eo violato metuendum sit.

jurandum, affirmatio religiosa. Quod autem affirmate[2], quasi deo teste, promiseris, id tenendum est. Jam enim non ad iram deorum, quæ nulla est[3]; sed ad justitiam[4], et ad fidem pertinet. Nam præclare Ennius:

O fides alma, apta pinnis[5], et jusjurandum Jovis!

Qui jus igitur jurandum violat, is fidem violat, quam in Capitolio vicinam Jovis[6] Optimi Maximi (ut in Ca-

2. *Affirmate.* Imprr. vett. multi *affirmative.* — Ad sententiam Gronov. comparat, Aristot. Rhetor. ad Alexandrum, cap. 18: ὅρκος ἐστὶ μετὰ θείας παραλήψεως φάσις ἀναπόδεικτος. Beier.

3. *Quæ nulla est.* Quoties homines dei mandata violant, iram deo tribuimus nostra quadam minime propria loquendi consuetudine. Sed deus revera punit sine ira, quippe supremus judex, et summe justus. Facc. — J. M. Heusingerus recte defendit Ciceronem iram deorum omnino tollere. Nam quod Pearcius contrariam sententiam opponit de Leg. II, 8, 21, «Divorum iras providento»; et c. 9, 22, «Impius ne audeto placare donis iram deorum»; hæc non ex suo sensu dicit, sed legem ad vulgi opinionem accommodatam pronuntians. Quæ autem de ira deorum in orationibus leguntur, ut pro Roscio Comœdo, cap. 16, et Catil. I, 13 extr. «Tum tu, Jupiter... hostes patriæ... æternis suppliciis vivos mortuosque mactabis»: ea oratoris ars excusabit et communis opinionis reverentia. Nunc est audiendus philosophus. Comp. cap. 10, 44. Gern.

4. *Ad justitiam*, etc. Adde etiam veritatem, ad quam natura ipsa impellimur, ut dictum est in lib. I, cap. 4. Facc.

5. *Apta pinnis.* Id est, *cui aptæ* (affixæ) *sunt pinnæ.* Sic Virgil. Æneid. XI, 202, cum Ennio apud Macrob. VI, 1, *cælum*, et IV, 482, *axem* dixit *stellis aptum.* Hic igitur, interprete Mureto, Var. Lect. XIV, 3, et Turn. in Adv. VI, 18, *Fides* significatur *pinnata et pennigera.* Nam et Apuleius *verba*, quæ Homerus solenni et prope perpetua adjectione πτερόεντα appellat, *pinnis apta* dixit Apolog. II, (pag. 326, 26; Elm. II, pag. 86 extr. ed. Bip.) «si verba ita, ut poetæ aiunt, pinnis apta vulgo volarent». Putantur autem Fidei tribui alæ, non, quod avolarit ab hominibus ad divos; sed, quod ubique præsto sit. Recteque cum Ernest. sentit Gern. Ciceronem, adhibito Ennii versu, docere voluisse, *jusjurandum* nihil aliud esse, quam *fidem.* Beier. — *Jusjurandum Jovis.* Sic dicitur Fides, per quam ipse Jupiter jurat, qui quum per majorem jurare non possit, sua ipsius fide obligatur. M. Heus. — Immo est *jusj. Jovis* i. q. *jusjur. per Jovem*, qui credebatur vindex perjurii atque hinc dicitur *Jupiter fidius*, gr. Ζεὺς ὅρκιος et πίστιος. Vide Dionys. A. R. IV, 7. Gronov. comparat Sil. Ital. I, 9: «Juratum Jovi fœdus». Beier.

6. *Vicinam Jovis.* Ædem Fidei in Capitolio dedicavit Æmilius Scaurus, ut est in lib. II de Nat. Deor. cap. 23. Facc. — «Ante autem, Cicero inquit l. l. ab Atilio Calatino erat Fides consecrata». Gern.

tonis oratione est) majores nostri esse voluerunt. At 105
enim ne iratus quidem Jupiter plus Regulo nocuisset, quam sibi nocuit ipse Regulus. Certe, si nihil malum esset, nisi dolere. Id autem non modo non summum malum, sed ne malum quidem esse, maxima auctoritate philosophi affirmant: quorum quidem testem[7] non mediocrem, sed haud scio an gravissimum, Regulum, nolite, quæso, vituperare. Quem enim locupletiorem quærimus, quam principem populi[8] romani, qui retinendi officii causa cruciatum subierit voluntarium? Nam quod aiunt, minima de malis[9], id est, ut turpiter potius, quam calamitose: an est ullum majus malum turpitudine? quæ si in deformitate corporis habet aliquid offensionis, quanta illa depravatio et fœditas turpificati animi debet videri[10]? Itaque, nervo- 106
sius[11] qui ista disserunt, solum audent malum dicere id, quod turpe sit; qui autem remissius, hi tamen non dubitant summum malum dicere. Nam illud quidem,

Neque dedi, neque do fidem[12] infideli cuiquam:

idcirco recte a poeta; quia, quum tractaretur[13] Atreus, personæ serviendum fuit. Sed si hoc sibi sumunt, nullam esse fidem, quæ infideli data sit: videant, ne

7. *Testem*. Philosophorum testem dicit Regulum, quod, quæ illi docent, is vita comprobavit. M. Heus.

8. *Principem populi*. Erat enim consularis, ideoque ex populi principibus. Facc.

9. *Minima de malis*. Vide cap. 28, § 102: hæc proverbialiter dicta illustrantur sic, ut resideat aliquid obscuritatis. Intelligendum ad *turpiter* et *calamitose* est *vivas*. Gern.

10. *Fœditas...debet videri*. Non aliis modo, sed etiam nobis, qui turpia perpetravimus, nobisque ipsi conscii sumus. Facc.

11. *Itaque, nervosius qui ista disserunt*, etc. Stoici, quod turpe sit, solum esse malum dicunt, Peripatetici et Academici summum malum. Facc.

12. *Neque do fidem*. Gern. delevit *fidem*. Quem Schützius sequitur, item Beierus.

13. *Tractaretur Atreus*. Atrei persona induceretur, poeta dicere debuit, quæ impio rege digna essent.

107 quæratur latebra perjurio. Est autem jus etiam bellicum, fidesque jurisjurandi sæpe cum hoste[14] servanda. Quod enim ita juratum est, ut mens conciperet[15] fieri oportere, id servandum est : quod aliter, id si non feceris, nullum est perjurium[16]. Ut, si prædonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus est, ne si juratus quidem id non feceris. Nam pirata non est ex perduellium[17] numero definitus, sed communis hostis omnium. Cum hoc nec fides debet, nec jusju-
108 randum esse commune[18]. Non enim[19] falsum jurare,

14. *Cum hoste servanda.* Facc. dedit *hosti servanda.*

15. *Ut mens conciperet*, etc. In bello qui metu coactus paciscitur aliquid cum hoste, idque jurejurando confirmat, mens concipit fieri oportere, quia hostis jus habet incutiendi metum; ideoque servare pactum debet. Si mens concipiat fieri non oportere, ut quum ad vitam redimendam fides prædonibus datur, qui nullum jus habent, locus fidei esse non potest. Facc. — Conf. quæ paullo post dixit, « ex animi tui sententia », et quæ in loco suspecto, I, 13, 40, leguntur: « Semper autem in fide, quid senseris, non quid dixeris, cogitandum ». Quamquam Cicero alteram hujus controversiæ partem non dirimit, an honesti viri sit, quod intellexeris non justum esse servare, jurejurando tamen promittere. Apparet autem, quid sentiat, quantumque linguæ concedat. Gern.

16. *Nullum est perjurium.* Placebat autem Stoicis, esse sapientis, id est, viri boni, aliquando mentiri, sed sine assensione, id est, non eo consilio, ut cuiquam fallendo faceret injuriam: id quod refert Stobæus, Ecl. Eth. II, pag. 230: Τῷ μέντοι ψεύδει ποτὲ συγχρήσασθαι νομίζουσιν αὐτὸν κατὰ πολλοὺς τρόπους ἄνευ συγκαταθέσεως. Vid. Tennemanni *Geschichte d. Philos.* IV, pag. 140 sq. Arthur Schopenhauer in l. *die Welt*, p. 490. Binkes, pag. 59, ad h. l. scripsit n. 73. « Ciceroni contrarius est Grotius J. B. et P. lib. II, cap. 13, § 14 et 15, qui statuit, fidem non tantum cum publico hoste servandam, sed etiam cum latrone. A Grotio dissentiunt Pufend. J. N. et G. lib. IV, c. 2, § 8; Barbeyr. ibid. et Otto ad Pufend. de O. H. et C. lib. I. cap. 11, § 6 ». Nos quidem ad I, 10, 32 extr. principia, a quibus omne in hac consultatione judicium pendeat, distinguenda censuimus. Beier.

17. *Ex perduellium.* Pirata non est definitus hostis ex numero perduellium, de quibus jus feciale habetur; sed communis omnium, cui nulla justitiæ bellicæ officia tribuenda sunt. Quidam putant tollendam esse particulam *ex*. Facc.

18. *Jusjurandum esse commune.* Cum sententia Hertius, n. 3, ad Pufendorf. J. N. et G. IV, 2, 3, comparat Bruti illud in oratione ad populum de Cæsaris cæde apud Appian. Ἐμφ. II: Εἰ δ' ἐπιθυμήσει τις ἄλλος τυραννίδος· οὐδὲν πιστόν ἐστι Ῥωμαίοις πρὸς τυράννους, οὐδ' εὔορκον. Beier.

19. *Non enim*, etc. Ut si quis deceptus juret, aut putet, se posse quod

perjurare est; sed, quod ex animi tui sententia juraris, sicut verbis concipitur more nostro[20], id non facere, perjurium est. Scite enim[21] Euripides:

Juravi lingua[22], mentem injuratam gero.

Regulus vero non debuit conditiones, pactionesque bellicas et hostiles perturbare perjurio. Cum justo enim et legitimo hoste res gerebatur; adversus quem et totum jus fetiale[23], et multa sunt jura communia. Quod ni ita esset, numquam claros viros senatus vinctos hostibus[24] dedidisset.

non potest; se habere, quod non habet. Facc.

20. *More nostro.* Id est, adhibitis verbis ex formula, more Romanorum, qui dicebant *conceptis verbis jurare* vel *conjurare*, id est, simul jurare, propter præjurationes eorum, qui verba præibant. Facc. — Conf. Acad. IV, 57, 146; Liv. XLIII, 15; Brisson. de formulis, VIII, pag. 711; Gronov. Observv. IV, 14, pag. 685, et al. quos laudat Heus. Gern.

21. *Scite enim.* Ingeniosa quidem, sed minus vera a Schützio facta distinctio est, « hoc non eo pertinere, quod ipsam illam sententiam (Cicero) laudet, sed quod Euripides uno versiculo scite expresserit juramenti non ex animi sententia pronuntiati vim et naturam ». Beier.

22. *Juravi lingua.* Verba sunt Hippolyti apud Eurip. Hippol. v. 611: Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος. Gern.—Euripidis sententiam exagitavit Arist. in Ran. 101 sq. 797 (775 sq.), 1579 (1520 sq.), et Cephisodorus, Isocratis discipulus, apud Athen. lib. III, pag. 122 (c. 35 pr.), eam impie (πονηρῶς) dictis recte annumerare videtur Gottlebero, laudanti Valckenarium ad Hippol. pag. 231. At vero, ut rectius exposuerat Pufendorf. de J. N. et G. IV, 2, 14, Hippolytus nutrici juraverat, se, quidquid ex illa auditurus esset, taciturum; sed, quum illa de adulterio et incestu cum noverca Phædra proposuisset, abnuit, se fidem in tanto flagitio dedisse nec ulla religione, ut id tegat, posse constringi. Propterea etiam additur, Regulum quidem non fuisse in ea causa, ut hac excusatione uti deberet. Sed etiam Hippolytus Euripideus illius jurandi reverentia juris rem tacet. Ceterum mallem legi, *Juravit lingua.* Beier.

23. *Jus fetiale.* De quo lib. I, c. 12. Hoc jure indicebantur bella, et pax conciliabatur. Facc. — Numam jam instituisse fetiales, formam autem juri fetiali primum constituisse Ancum, Leopoldus ad Plut. Num. cap. 12, affirmat e Dionys. Hal. II, 73, et Varr. de Ling. Lat. IV, 15. Conf. quæ Facc. annotavit ad I, 12, 36. Gern.—Vid. Liv. I, 24 et 32, XXX, 43; Diodor. Sic. VIII et XXXII, prædicans, Romanos præcipue id agere, ut justa bella, observatis solennitatibus, suscipiant. Gust. Sam. Theod. Baumgarten-Crusius de sacerdotibus Rom. epiblemat. (Lips. 803, 4), P. I, § 4, p. 18-22; P. II, § 5, pag. 40-43. Beier.

24. *Vinctos hostibus*, etc. Ita dedi-

109 XXX. At vero T. Veturius, et Sp. Postumius, quum iterum consules essent, quia, quum male pugnatum apud Caudium esset[1], legionibus nostris sub jugum missis, pacem cum Samnitibus fecerant, dediti sunt his[2]: injussu enim populi senatusque fecerant. Eodemque tempore Tib. Numicius, Q. Mælius, qui tum tribuni plebis erant, quod eorum auctoritate[3] pax erat facta, dediti sunt, ut pax Samnitium repudiaretur. Atque hujus deditionis ipse Postumius, qui dedebatur, suasor et auctor fuit. Quod idem multis annis post C. Mancinus[4]: qui, ut Numantinis, quibuscum sine senatus auctoritate fœdus fecerat, dederetur, rogationem suasit eam, quam L. Furius et S. Attilius ex senatusconsulto ferebant; qua accepta, est hostibus

ti Samnitibus sunt nudi vinctique consules, legati, quæstores, tribuni militum, cum duobus tribunis plebis, quod fœdam pacem ad Furcas Caudinas cum iis injussu populi romani fecissent, ut est apud Livium, lib. IX, cap. 10. Facc.

XXX. 1. *Apud Caud. esset.* Cladem apud Caudium, Samnitium oppidum, a C. Pontio Samnite acceptam (vid. Cato Maj. cap. 12, 41; Liv. IX, 2-6, et Flor. I, 17, 9), Orosius refert ad annum 426 ab Urb. cond. Pighius in Annal ad annum 432; Gruterus in Liv. edit. ad annum 433. De more victos sub jugum mittendi vid. Liv. III, 28, et IX, 6. Gern. — At vero negligentius et ibi loquutus videtur Cicero et hic, *male pugnatum*. Etenim angustiis ad Caudium, oppidum in Samnio inter Calatiam et Beneventum, inclusi, dederant se, non tentato prælio. Beier.

2. *Dediti sunt his.* Sed a Samnitibus non recepti sunt. A. Gell. XVII, c. ult. med. Aurel. Vict. Vir. ill. 28; Valer. Max. IV, 1, 9 pr. Augustin. Civ. D. III, cap. 17; Liv. cap. 10 sq. a quo tribuni plebis nominantur L. Livius et Q. Mælius, cap. 8, 13, ubi interpp. monent, illos tribunatum inisse post pacem Caudinam; quum superiore anno fortasse inter tribunos militum fuissent. Ipsos enim tribunos plebis nullum diem abesse Roma licebat, teste A. Gellio, lib. III, cap. 2. Vid. Pigh. ad ann. 433, I, pag. 351. Beier.

3. *Eorum auctoritate.* Consules intra montium angustias adacti, consuluerant tribunos plebis, eorumque auctoritate cum Samnitibus pacem egerant. Facc.

4. *C. Mancinus.* Ignominiosam Mancini pacem memorat Epitome Liviana, lib. LV. Ejus deditionem Valer. Max. lib. II, c. 7. Facc. — Adde Flor. II, 13, 6. Sed non receptus est ab hostibus, teste Appiano, Hisp. pag. 301, et Zonar. Annal. t. II. Vide Freinshemium ad Flor. I, 16, 12, et Vell. Paterc. II, 1, 5. Gern.

deditus[5]. Honestius hic, quam Q. Pompeius[6], quo, quum in eadem causa esset, deprecante, accepta lex non est. Hic ea, quæ videbatur utilitas, plus valuit, quam honestas : apud superiores, utilitatis species falsa ab honestatis auctoritate superata est.

At non debuit[7] ratum esse, quod erat actum per vim. Quasi vero forti[8] viro vis possit adhiberi. Cur igitur[9] ad senatum proficiscebatur, quum præsertim de captivis dissuasurus esset? Quod maximum in eo est, id reprehenditis. Non[10] enim suo judicio stetit, sed suscepit causam, ut esset judicium senatus : cui nisi ipse auctor fuisset, captivi profecto Pœnis redditi essent. Ita incolumis in patria Regulus restitisset. Quod quia patriæ non utile putavit, idcirco sibi honestum, et sentire illa, et pati, credidit. Nam, quod aiunt, quod valde utile sit, id fieri honestum : immo vero esse[11], non fieri. Est enim nihil utile, quod idem non

5. *Hostibus deditus.* Non magis tamen ab his receptus, quam superiores. Vide Freinshem. ad Flor. lib. III, 16, 12.

6. *Q. Pompeius. Nepos*, seu *Rufus.* Qui ann. 613, in turpissimo fœdere Numantino, quod ab eo consule anno priore, re male gesta, ictum fuerat (teste Liv. LIV pr. Eutr. IV, 8, 1), infitiando *callide improbus* fuisse judicatur Fin. II, 17, 54, et in Appiani libro VI de reb. Hisp. c. 79, p. 509 sq. Et hunc quidem supplicem gratia impunitum habuit, quod jam judicata ea causa esset, teste eod. cap. 83, et Velleio, II, 1, 4. Cf. ib. 90, 3; Oros. V, 5. Brier.

7. *At non debuit.* Novum argumentum adversus Regulum, ad quod Cic. respondet.—*At non debuit ratum esse, quod erat actum per vim.* Sic sane senserant et philosophi et JCti. Negat hoc Grotius, et contendit vi aut metu extorta promissa ad præstandum promissum obligare, de Jure belli et pacis, II, c. 12, § 7; sed refellitur a Pufendorfio de Jure naturæ et gentium, III, cap. 6, § 12, quem vide, et libro IV, cap. 2, § 5. Græv.

8. *Quasi vero forti*, etc. Revera enim viro forti, nullum cruciatum timenti, vis adhiberi non potest. Facc.

9. *Cur igitur.* Aliud argumentum, quo Regulus stultitiæ accusatur. M. Heus.

10. *Non ... stetit.* Non suo contentus judicio, non eo tantum nixus fuit, *sed suscepit causam*, ad senatum agendam : publici negotii patronus esse voluit.

11. *Immo vero esse.* Nam si natura sua honestum non esset, fieri nullo modo posset. Facc. — Wolfius subintelligit *dicendum est.* Pearc. *ego aio id :* facilius est subaudire *aiunt.* M. Heus.

honestum : nec quia utile, honestum est; sed quia
111 honestum, utile. Quare ex multis mirabilibus exemplis, haud facile quis dixerit, hoc exemplo aut laudabilius, aut præstantius.

XXXI. Sed ex tota hac laude Reguli, unum illud est admiratione dignum, quod captivos retinendos censuerit. Nam quod rediit, nobis nunc mirabile videtur : illis quidem temporibus aliter facere non potuit. Itaque ista laus non est hominis, sed temporum. Nullum enim vinculum ad adstringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt. Id indicant leges in XII Tabulis, indicant sacratæ[1], indicant fœdera, quibus etiam cum hoste devincitur fides; indicant notiones[2] animadversionesque censorum; qui nulla de re diligentius, quam de jurejurando, judicabant.
112 L. Manlio, A. F. quum dictator fuisset, M. Pomponius, tribunus plebis, diem dixit, quod is paucos sibi[3] dies ad dictaturam gerendam addidisset : criminabatur etiam, quod Titum filium, qui postea est Torquatus appellatus, ab hominibus relegasset, et ruri habitare jussisset. Quod quum audivisset adolescens filius, negotium exhiberi[4] patri : accurrisse Romam, et cum

XXXI. 1. *Sacratæ*. Leges de tribunis plebis latæ post exactos reges. Facc.—Reizius annotavit hæc : « Leges sacratæ dictæ, vel quod earum nonnullæ agebant de jurejurando, idque imponebant, vel quod in eas populus jurasset, ut apud Dionys. Halicarn. 8, 89. Nisi dicas intelligi a Cicerone leges sacratas anno 261. Nam religio sacramenti militaris populum tum sub signis continuit. Heynius ad Garv. » Vide p. Balbo, c. 14, 33, et Ernest. Clav. Cic. Commemorantur autem leges XII Tabb. et sacratæ non ex eo, quo latæ sunt, ordine: hæ enim sunt illis antiquiores, sed latius patet duodecim Tabularum vis. Gern. — De his legibus plura videsis apud Beierum.

2. *Notiones*. *Notio* proprie dicitur de morum magisterio. Errat Degen. si *notiones* et *notationes*, ut vulgo legitur, eodem sensu dici putat. Vid. Schütz. ad orationem pro Sextio, cap. 25, et de severitate hac censoria h. l. 115 pr. Beier.

3. *Paucos sibi dies*. Occasione belli recte conficiendi ductus, ut scribit Valerius Maximus, lib. V, cap. 4. Facc. — Adde Liv. VII, 4. Gern.

4. *Negotium exhiberi*. Scil. patrem in judicium vocari.

prima luce[5] Pomponii domum venisse dicitur. Cui quum esset nuntiatum; quod illum iratum allaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur; surrexit e lectulo, remotisque arbitris, ad se adolescentem jussit venire. At ille, ut ingressus est, confestim gladium destrinxit, juravitque se illum statim interfecturum, nisi jusjurandum sibi dedisset, se patrem missum esse facturum[6]. Juravit hoc coactus terrore Pomponius. Rem ad populum detulit; docuit, cur sibi causa desistere necesse esset; Manlium missum fecit. Tantum temporibus illis jusjurandum valebat! Atque hic T. Manlius is est, qui ad Anienem Galli, quem ab eo provocatus occiderat, torque detracto, cognomen invenit; cujus tertio consulatu[7] Latini ad Veserim fusi et fugati: magnus vir in primis, et qui perindulgens[8] in patrem, idem acerbe severus in filium.

5. *Cum prima luce.* Apud Nonium in v. *Lux* locus e M. Tull. de Offic. lib. III, quo Nonius ostenderat, veteres *lucem* masculino genere dixisse, librariorum culpa excidit. Suspicatur itaque Mercerus, hoc Cic. loco Tiburticensem grammaticum in suis exemplaribus legisse *et primo luci*. Beier.

6. *Missum esse facturum.* Solenni formula *missum facere* dicitur accusator, qui *non rem peragit*. Aurel. Victor, Vir. illust. 28, explicat *dimittere* (Seneca l. c. *remittere*) *accusationem*. Similiter ap. Liv. IV, 42, ad f. tribunus plebis « C. Semproninm nihil moror »: itemque judex, qui absolvit, certe pœnam remittit, ib. VIII, 35. Facete id Cicero ad causam philosophorum, contra quos disputat, transtulit, e. g. de Fato, cap. 5 pr. « Posidonium... cum bona venia dimittamus ». Beier.

7. *Cujus tertio consulatu.* Torquati tertio consulatu, ann. Urb. 413, « pugnatum esse haud procul radicibus Vesuvii montis, qua via ad Veserim ferebat », scribit Liv. VIII, 8 extr. Cf. X, 28, ad f. Cic. Fin. I, 7, 23, ad f. Valer. Max. VI, 4, 1, p. m. Aurel. Victor. Vir. illust. 26, 28. Veseris est fluvius, qui pro eodem cum Sabatho (hodie *fiume della Maddalena* v. *Fornello*) habetur, ad quem Veseris oppidum fuerit positum. Vid. Cam. Peregrinus de *Campaniâ felice*, Diss. II, cap. 23, et Oberlinus ad Vibium Seq. pag. 189. De hoc prælio, quo primus se devovit Decius pater, vid. ad 4, 16. Beier.

8. *Et qui perindulgens*, etc. Propter vexationem patri iratus esse poterat; sed singulari fuit pietate. In filium porro acerbus dicitur, quia in bello Latino filium obtruncari jussit, quod contra edictum suum extra ordinem pugnasset, et hostem, a quo fuerat provocatus, occidisset. Livius rem narrat in lib. VIII, cap. 7. Facc.

113 XXXII. Sed, ut laudandus Regulus in conservando jurejurando, sic decem illi[1], quos post Cannensem pugnam juratos ad senatum misit Hannibal, se in castra redituros ea, quorum potiti erant Pœni, nisi de redimendis captivis impetravissent, si non[2] redierunt, vituperandi. De quibus non omnes[3] uno modo. Nam Polybius, bonus auctor in primis, scribit, ex decem nobilissimis, qui tum erant missi, novem revertisse, a senatu re non impetrata; unum [ex decem], qui paullo post, quam egressus erat e castris, redisset, quasi aliquid esset oblitus, Romæ remansisse. Reditu enim in castra, liberatum se esse jurejurando interpretabatur: non recte. Fraus enim adstringit[4], non dissolvit perjurium. Fuit igitur stulta calliditas, perverse imitata prudentiam. Itaque decrevit senatus, ut ille veterator et callidus vinctus ad Hannibalem duce-
114 retur. Sed illud maximum: octo hominum millia tenebat Hannibal, non quos in acie cepisset, aut qui periculo mortis diffugissent, sed qui relicti in castris fuissent a Paullo et Varrone[5], consulibus. Eos senatus non censuit redimendos, quum id parva[6] pecunia

XXXII. 1. *Decem illi.* De quibus legendus Livius in fine libri XII, (XXII, 61), et Gellius, lib. VII, c. 18, qui paullo aliter rem narrat. Facc. — Vide quæ dicta sunt ad I, 13, 40. Gern.

2. *Si non redierunt.* Sic dubitanter loquitur scriptor, quia ea de re non constat inter auctores, ut ipse quoque scribit Livius. Facc.

3. *Non omnes.* Quum elliptice dicatur « de quibus non omnes uno modo », np. « tradiderunt, memoriæ prodiderunt »: facillime carere poteris glossemate *scribit*. Respicitur Polybii L. VI Histor. cap. 56. Eodem modo cap. 26 pr. *Homerus* dicebatur *optimus auctor*, id est, fide dignissimus. Beier.

4. *Adstringit.* Sententia hæc est: fraudis fabrum scientem se scelere contaminare, quia sciens fallat adeoque ex animi sui sententia pejeret. Conf. n. ad lib. I, § 40. Insuper cavillatoria jurisjurandi interpretatio detrahit reverentiæ summi numinis ob interpositam dei obtestationem, quem nemo astu deceperit. Vide Pufendorf. de J. N. et G. IV, 2, 12, ibique Mascovii n. 1. Beier.

5. *Paullo et Varrone.* Qui ad Cannas romano exercitui consules præfuerant.

6. *Parva pecunia.* Cicero Polybium

fieri posset: ut esset insitum militibus nostris aut vincere, aut emori. Qua quidem re audita, fractum animum Hannibalis scripsit idem, quod senatus, populusque romanus rebus afflictis tam excelso animo fuisset. Sic honestatis comparatione, ea, quæ videntur utilia, vincuntur. Acilius[7] autem, qui græce scripsit 115
historiam, plures ait fuisse, qui in castra revertissent, eadem fraude, ut jurejurando liberarentur, eosque a censoribus omnibus ignominiis[8] notatos. Sit jam hujus loci finis. Perspicuum est enim, quæ timido animo, humili, demisso, fractoque fiant (quale fuisset Reguli factum, si aut de captivis, quod ipsi opus esse videretur, non quod reipublicæ, censuisset, aut domi remanere voluisset), non esse utilia, quia sunt flagitiosa, fœda, turpia.

XXXIII. Restat quarta pars[1], quæ decore, modera- 116

sequutus servit causæ, quam tractat: ceterum Livius scribit pecuniæ quoque summam movisse senatores, ne captivos redimerent. Facc.

7. *Acilius.* De Acilianis libris vide Liv. lib. XXV, c. 39, et lib. XXXV, cap. 14. Homo romanus fuit, quamvis græce scripserit. Ejus Annales in latinum vertit Q. Claudius Quadrigarius. Facc.—Probabiliter agnoscitur C. Acilius, senator, qui vixit ætate Catonis Censorii (an. Urb. 598), memoratus Plutarcho in Cat. cap. 22 sq. f. (p. 349 extr.); A. Gellio, VII, 14, 9, et Macrobio, Sat. I, 5 extr. Germ. suspicatur, hunc epilogum in margine fuisse adjectum atque inde post ea, quæ e Polybio erant repetita, in textum irrepsisse. Sed levinscula est ejusdem V. D. argutula interrogatiuncula: « Quum Polybium commemorasset, græcum scriptorem, cur Acilium monet græce scripsisse, quasi Polybius latine scripserit? » — Quasi vero Polybius homo romanus fuerit, itidem ut Acilius. Facilior quidem hujus epilogi esset excusatio, si non processissent illa; « Sic honestatis comparatione.....vincuntur ». Sed ne sic quidem sollicitamus, memores illius epilogi, I, 92. Ceterum an. Urb. 539, censores lustrum condiderunt M. Atilius Regulus, illius, qui jurisjurandi conservandi gratia Carthaginem redierat, filius, et M. Valerius Philus. Vid. Valer. Max. II, 9, 8. Beier.

8. *Omnibus ignominiis.* Livius scribit lib. XXII, cap. ult. omnibus notis ignominiisque adeo confectos fuisse, ut quidam eorum mortem sibi extemplo consciverint. Facc.

XXXIII. 1. *Restat quarta pars*, etc. Quartus honestatis fons, ex quo ducuntur officia, temperantia est, quæ virtutes alias complectitur sibi affines. Facc.

tione, modestia, continentia, temperantia, continetur. Potest igitur quidquam esse utile, quod sit huic talium virtutum choro contrarium? Atqui ab[2] Aristippo Cyrenaici atque Annicerii[3] philosophi nominati, omne bonum in voluptate posuerunt; virtutemque censuerunt ob eam rem esse laudandam, quod efficiens esset voluptatis. Quibus obsoletis[4] floret Epicurus, ejusdem fere adjutor[5] auctorque sententiæ. Cum his, viris

2. *Ab Aristippo*. Aristippus Cyrenis in Africa natus. Ejus discipulus Anniceris. Ille sectam instituit, hic propagavit, exigua mutatione facta. Sed sectæ Cyrenaicorum et Anniceriorum Ciceronis ævo obsoleverant. Florebant Epicurei, qui utile putabant ad beate vivendum voluptates conquirere. Facc. — *Ab Aristippo* dicuntur qui ab Arist. profecti sunt, ut Heusingerus annotavit, præeunte Sanctio in Minerva, III, 4, p. 555, edit. Bauer. Gern. — Hic tamen rationem illam non agnoscimus, quippe quum addatur « philosophi nominati » : quæ sic plane superflua fiunt : unde F. Heus. si codex aliquis addiceret, vel utrumque vel certe posterius voc. esset ejecturus. Sed bene agitur, quod nullus addicit. Sensus hic est : « philosophi, qui Cyrenaicorum ab Aristippo atque Anniceriorum nomen repererunt ». Erat enim Aristippus Cyrenis in Africa natus. Beier.

3. *Annicerii*. *Anniceris* transitum facit a Cyrenaica philosophia ad Epicuream. Nam, voluptatem amplexatus, non tamen aspernabatur dignitatem. Beier.

4. *Quibus obsoletis floret Epicurus, ejusdem*, etc. Nam post Epicurum Cyrenaicorum nomen usurpari desiit. M. Heus. — Si vera hæc est sententia, auctorem non intellexit intp. gallicus, qui vertit : « C'est en ressuscitant ces vieilles erreurs qu'a brillé Epicure ».

5. *Ejusdem fere adjutor*. Discrepabat Epicurus a Cyrenaicis in fonte voluptatis aperiendo, quum voluptatem in vacuitate doloris poneret, latiusque patere voluptatem judicaret quam Aristippus. Vid. Fin. I, 11, 39; Plut. Sympos. I, prob. 1. Gern. — Tum « auctor sententiæ » dicitur, qui eam commendat, βεβαιωτὴς, ut c. 27 pr. Epicurus autem paullo verecundior fuit in voluptatis fonte aperiendo ejusque natura explicanda. Distinxit enim ἡδονὴν ἐν κινήσει, « in motu voluptatem », i. e. « qua sensus dulciter ac jucunde movetur », eamque Cyrenaicis, i. e. luxuriosis (ἀσώτοις) relinquebat, et ἡδονὴν ἐν στάσει vel καταστηματικὴν, « voluptatem stantem », vel « stabilem », i. e. « non dolere sine jucundo motu », præter quod nihil desiderabat. Vid. Fin. II, c. 7 sq. § 21 sqq. 10, 30 sqq. 23, 75. Epicurum autem porcorumque hujus ex hortis gregem, quoties occurrit, insectatur Cicero iniquius ille quidem, si Κηπολόγου illius sententiam non traxeris in invidiam, sed laudabili tamen studio, quod nimis dociles Romanos ad hanc virtuti inimicam sententiam, quæ auctoritatem afferret peccandi, accipiendam videret, ut bene monuit Lilie, commentat. I, p. 25. Cf. Fin. II, 14, 44. Itaque *cum his* sibi

equisque, ut dicitur, si honestatem tueri ac retinere sententia est, decertandum est. Nam si non modo 117
utilitas, sed vita omnis beata, corporis firma constitutione, ejusque constitutionis spe explorata, ut a Metrodoro[6] scriptum est, continetur: certe hæc[7] utilitas, et quidem summa[8], sic enim censent, cum honestate pugnabit. Nam ubi primum prudentiæ[9] locus dabitur? an, ut conquirat undique suavitates? quam miser virtutis famulatus, servientis voluptati[10]! Quod[11] autem munus prudentiæ? an legere intelligenter[12] voluptates? fac nihil isto esse jucundius: quid cogitari potest tur-

decertandum censebat *viris equisque*: i. e. objecto eis virorum equorumque impetu. Eadem locutio usurpatur proprie in re militari Phil. VIII, c. 7. Beier.

6. *A Metrodoro*. Qui Lampsacenus fuit, Epicuri discipulus, et « pæne alter Epicurus », ut dicitur in lib. II de Finibus, cap. 28. Facc. — Conf. Diog. Laert. lib. X, pag. 392 edit. Steph. Gern.

7. *Hæc utilitas*. Voluptatem revocat ad utilitatem, quia voluptarii trahuntur ad agendum ab illa, « quasi mercede aliqua », ut loquitur Cicero in Academ. IV, cap. 46. Facc.

8. *Et quidem summa*. Summum enim bonum positum putabat in doloris vacuitate, hoc est, in firma perfectaque corporis constitutione, ab angore omni metuque libera. Id vero quale sit, et quomodo evertatur, habes in libro secundo de Finibus. Facc.

9. *Prudentiæ*. Jam, ut recte vidit Gernh. exigitur Metrodori sententia deinceps ad singulas honestatis partes, et primum quidem ad ea virtutis munera, quæ ad ipsum in quoque referuntur. Beier.

10. *Servientis voluptati*. Respexit hic philosophus illam « tabulam, quam », æmulatus ut videtur, Cebetem Thebanum, « Cleanthes verbis depingere solebat », inque ea famulatum Virtutum, « quas ratio rerum omnium dominas, Epicurei voluptatum satellites et ministras esse voluissent ». Vid. Fin. II, 21, 69; Seneca de Benef. IV, 2 pr. Beier.

11. *Quod autem*, etc. Probat a singularum virtutum enumeratione, a prudentia incipiens. Quod si in superiore periodo retinere placet vocem *prudentiæ*, dicendum est, ibi finem virtutis hujus considerari, hic autem officium. Facc. — Non idem horum verborum sensus est, qui superiorum, « Nam ubi primum, etc. » Sententia hæc est: In isto famulatu, quid prudentia faciet, quod se dignum sit? Gern.

12. *Legere intelligenter*. Epicurei prudentiam collocant in eligendis voluptatibus, secernendo salutares a noxiis, magnas a parvis. Ita sapientia ab Epicuro dicitur, ut est in lib. I de Fin. c. 13: « artifex conquirendæ et comparandæ voluptatis ». Sapientia autem eo loco pro prudentia usurpatur. Facc.

pius? Jam, qui dolorem[13] summum malum dicat, apud eum quem habet locum fortitudo, quæ est dolorum laborumque contemptio? Quamvis enim multis in locis dicat Epicurus (sicut hic dicit) satis fortiter de dolore: tamen id non spectandum est, quid dicat, sed quid consentaneum sit ei dicere, qui bona voluptate terminaverit, mala dolore: ut, si illum audiam de continentia et temperantia. Dicit ille quidem multa multis locis; sed aqua hæret[14], ut aiunt. Nam qui potest temperantiam laudare is, qui ponat summum bonum in voluptate? est enim temperantia libidinum
118 inimica; libidines autem consectatrices voluptatis. Atque in his[15] tamen tribus generibus, quoquo[16] modo possunt, non incallide tergiversantur. Prudentiam introducunt, scientiam suppeditantem voluptates, depellentem dolores. Fortitudinem quoque aliquo modo expediunt[17], quum tradunt, rationem negligendæ mortis, perpetiendique doloris. Etiam temperantiam inducunt, non facillime illi quidem, sed tamen quoquo modo possunt. Dicunt enim, voluptatis magni-

13. *Jam, qui dolorem.* Probat utilitatem hujusmodi pugnare etiam cum fortitudine. Lege Epist. Senecæ 67. Facc.

14. *Aqua hæret.* Incidit in obicem, expedire se nequit. Modus proverbialis, ductus ab aqua, cujus cursus impeditur. Facc. — Significat Epicurum parum secum in disputando constare. Translatum apparet vel a fluitantibus qui vado destituti huc atque illuc jactantur; vel certe ab oratorum clepsydra.

15. *Atque in his*, etc. Prudentiam, fortitudinem, temperantiam institutis ac principiis suis accommodant, ut est in lib. I de Fin. cap. 13 et seqq. et quidem non incallide. At justitiæ conciliandæ nullam rationem inveniunt. Attamen hanc ipsam sibi conciliare conantur, ibid. cap. 16. Facc.

16. *Quoquo modo.* Nonius in v. *tergiversari* scribit *quomodo.* — Sensus est: « effugia quærunt (στροφὰς στρέφονται) difficulter illi quidem, sed tamen, quam optime possunt »: nempe « ut ne has virtutes omnino repudiare videantur ». Brem.

17. *Expediunt.* Excogitant aliquam fortitudinem, ut ait M. Heus. vel potius, ut nobis videtur, fortitudinem, quam ista voluptatum consectatio omnino abolere atque exstinguere debebat, quasi naufragio emergentem, magno labore in lucem educunt.

tudinem[18] doloris detractione finiri. Justitia vacillat, vel jacet potius, omnesque eæ virtutes[19], quæ in communitate cernuntur[20], et in societate generis humani. Neque enim bonitas, nec liberalitas, nec comitas esse potest, non plus quam amicitia, si hæc non per se expetantur, sed ad voluptatem, utilitatemve referantur.

Conferamus igitur in pauca. Nam ut utilitatem nul- 119
lam[21] esse docuimus, quæ honestati esset contraria: sic omnem voluptatem dicimus honestati esse contrariam. Quo magis reprehendendos Calliphonem et Dinomachum[22] judico, qui se diremptos controversiam putaverunt, si cum honestate voluptatem, tamquam cum homine pecudem[23], copulavissent. Non recipit istam conjunctionem honestas, aspernatur, repellit. Nec vero finis bonorum [et malorum[24]], qui simplex esse debet, ex dissimilibus rebus misceri, et

18. *Voluptatis magnitudinem*. Expressit Cicero Epicuri κυρίαν δόξαν III ap. Gell. II, 6, post m. et Diog. Laert. X, 189 extr. ὅρος τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις, h. e. « non crescere voluptatem, dolore detracto (Tusc. III, 20, 46 extr.); summam voluptatem esse nihil dolere; privatione doloris terminari summam voluptatem: ut postea variari voluptas distinguique possit, augeri amplificarique non possit (Fin. I, 11, 37 sqq.) ». Dolor autem detrahitur cupiditatum et naturalium et necessariarum expletione, ut famis et sitis sedatione, qua continetur summa edendi et bibendi voluptas. Beier.

19. *Omnesque eæ virtutes, quæ in*, etc. Quæ ad justitiam referuntur, et tamquam propagines ejus ab ea manant. Facc.

20. *Quæ in communitate cernuntur*. Quæ in conservanda vitæ communitate munus suum præstant, quas paullo post nominat. M. Heus.

21. *Ut utilitatem nullam*, etc. Vide, quid et quantum intersit. Nulla est utilitas, quæ contraria sit honestati. Omnis voluptas contraria est honestati. Facc.

22. *Calliphonem et Dinomachum*. De his in lib. V de Fin. (c. 8); in Tusc. V (c. 30); in Acad. IV (c. 42). Summum bonum esse volebant honestatem cum voluptate conjunctam: hoc est virtutem animi, quæ in contemnenda corporis voluptate consistit, cum voluptate ipsa copulabant. Facc.

23. *Cum homine pecudem*. Eodem modo loquitur in Academ. IV, c. 45: « tamquam hominem cum bellua ». Facc.

24. *Finis bonorum et malorum*, etc. Ultimum illud ex rebus expetendis et ex rebus fugiendis, quo vitæ consilia referri debent. Facc.

temperari potest. Sed de hoc (magna enim res est)
120 alio loco pluribus. Nunc ad propositum. Quemadmodum igitur, si quando ea, quæ videretur utilitas, honestati repugnat, dijudicanda res sit, satis est supra disputatum. Sin autem speciem[25] utilitatis etiam voluptas habere dicetur, nulla potest esse ei cum honestate conjunctio. Nam, ut tribuamus aliquid voluptati, condimenti[26] fortasse nonnihil, utilitatis certe nihil[27] habebit.

121 Habes a patre munus, Marce fili, mea quidem sententia, magnum; sed perinde[28] erit, ut acceperis. Quamquam tibi hi tres libri, inter Cratippi commentarios, tamquam hospites[29], erunt recipiendi. Sed, ut, si ipse venissem Athenas (quod quidem esset factum, nisi me e medio[30] cursu clara voce patria revocasset), aliquando me quoque audires: sic, quoniam his voluminibus ad te profecta vox est mea; tribues his, temporis quantum poteris: poteris autem, quantum voles. Quum vero intellexero, te hoc scientiæ genere gau-

25. *Sin autem speciem*, etc. Si voluptas videatur utilis, ipsa quoque repellenda est, quemadmodum alia omnia sunt repulsa, quæ speciem utilitatis haberent, nec tamen vere utilia essent. Facc.

26. *Condimenti.* Honestam hominis vitam efficit voluptas, non meliorem, nec utiliorem, sed paullo fortasse jucundiorem; « quatenus est imitatrix boni », ut dicitur in primo de Leg. cap. 17. Facc. — Vid. de Senect. 13 et 14.

27. *Utilitatis certe nihil habebit.* Scil. speciem utilitatis habere voluptas potest, vere utilis esse non potest. Facc.

28. *Sed perinde ..... acceperis.* Illustrantur hæc loco Terent. in Heautontim. act. I, scen. 2, vs. 20. Gern.

29. *Tamquam hospites.* In v. *hospites* non eam, quam intt. volunt, quærimus modestiam; sed hos libros sic dici putamus propterea, quod iis ad Cratippi auditorem profecta vox patris absentis sit. Neque *commentarios* h. l. cum Degenio intelligimus compendia, a Cratippo in usum lectionum scripta; sed potius dictata, a discipulo e præceptoris ore excepta, ὑπομνήματα. Vid. Epist. XVI, 21 extr. Beier.

30. *E medio.* Quum iter Athenas Cicero instituisset, revocatus est ab amicis, qui cœperant de rep. bene sperare. Sed spes omnis cito intercidit. Facc.

dere, tum et præsens tecum propediem, ut[31] spero, et dum aberis, absens loquar. Vale igitur, mi Cicero, tibique persuade, esse te quidem mihi carissimum; sed multo fore cariorem, si talibus monimentis præceptisque[32] lætabere.

31. *Ut spero, et dum aberis, absens loquar.* Cum filio, qui mox ad bellum sequutus est Brutum, teste Plutarcho in hujus vita, c. 24, 26, et in Cic. 45, coram loquendi spes frustrata est patrem, qui anno proximo ab Antonio periit vel potius morte ad meritam immortalitatem transiit a. d. VII id. dec. senex, cui ad LXIV annos deessent dies XXVII. Ejus vindex exstitit M. filius cos. an. Urb. 723 cum Augusto. Vid. Plutarch. in Cic. ad finem. BEIER.

32. *Monimentis præceptisque*, etc. Lamb. invitis libris, « monitis præceptis », quod omnes fere improbant. *Monumenta* sunt libri, paterni amoris testes, quibus præcepta filio salutaria continentur. M. HEUS. — Sed quum v. *monumentum* a *monere* derivetur, fieri posset, ut h. l. *monumenta* idem valeat atque *monita*, sensu, ut nobis videtur, non insolenti : sic Lambinus non adeo vituperandus esset, quamquam minime sequendus, repugnante librorum consensu.

M. T. CICERONIS
CATO MAJOR
SEU
DE SENECTUTE
DIALOGUS
AD T. POMPONIUM ATTICUM

ARGUMENTUM

E SCHUTZII EDITIONE DESUMPTUM.

Libellum hunc de Senectute Cicero ann. Urb. cond. 709, initio, vel anno superiore exeunte conscriptum ad T. Pomponium Atticum misit eo consilio, ut quum ipse annum sexagesimum tertium, Atticus autem sexagesimum sextum ageret, communi senectutis onere et se et amicum levaret. Simul curas Attici ex reipublicæ statu post Cæsaris cædem hoc opusculo levare volebat. Prima ejus libri mentio fit Epist. ad Atticum, XIV, 21, scripta Puteolis v id. maii ann. Urb. cond. 709, ubi « Legendus mihi, inquit, sæpius est Cato major ad te missus ». Deinde mense novembri ejusdem anni ad Attic. XVI, 11, scribit : « O Tite (i. e. librum de Senectute) tibi prodesse lætor ». Hanc igitur disputationem tribuit M. Catoni Censorio, seni, quem fingit cum Lælio et Scipione Africano minore colloquentem. Ex ipso autem dialogo perspicitur, cap. 5, tempus, quo Cicero eum habitum esse fingit, fuisse ann. Urb. cond. 603, T. Quintio Flaminino et M'. Acilio Balbo coss. quo anno Cato quartum et octuagesimum annum agebat, cap. 10. De Catonis hujus vita vide quæ diligenter collegit Wetzelius in Excursu ad Catonem et Lælium una cum Paradoxis a se ann. 1792 edito.

Initio dialogi Cicero Lælium et Scipionem facit admirantes, quod Cato senectutem tam facile ferat, plerisque senibus sic odiosam, ut onus se Ætna gravius dicant sustinere. Respondet Cato stultum esse de senectute queri, quam ut adipiscantur omnes optent, eamdem accusent adepti. Et quod aiant eam citius obrepere quam putassent, id ineptum esse, quod nemo eos coegerit, falsum putare, et quod iis non minus gravis foret senectus, si octingentesimum annum agerent, quam si octogesimum, cap. 2. Petentibus igitur Lælio et Scipioni, ut Cato exponat, quibus facillime rationibus ingravescentem ætatem ferre possint, senex ille sapiens gratificatur, ac primum ait se multos sæpe vidisse, qui senectutem deplorarent, tum quod voluptatibus carerent, sine quibus vitam nullam putarent, tum quod

spernerentur ab iis, a quibus essent coli soliti. Harum querelarum culpam in moribus esse ostendit, non in ætate. Et quum Lælius regessisset, fortasse dicturum esse quempiam, Catoni, propter opes et copias et dignitatem, tolerabiliorem senectutem videri, quod non possit multis contingere, Cato non quidem negat esse istuc aliquid, sed nequaquam tamen in isto omnia esse; aptissima enim senectutis arma esse artes exercitationesque virtutum, jucundissimamque esse bene actæ vitæ conscientiam multorumque benefactorum recordationem, cap. 3, quod Q. Fabii Maximi Cunctatoris exemplo illustratur, cap. 4.

Nec solum eos, qui rebus gestis inclaruerint, senes jucunde vivere, sed eos quoque qui quiete et pure et eleganter ætatem egerint, quod Platonis, Isocratis, Gorgiæ, Ennii exemplis confirmatur, cap. 5.

Jam exponit causas quatuor, quibus homines adducantur, ut senectus ipsis misera videatur; unam, quod avocet a rebus gerendis; alteram, quod corpus faciat infirmius; tertiam, quod privet omnibus fere voluptatibus; quartam, quod haud procul absit a morte, cap. 5 extr.

Primam igitur querelam, «quod senectus avocet a rebus gerendis», refellit multorum exemplis, qui senes, vel infirmis corporibus multas res bene administraverint, in primis Appii Claudii Cæci, et suo ipsius exemplo, cap. 6. Nec verum esse semper, quod multi querantur, senibus memoriam minui; id quod multorum exemplis convincitur senum in studiis viventium, ostenditurque senes non modo superioris vitæ studia recolere, sed etiam quotidie aliquid addiscere posse. Obiter Cæcilii probrum senectuti objectum, quod senex multa, quæ non velit, videat, et quod se aliis odiosum esse sentiat, refutatur, cap. 8.

Alteram vero querelam, «quod senectus corpus faciat infirmius», refutat exemplis Sex. Ælii Pæti, Ti. Coruncanii, P. Crassi qui ad extremam usque senectutem jura præscripserint civibus. Neque vero oratorem prorsus languescere senectute, quamvis ejus munus non ingenii solum sit, sed laterum etiam et virium. Præterea satis esse virium senectuti ad adolescentulos docendos, instituendos, et ad omne officii munus instruendos. Sæpe autem defectionem virium adolescentiæ potius vitiis effici, quam se-

nectutis. Contrarium illustratur Cyri, L. Metelli, Nestoris et suo ipsius exemplo, cap. 10. Denique si vires negentur in senectute esse, ne postulari quidem eas a senectute. Nam legibus et institutis vacare hanc ætatem muneribus iis, quæ non possint sine viribus sustineri. Resistendum igitur senectuti, ejusque vitia diligentia compensanda esse; de quo tum præclara quædam præcepta dantur, tum Appii Cæci et suo ipsius exemplo confirmantur, cap. 11.

Sequebatur tertia vituperatio senectutis, quod eam dicerent « carere voluptatibus ». Hæc refellitur primum Archytæ Tarentini oratione, qua nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem hominibus a natura datam esse docuerat; deinde afferuntur exempla, L. Flaminini a se censore ob libidines senatu moti, Curii et Coruncanii, qui, audita Epicuri de voluptate doctrina, ut ea Pyrrho et Samnitibus persuaderetur, quo facilius vinci possent, optaverint; ut non modo vituperatio nulla, sed summa laus senectutis sit, quod ea voluptates nullas magnopere desideret. Neque tamen honestis voluptatibus carere senectutem. Frui enim conviviis, amicorumque sermonibus, frui pabulo studii atque doctrinæ. Præterea magnas esse voluptates agricolarum, quæ nec ulla impediantur senectute, sibique ad sapientis vitam proxime videantur accedere, cap. 15-17. Præterea senectutem, honoratam præsertim, tantam habere auctoritatem, ut ea pluris sit quam omnes adolescentiæ voluptates, cap. 17, extr. 18. Omnino eam esse senectutem laudandam, quæ fundamentis adolescentiæ constituta sit; denique si senes dicantur esse morosi, anxii, iracundi, difficiles, etiam avari, hæc omnia vitia morum esse, non senectutis, c. 18 extr.

Quartam, quæ restabat, vituperationem senectutis, « quod haud procul absit a morte », ita confutat, ut miserum dicat esse senem, qui mortem contemnendam esse, in tam longa ætate non viderit; deinde adolescentiam multo plures mortis casus habere quam senectutem; nihilque esse, quod dicatur, adolescentem certe sperare diu se victurum, quod senex sperare non possit. Omnia vero quæ secundum naturam fiant habenda esse in bonis. Nihil autem magis esse secundum naturam quam senibus emori, quod idem sæpe contingat adolescentibus,

adversante et repugnante natura. Vivendi autem finem esse optimum, quum integra mente certisque sensibus, opus ipsa suum eadem quæ coagmentarit, natura dissolvat. Itaque ipsam satietatem vitæ senibus tempus maturum mortis afferre. Maximam autem senectuti consolationem esse in spe immortalitatis, de qua laudantur Pythagoræ, Socratis apud Platonem in Phædone, et Cyri majoris apud Xenophontem dicta, cap. 21, 22, et quantum sibi ipsi hæc spes voluptatis et fiduciæ afferat pulcherrimo epilogo declaratur, cap. 23.

M. T. CICERONIS,

CATO MAJOR,

SEU

DE SENECTUTE[1]

DIALOGUS

AD T. POMPONIUM ATTICUM.

I. O Tite[2], si quid ego adjuero[3], curamve levasso, 1
Quæ nunc te coquit[4], et versat[5] in pectore fixa,
Ecquid erit pretii[6]?

I. 1. *De Senectute.* Dialogus ad T. Pomponium Atticum scriptus anno U. C. 710, vel paullo ante, certe post Cæsaris necem, sed ante officiorum libros. Facc. — Cf. Cic. de Div. II, 1; ad Attic. lib. XIV, ep. 21.

2. *O Tite.* In epistolis ad Atticum non semel hac voce utitur ad significandum librum hunc de Senectute. Facc. — Ad Atticum, XVI, epist. 3: « Quod scribis te magis et magis delectari, O Tite, si quid ego: addis mihi scribendi alacritatem ». Ibid. ep. 11: « O Tite, tibi prodesse lætor ». Antiqui solebant, ut Drakenborchius notat in dictatis ad h. l. laudare libros verbis initialibus. Sic Virgilii Æneida vocarunt: « Arma virumque cano ». Lucretii libros non de Rerum Natura, ut poeta ipse eos inscripsit, sed: « Æneadum genitrix ». Gern.

3. *Adjuero.* Gern. cum Facciolato scribit *adjuro;* quidam codices exhibent *adjuvero.*

4. *Coquit.* I. e. perturbat, conficit, ut Æneid. VII, 345: « Femineæ ardentem curæque iræque coquebant ». Et Ovid. Heroid. XV, 12: « Me calor Ætnæo non minor igne coquit ». Ad quem locum plura exempla J. N. Heinsius. Gern.

5. *Versat.* Ut Liv. I, 17: « Patrum animos certamen regni ac cupido versabat ». Alii Manutii libri *versatur*, alii *vexat*, iidem tamen tuentur « in pectore », quod placet Lambino, Grævio, aliis. Manutius dedit « sub pectore ». Gern.

6. *Ecquid erit pretii?* Gernhardus cum Facc. scribit « Ecquid erit præmi? » notatque: *Præmi*, ut Virgil. Ecl. I, 33, *peculi* pro *peculii.*

Licet enim versibus iisdem mihi affari te, Attice, quibus affatur Flamininum [7]

Ille vir [8], haud magna cum re [9], sed plenu' fidei.

Quamquam certo [10] scio, non, ut Flamininum,

Sollicitari te, Tite, sic noctesque diesque.

Novi enim moderationem [11] animi tui, et æquitatem;

7. *Flamininum*. Hic, ut Flor. II, 7, 10, nonnulli libri Oxx. præbuerunt *Flaminium*, vel *Flamineum*, e qua gente dux ab Hannibale cæsus est ad lacum Trasimenum. *Flamininus*, ut Drakenborchius in dict. ad h. loc. monet, est cognomen familiæ in gente Quintia, e qua ortus est noster. T. Quintius Flamininus provinciam Macedoniam sortitus, Liv. XXXII, 8; Thessaliam ingressus Philippum ad Cynoscephalas, ib. XXXIII, 7 seqq. et Nabidem Lacedæmoniorum tyrannum vicit. Gern.

8. *Ille vir*. Ennius non sane locuples, sed tamen testis et auctor idoneus, qui affatur T. Quintium Flamininum. Vide Columnam ad Ennii Fragm. p. 140. Facc. — Titum significari putat etiam Lambinus, eumdem Wetzelius, quippe cujus animum belli molestiis laboribusque perturbatum poeta lenire et placare voluerit, in primis quum idem illud *Titi* prænomen, quo poeta Flamininum alloquitur, et Attici esset. Titi fratrem, Lucium, Galliæ proconsulem, a Catone notatum (cf. cap. 12), intelligit Manutius, sed vix cuiquam persuadebit. Drakenborchius vero ad h. loc. ego, inquit, sequor aliorum sententiam, qui opinati sunt, Ennium verbis *ille vir* indicasse non Ennium, sed Sextium Ælium Pætum, Flaminini in consulatu collegam, qui Flamininum ad bellum macedon. profecturum et prodigiis, quæ nuntiabantur, perterritum consolatus est, eique animum addidit. Hoc certe probabile est, Ciceronem hæc verba ab Ennio alii cuipiam tributa ad ipsum Ennium transtulisse. Livius, lib. XXXII, 9, rem narrat. Gern.

9. *Haud magna cum re*. *Res* est h. l. res familiaris, ut Terent. Hec. II, 1, 27 et 28. In A. Schol. « sapientia et doctrina » additur. Ennii paupertatem commemorat Cic. cap. 5. Pro *fidei* alii *fide*. Mediam syllabam in *fidei*, vel *fideii*, ut antiqui scripserint hunc et reliquos genitivos quintæ declinationis, produci affirmat C. Langius ex Lucretio, V, 203. Comp. G. Vossius de Arte grammat. II, 3, p. 200. Facciolatus edidit *plenus fidei*, item Ernest. quamquam alibi, ut Tusc. I, 5, scripsit *Sisyphu' versat*, ibid. II, 7, *fluctibu' mandet*, et infra cap. 5, *confectu' quiescit*; nos *plenu' fidei* exemplum Bentleii sequuti, qui in comicis *s* finale in brevi syllaba, sequente tamen consonante, recte abjici monuit de metris Terent. p. 16, et ipsius Ciceronis, Orat. cap. 48, 161. Gern.

10. *Certo*. Aliqui Oxx. cum A. et B. *certe*. At sensus esse debet: sic scio, ut nulla supersit de rei veritate dubitatio. Vide quæ de *certe* et *certo* ad orat. pro Archia, cap. 12 extr. notavit Beckius, qui constanter scribi vult *certo scio*. Gern.

11. *Moderationem... æquitatem*. *Moderationem* in Attico laudat Corn. Nep. cap. 14. *Æquitas animi* autem

teque non cognomen[12] solum Athenis deportasse, sed
humanitatem et prudentiam intelligo. Et tamen suspicor, iisdem rebus te, quibus me ipsum, interdum
gravius commoveri: quarum consolatio et major[13] est,
et in aliud tempus differenda. Nunc autem mihi visum
est de senectute aliquid ad te conscribere. Hoc enim 2
onere, quod mihi tecum commune est, aut jam urgentis, aut certe adventantis[14] senectutis, et te, et me
ipsum levari volo: etsi te quidem id modice[15] ac sapienter (sicut omnia), et ferre, et laturum esse certo
scio. Sed mihi, quum de senectute aliquid vellem
scribere, tu occurrebas[16] dignus eo munere, quo uterque nostrum communiter uteretur. Mihi quidem ita
jucunda hujus libri confectio fuit, ut non modo omnes
absterserit senectutis molestias, sed effecerit mollem
etiam et jucundam senectutem. Numquam igitur satis
laudari digne poterit philosophia, cui qui pareat,
omne tempus ætatis sine molestia[17] possit degere.
Sed de ceteris[18] et diximus multa, et sæpe dicemus: 3

est tranquillitas an. ut Tuscul. I, 40, 97. Gern.

12. *Cognomen*. Cic. de Fin. V, 2. Per viginti autem annos eum Athenis commoratum esse tradit Nepos Att. cap. 4, inde ab anno Urb. C. 667, L. Corn. Cinna et Cn. Octavio coss. usque ad ann. 689, L. Aur. Cotta et L. Manlio Torquato coss. De humanitate Attici, Nep. Att. cap. 17, 3: « Principum philosophorum ita percepta habuit præcepta, ut his ad vitam agendam, non ad ostentationem uteretur ». De ejus prudentia ibid. cap. 6 seq. Gern.

13. *Et major est*. Majoris operæ, quod referri debet ad statum civitatis. Facc. — In A. deest *et*.

14. *Adventantis*. Annum agebat LXIII. Facc. — Atticus LXVI, quum, teste Nepote, cap. 7, ineunte bello Cæsariano annos circiter sexaginta haberet. Gern.

15. *Modice*. Ut Orat. I, 29, 132, *modice et scienter*, h. e. moderate, vel modo et ratione, ut loquutus est Noster p. Quint. cap. 7. *Modeste* jamdudum correxerunt e suis codd. Charisii et Sosipatri auctoritate C. Langius et Grævius. Gern.

16. *Tu occurrebas d.* Schütz. in A. « in mentem veniebas ». Comp. de Div. II, 1, 1. Gern.

17. *Sine molestia*. De re vid. Tusc. II, 4, 11, et Divin. II, 2. Gern.

18. *De ceteris*. Ætatis temporibus et vitæ partibus, quibus medetur philosophia. Facc.

hunc librum de senectute ad te misimus. Omnem autem sermonem tribuimus non Tithono, ut Aristo[19] Chius, ne parum esset auctoritatis in fabula; sed M. Catoni[20] seni, quo majorem auctoritatem haberet oratio; apud quem Lælium et Scipionem[21] facimus admirantes, quod is tam facile senectutem ferat, iisque eum respondentem. Qui si eruditius videbitur disputare, quam consuevit ipse in suis libris[22], attribuito græcis literis[23], quarum constat eum perstudiosum fuisse in senectute. Sed quid opus est[24] plura? jam enim ipsius Catonis sermo explicabit nostram omnem de senectute sententiam.

19. *Aristo.* Philosophus Stoicus dialogum de Senectute scripsit, inducto Tithono, Laomedontis filio, qui Auroræ beneficio multas ætates vixit, ut est in fabulis. Facc.—Aristonis Stoici sententiam vide Acad. II, 42, 130, et Leg. I, 21, 55. Tithoni fabulam ap. Homerum, Hymn. in Vener. vs. 219 seq. Schol. ad Iliad. Λ, 1, et Tzetz. ad Lycophr. vs. 18, quos laudat Heyn. ad Apollod. III, 12, 4. Adde interpretes ad Horat. Carm. II, 16, 30. Grævii liber MS, « ut Aristoteles »; quinque veram lect. tuentur. Gern.—*Aristo Chius.* Fuit is Stoicus: Aristo Ceus vero Peripateticus philosophus. Illum Panætius et Sosicrates ap. Diogenem Laertium nihil præter epistolas scripsisse aiunt, cetera esse Aristonis Cei. Quod tamen negat Cicero, qui non solum ei tribuit hic librum de Senectute, sed et multa alia de Fin. lib. V, cap. 5. Græv.

20. *M. Catoni.* M. Porcius Cato, de quo Livius, lib. XXXIX, cap. 40, cognomento *Censorius* dictus est, modo etiam *Priscus*, modo *Major*, modo *Senior*. Facc. — Quartum annum et octogesimum agebat Cato, tum quum hunc sermonem haberet. Vid. cap. 10, 32. Adde Læl. cap. 1. Gern.

21. *Scipionem.* Africanus Minor, Paulli naturalis, qui a filio Africani Majoris adoptatus fuerat, ut infra cap. 2, a quo Carthago diruta est.

22. *In suis libris.* Origines, de quibus Nep. Cat. cap. 3; ἀποφθέγματα, de Offic. I, 29. Orationes, vide Liv. XXXIX, cap. 40; Brut. cap. 16 et 17; de jure civili, Orat. III, 33; de agricultura, Plutarch. Cat. cap. 25. Gern.

23. *Græcis literis.* Vide cap. 8, 26; 11, 38; Plutarch. Cat. cap. 2. Codd. B. et C. transp. *literis græcis.* Gern.

24. *Quid opus est plura?* Drakenborchius ad h. l. dictavit hæc: « Quidam existimarunt, *opus* ap. antiquos etiam rexisse accusativum. Lucret. V, 230, *opus est crepitacula.* Sed quum hujusmodi archaismi s. obsoletæ locutiones in Cic. ejusque æqualibus non observentur, potius dicendum est, accusativum *plura* pendere ex infinitivo per ellipsin omisso, ut *quid opus est plura?* dictum sit pro: quid opus est addere plura? Ejusmodi ellipses apud Terentium frequentissimæ sunt». Gern.

II. — SCIPIO. Sæpenumero admirari soleo cum hoc 4
C. Lælio, tum ceterarum rerum[1] tuam excellentem, M. Cato, perfectamque sapientiam, tum vel maxime, quod numquam senectutem tibi gravem esse senserim : quæ plerisque senibus sic odiosa est, ut onus se Ætna gravius[2] dicant sustinere. — CATO. Rem haud sane difficilem, Scipio et Læli, admirari videmini. Quibus enim nihil opis est in ipsis[3] ad bene beateque vivendum, iis omnis gravis est ætas; qui autem omnia bona a se ipsis[4] petunt, iis nihil potest malum videri, quod naturæ necessitas afferat. Quo in genere in primis est senectus, quam ut adipiscantur, omnes optant, eamdem accusant adepti[5] : tanta est inconstantia stultitiæ, atque perversitas. Obrēpere, aiunt, eam citius, quam putassent[6]. Primum, quis coegit eos falsum putare? qui enim citius[7] adolescentiæ senectus, quam pueritiæ adolescentia obrepit[8]? Deinde, qui minus gravis esset iis senectus, si octingentesimum annum agerent, quam octogesimum[9]? præterita enim ætas,

II. 1. *Ceterarum rerum*. Cavere jubet Grævius, ne jungamus « ceterarum rerum sapientiam ». Est, inquit, *ceterarum rerum* locutio imperfecta, quæ significat, quod ad ceteras res attinet, ut in Bruto, cap. 8 : « Tum ille ceterarum rerum causa » (quam vocem Grævius neglexit) « istuc et doleo et dolendum puto ». GERN.

2. *Ætna gravius*. Siciliæ monte, quo premuntur gigantes, ut est in fabulis. FACC. — Enceladum Ætnæ onere premi fingit Virgil. Æneid. III, 578 seq. Typhoeum Pindar. Pyth. 1, 11; Briareum Callim. in Del. 143. Nostri loci sententiam vide apud Euripidem, Herc. Fur. vs. 637. GERN.

3. *Nihil opis est in ipsis*. Nihil virtutis ac sapientiæ. FACC. — Cf. Tusc. V, 14, 42. GERN.

4. *A se ipsis*. Qui non aliunde pendent, nec extrinsecus suspensas habent vivendi rationes. FACC.

5. *Adepti*. Sic Facc. Gern. scribit *adoptam*.

6. *Quam putassent*. Comp. illud Menecratis apud Stobæum, tit. 117 : Γῆρας ἐπὰν μὲν ἀπῇ, πᾶς εὔχεται · ἢν δέ ποτ' ἔλθῃ, Μέμφεται · ἔστι δ' ἀεὶ κρεῖσσον ὀφειλόμενον. GERN.

7. *Qui enim citius*. Gernhard. scribit *quid enim*.

8. *Obrepit*. MS B. *subrepit*. GERN.

9. *Quam octogesimum*. Schützius mavult « quam quum octogesimum ». Nihil favent codd. et edd. vett. qui constanter tenent vulgatam. Equidem, dum non aliunde quidquam opis peti possit, censeo *quam octogesimum* idem esse q. *pro octogesimo*, ut lusus

quamvis longa, quum effluxisset, nulla consolatione permulcere posset stultam senectutem. Quocirca si sapientiam meam admirari soletis (quæ utinam digna esset opinione vestra, nostroque cognomine[10]!) in hoc sumus sapientes, quod naturam optimam[11] ducem, tamquam deum, sequimur, eique paremus: a qua, non verisimile est, quum ceteræ partes ætatis bene descriptæ sint, extremum actum[12], tamquam ab inerti poeta, esse neglectum. Sed tamen necesse fuit esse aliquid extremum, et tamquam in arborum[13] baccis, terræque frugibus, maturitate tempestiva quasi vietum[14], et caducum. Quod ferendum est molliter sapienti. Quid enim est aliud, gigantum modo[15] bellare

quidam verborum servaretur etiam per casus similitudinem, omisso *potius*, quod compensatur per vocem cum vi oppositam *octingentesimum*. Gern.

10. *Nostroque cognomine.* Cato enim dicitur a voce catus, quæ cautum et sapientem significat. Facc. — Conf. Plutarchum de Catone, cap. 1. Sed tamen videtur non Catonis, sed Sapientis cognomen intelligendum esse, quo præ ceteris Catonibus hunc ornatum ab æqualibus esse elucet ex Lælio, cap. 2. De Offic. III, 14, 16; in Cæcil. Divinat. 20, 66. Cognominis enim vocabulum latiore sensu hoc loco adhibetur, ut de Offic. II, 16, 57: «P. Crassus cognomine dives appellatur». Gern.

11. *Naturam optimam ducem.* De Leg. I, 6 extr. de natura: «Ista duce errari nullo pacto potest». Quid verbis «secundum naturam vivere» Stoici significari dixerint, cognosces e Fin. II, 11, 34, et IV, 6, 14; Seneca de Benef. IV, 7. Gern.

12. *Extremum actum.* Est enim hominis vita in partes ætatis tamquam in actus scenicæ poeseos divisa. Facc. — Comp. cap. 18, 64. Gern.

13. *In arborum baccis.* Gernhard. scribit *bacis*, notatque: Una litera *c* scribi *bacæ*, non *baccæ*, in quibusque melioris notæ codicibus testatur Vossius de Grammat. I, 43, pag. 153, et Grævius in suo optimo libro et in aliis: eamque scripturam recentiores editores, ut Wolfius, Tusc. I, 14, et Gœrenz. de Leg. I, 8, et II, 8, tacito retinuerunt.

14. *Vietum.* Donatus ad Terent. Eunuch. IV, 4, 21: «Hic est vetus, vietus, veternosus senex». *Vietus*, inquit, est mollis, flaccidusque et flexibilis corpore; unde et *vimina* et *vimenta* et *vites* et *vietores* dicuntur, et *viere* religare dicitur. Gern.

15. *Modo.* Alii, *more*, quod ne aptum quidem esset, siquidem gigantes semel tantum conati sunt cum diis pugnare; quamquam *modo* pro more legitur Terent. Andr. I, 1, 126. De conjuratis cælum rescindere gigantibus vid. Apollodor. I, 6, 1; Horat. Carm. III, 4, 49-63; Claudian. Gigantomach. Gern.

cum diis, nisi naturæ repugnare? — Lælius. Atqui, 6
Cato, gratissimum nobis, ut etiam pro Scipione pollicear, feceris, si, quoniam speramus, volumus quidem certe senes fieri, ante multo a te didicerimus [16], quibus facillime rationibus ingravescentem ætatem ferre possimus. — Cato. Faciam vero, Læli; præsertim si utrique vestrum, ut dicis, gratum futurum est. — Scipio. Volumus sane [17], nisi molestum est, Cato, tamquam aliquam viam longam confeceris, quam nobis quoque ingrediendum sit, istuc, quo pervenisti, videre, quale sit.

III. — Cato. Faciam, ut potero, Læli. Sæpe enim 7
interfui querelis meorum æqualium (pares autem cum paribus, veteri proverbio, facillime [1] congregantur), quæ C. Salinator [2], quæ Sp. Albinus, homines consu-

16. *Didicerimus*. Verbum anteced. *feceris* exspectare jubebat « si nos docueris ». Illud tamen suadebat modestia et interpositæ enuntiationis conformatio. Placuit igitur, quasi præcessisset « gratissimum nobis fuerit », scribere « si didicerimus ». Simillimam duarum structurarum confusionem notatam vide ad seq. cap. verba « quæ C. Salinator » e Tusc. V, 29, 82. Gern.

17. *Volumus sane*. Hæc verba quæ vulgo Scipioni tribuuntur, Gern. tribuit Lælio, sequutus Facciol. et Gœr. Hoc, inquit, Balduinus in antiquis exemplaribus monet factum esse, ut in edit. Asc. de anno 1520. Lælium alloquutus est Cato verbis proxime antecedentibus. Mox idem, « Faciam, inquit, ut potero, Læli ». Accedit quod Lælius dixerat « ut etiam pro Scipione pollicear ». Decet igitur Lælium, ne temere pollicitus pro Scipione videatur, rogatum mutatis verbis repetere, quum Cato dixisset « si utrique vestrum, ut dicis, etc. » Gern.

III. 1. *Facillime*. Ut ῥᾷστα pro ἥδιστα. Plat. Sympos. cap. 4, 2, σκοπεῖσθε οὖν, τίνι τρόπῳ ἂν ὡς ῥᾷστα πίνοιμεν. Ad q. l. vide Wolfium. Ita notio adverbii facillime a laboris et molestiæ vacuitate eo progreditur, ut sit lubentissime, quin etiam lautissime, ut ap. Plautum, Epidic. II, 2, 59; Terent. Adelph. III, 4, 56. Proverbium ipsum Cicero, ut multa alia, e Platone suo transtulit. Cf. Rep. I, p. 150 ed. Bip. Sympos. cap. 18, ubi vide Wolfium, et in Phædr. cap. 37 edit. Heindorf. Homer. Odyss. Ρ, 218: Ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον. Gern.

2. *Quæ C. Salinator*. Relativum *quæ* refertur non ad voces, sed ad sententiam. Alii leg. *quas*, al. *queis*. Facc. — Ernest. ex *interfui querelis* intelligi vult *audivique*. Schellerum in Observ. p. 238, qui, maximæ interpunctionis signo ante *quæ* posito, *quæ* accipit pro *qualia* vel *quanta*, aut pro *quæ* legi jubet *quam* cum exclamatione, refutavit Wetzelius. Baue-

lares, nostri fere æquales, deplorare solebant : tum quod voluptatibus carerent, sine quibus vitam[3] nullam putarent; tum quod spernerentur ab iis, a quibus essent coli soliti. Qui mihi non id videbantur accusare, quod esset accusandum. Nam si id culpa senectutis accideret, eadem mihi usu evenirent, reliquisque omnibus majoribus natu; quorum ego multorum cognovi senectutem sine querela : qui se et libidinum vinculis laxatos esse non moleste ferrent, nec a suis despicerentur. Sed omnium istiusmodi querelarum in moribus est culpa, non in ætate. Moderati enim, et nec difficiles, nec inhumani senes[4], tolerabilem agunt senectutem : importunitas autem, et inhumanitas omni[5] ætati

rus ad Perizonii not. 4 ad Sanct. Minerv. II, 9, supplet *et* vel *nempe*. Habet hæc structura, ad sensum magis quam ad grammaticam vim verborum « interfui querelis » accommodata, ut multa anacolutha apud Ciceronem et alios scriptores, suam quamdam excusationem quum in parenthesi interposita, quæ inchoatæ enuntiationis formam quodammodo obruit, tum in querelarum enumerandarum ratione, sic mente concepta, quasi scripsisset: « audivi querelas æqualium »; quæ si præcederent, nemo magnopere verba « quæ C. Salin... deplorare solebant », apposita miraretur. Cf. § 6, et Tusc. V, 29, 82, quem locum male tractatum ab Ernest. restituit A. Matthiæ in Spicileg. observatt. de anacoluthis in Cic. pag. 7. C. Livius Salinator consul creatus est cum M. Valer. Messala, a. U. C. 565. Vid. Liv. XXXVIII, 35. Pontifex mortuus est an. U. C. 583. Vid. Liv. lib. XLIII, cap. 11. Gern. — *Sp. Posthumius Albinus*. Is cum Q. Marcio Philippo consul fuit a. U. 567. Augur mortuus a. U. 573. Vid. Liv. XXXIX, 6, et XL, 42. A quo distinguendus Sp. Posthum. Albinus, consul a. 643, quem Cicero commemorat in Brut. cap. 25. Gern.

3. *Vitam nullam*. H. e. nullius momenti, vel insuavem, ut Cicero ipse hanc locutionem interpretatur de Orat. II, 5, 20 : « Omnes hi sumus, ut sine his studiis vitam nullam esse ducamus ». Idem seq. cap. « Quod addidisti tertium, vos eos esse, qui vitam insuavem sine his studiis putaretis, etc. » Hæc Drakenborch. in dictat. Contrario sensu Ennius dixit « vitam vitalem ». Vid. Læl. cap. 6. Gern.

4. *Nec inhumani senes*. Non morosi, non importuni. Facc. — *Difficiles* sunt, qui nihil concedunt gratiæ; *importuni*, qui nullam habent temporis locive rationem : *inhumani* parum reverentur communem humanæ naturæ dignitatem; contra *moderati* non nimium sibi volunt ab aliis tribui. Molestum senem describit Horat. Art. Poet. vs. 173 seq. Gern.

5. *Omni ætati*. Sic Schützius, qui contra alteram lectionem *omni ætate*, monet, h. l. quæri de eo, quod ipsi senectuti molestum sit. Quamquam,

molesta est. — LÆLIUS. Est, ut dicis, Cato: sed fortasse 8
dixerit quispiam, tibi, propter opes, et copias[6], et dignitatem tuam, tolerabiliorem senectutem videri; id autem non posse multis contingere. — CATO. Est istuc 9
quidem, Læli, aliquid; sed nequaquam in isto sunt omnia: ut Themistocles fertur Seriphio cuidam in jurgio respondisse, quum ille dixisset, non eum sua, sed patriæ gloria splendorem assequutum: « Nec hercule, inquit, si ego Seriphius essem, nobilis[7]; nec tu,

quum importunitas non ei, cujus est, sed aliis videri soleat molesta esse, intelligi debet contemptionis et despicientiæ molestia, quam gignit inhumanitas, quippe quum molesta fuerit aliis. Ceterum « inhumanitas omni ætate » pro « inhum. cujuscumque ætatis », durum est et ambiguum. Theodorus, παρὰ πάντα τὸν βίον. GERN.

6. *Propter opes, et copias.* Cf. Plutarch. Cato. M. cap. 21. Ita Cicero poterat, quæ Plato (vid. supra cap. 2 init.) de Cephalo dicit, ad Catonem transferre. GERN.

7. *Nobilis.* Plato l. l. pag. 132, respondisse dicit Themistoclem: Οὔτ' ἂν αὐτὸς, Σερίφιος ὢν, ὀνομαστὸς ἐγένετο, οὔτ' ἐκεῖνος, Ἀθηναῖος. Plutarch. Themistocl. cap. 18: Ἀληθεύων λέγεις, εἶπεν, ἀλλ' οὔτ' ἂν ἐγὼ, Σερίφιος ὢν, ἐγενόμην ἔνδοξος, οὔτε σὺ, Ἀθηναῖος. Ad hunc utrumque locum si videatur Ciceronis locus comparandus esse, apparet, id quod C. Langius voluit, neutrum, neque *nobilis*, neque *ignobilis*, Ciceroni, sed malis interpretibus deberi. Idem Goezius judicat, veretur tamen, ne durior evadat structura. Facilius sane ad *nobilis* intelligitur *fuissem*, quum sequatur *fuisses*, quam, omisso *nobilis*, totum illud: « clarus umquam fuissem ». Nec vero tentari debet vox *nobilis* (sc. genere, h. e. honesto loco natus), quæ cum *clarus* (scilic. factis, quæ, ut generis nobilitas fortunæ debetur, a natura et studio proficiscuntur) conjuncta, vocabulo ὀνομαστὸς inservit accuratius interpretando, ut ad totum hunc locum intelligi debeat: Nunc sum Athenis natus; ita patriæ gloria mihi certe generis splendorem præstat, et præstitisset, si vel nihil laude dignum gessissem. Tu vero, qui naturæ bonis cares et Seriphius es, neque patriæ, quippe ignobili, quidquam splendoris debes, neque ex te nobilitatus es, nec fuisses, etiamsi Athenis ortus esses. Interpretes Bipont. Platonis loco l. his ipsis Ciceronis verbis reddito commate interpungunt post *Seriphius*, ut *essem* cum *nobilis* jungatur, quod durius est. Facciolatus et Goezius cum vett. edd. transp. « nec si tu Atheniensis esses ». Verum acerbius hoc est « nec tu, si Atheniensis esses », lenius alterum « si ego Seriphius essem » pro « ego, si Seriphius essem ». Puteanus, quod in uno vet. cod. Danielis a manu recenti, in altero vero nihil illius loco fuisset, ad Platonis locum accommodatius, omisso *si ego*, restituendum putat « Nec hercle Seriphius essem, nec tu, si Atheniensis, clarus umquam »: cui subscribit Gruter. et favent certe Pal. 2, et Ox. E. in quo *es-*

si Atheniensis esses, clarus umquam fuisses». Quod eodem modo de senectute potest dici. Neque enim in summa inopia levis esse senectus potest, ne sapienti quidem; nec insipienti etiam in summa copia non gravis. Aptissima omnino sunt, Scipio et Læli, arma senectutis, artes, exercitationesque virtutum; quæ in omni ætate cultæ, quum multum diuque vixeris, mirificos efferunt fructus, non solum quia numquam deserunt, ne in extremo quidem tempore ætatis (quamquam id maximum est), verum etiam quia conscientia bene actæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio jucundissima est.

IV. Ego Q. Maximum eum[1], qui Tarentum recepit[2], adolescens ita dilexi senem, ut æqualem. Erat enim in illo viro comitate condita gravitas: nec senectus mores mutaverat. Quamquam eum colere cœpi non admodum grandem natu, sed tamen jam ætate provectum: anno enim post consul[3] primum fuerat,

ses non legitur, ut in illo deest *si ego*. Drakenborchius in dictat. non repugnat utramque vocem delentibus, et e Plin. Histor. Natur. IV, cap. 12, et Pomp. Mel. II, 7, corrigit C. Langium, qui insulam Seriphum in Sporadibus ponit, quæ inter Cycladas refertur. Exiguæ Seriphi ignobilitatem carpit Cicero etiam de Nat. Deor. I, 31, 88. Eo mittebantur Romani exsules. Vid. Juven. Sat. X, 169. Gern.

IV. 1. *Q. Maximum eum.* Q. Fabium Maximum Cunctatorem. Gern.

2. *Tarentum recepit.* Anno U. C. 544, quum esset consul v. Facc. — Proditione esse hanc urbem captam tradit Livius, XXVII, 15, 16. Eodem teste lib. XXX, 26, Fabius a. U. 551 decessit, postquam, ut Valer. Maxim. VIII, 13, 3, et Plin. VII, 48, perhibent, sexaginta tribus annis augur fuerat. Quinque consulatus Wetzelius in altera edit. ut alia ad eos annos retulit, qui sunt in margine editt. Livii sæpe contra Fastos Capit. scripti. Gern.

3. *Anno enim post consul.* Pighius in Annal. defendit vulgatam «anno enim postquam consul primum fuerat, ego natus sum», quæ lectio Catonem duobus annis facit juniorem, natum scilicet anno U. C. 521, quum Fabius primum consul fuisset a. 520 cum M. Pomponio. Sed ex cap. 5, 14, et 10, 32, apparet, Catonem a. 603, quartum et octogesimum annum egisse; ex quo sequitur natum eum esse anno 519, Posthumio et Carvilio coss. unum annum ante Fabii consulatum. Gern.

quam ego natus sum, cumque eo quartum[4] consule adolescentulus miles profectus sum ad Capuam[5], quintoque anno post ad Tarentum quæstor[6]; deinde ædilis, quadriennio post factus sum prætor; quem magistratum gessi consulibus Tuditano et Cethego[7], quum quidem ille admodum senex suasor legis Cinciæ[8] de donis et muneribus fuit. Hic et bella gerebat, ut adolescens, quum plane grandis esset; et Hannibalem juveniliter exsultantem patientia sua molliebat; de quo præclare familiaris[9] noster Ennius:

Unus[10], qui nobis cunctando restituit rem.

4. *Cumque eo quartum consule.* Pighius in Annal. ad a. 549, p. 219, ubi corruptissimum hunc locum emendat, Wetzelio dissentiente, scribit, « cumque eo tertium consule, etc. » M. Claud. Marcellus eodem anno cum Fabio quartum consule tertium consul fuit anno U. 539. GERN.

5. *Ad Capuam.* Id est, ad exercitum, qui erat ad Capuam. Sic infra *ad Tarentum.* GERN.

6. *Quintoque anno post ad Tarentum quæstor.* Hunc locum dissentientem ab aliis historicis Lallem. sic legit e Pighii ad annum 549 emendatione, « quintoque anno post ad Tarentum; quæstor deinde quadriennio post factus sum; quem magistratum, etc. » J. V. L. — Car. Langius egregiam Pighii correctionem prætulit; sequutique sunt recentiores interpretes. Etenim Cato ad Capuam anno U. 539, deinde anno 544, ad Tarentum *miles* fuit, *quæstor* autem non quinto et vigesimo ætatis anno, quo ad Tarentum militans, nullos honores adire poterat, sed anno 549, Tuditano et Cethego coss. in Africa, cf. Brut. cap. 15, 60, nec quatuor annis post ædilitatem, sed ipso sequenti anno *prætor fuit.* GERN.

7. *Coss. Tuditano et Cethego.* Ann. U. C. 549. FACC.

8. *Cinciæ.* A M. Cincio latæ, qua cavebatur, ne quis ob causam orandam munera acciperet. FACC. — Vide Tacit. Annal. XI, 5. Drakenborch. in dictatis ad h. l. annotavit, hanc legem vocatam esse *muneralem* apud Festum in v. *muneralis.* GERN.

9. *Familiaris.* Drakenborchius in dictatis hæc annotat : « Recte Cato Ennium nominat familiarem suum; quum enim quæstor Scipionis Africani Cato ex Africa decederet, per Sardiniam transiens Ennium secum Romam adduxit. Conf. Nepos Cat. 1; et postea prætor factus eumdem Ennium secum iterum in Sardiniam adsumpsit, ubi ab eo literis græcis est institutus, si fides habenda Aurelio Vict. de Vir. illustr. cap. 47». GERN.

10. *Unus qui nobis.* Gernhard. cum Facciol. et Oliv. scribit « unus homo nobis », notatque : Recentiores editt. cum Ursini libris « Unus qui nobis », quæ lectio non Ennio videtur deberi, sed Virgilio, qui, Ennium imitatus, hunc versum ad suum sermonem, interjecto pronomine, accommodavit : Æneid. VI, 846. Cf. quæ notata sunt sup. p. 115.

Non ponebat enim rumores [11] ante salutem.
Ergo postque, magisque viri nunc gloria claret.

11 Tarentum vero qua vigilantia, quo consilio recepit? quum quidem, me audiente, Salinatori [12], qui, amisso oppido [13], fugerat in arcem, glorianti, atque ita dicenti : « Mea opera, Q. Fabi, Tarentum recepisti : » — « Certe, inquit ridens; nam nisi tu amisisses, numquam recepissem ». Nec vero in armis præstantior, quam in toga [14] : qui consul iterum, Sp. Carvilio collega quiescente, C. Flaminio tribuno plebis [15], quoad potuit,

11. *Rumores*. Eorum, qui de ejus cunctatione querebantur, eumque in invidiam adducebant. Facc. — Conf. Liv. XLIV, 22; Plutarch. Fab. Max. cap. 5. Gern.

12. *Salinatori*. C. Livio Salinatori. Facc. — Livius is, qui arci Tarentinæ præfuit, a Polybio, VIII, 19, *Caius*; a Livio, XXVII, 25, et Plutarch. Fab. Max. cap. 23, *Marcus Livius* vocatur, non *Salinatoris*; sed apud Livium l. l. cap. 34, *Macati* cognomine addito. Vid. P. Wesselingii Observatt. II, 5. Errasse igitur videtur Cicero hic, et Orat. II, 67, 273, et qui distinguendi erant, miscuisse Livios. Nam qui a vectigali novo, quod ex salaria annona statuerat, vid. Liv. XXIX, 37, Salinatoris cognomen accepit, is certe Tarentinæ arci per quinquennium præfectus non fuit, sed quum, ex consulatu pópuli judicio damnatus, rure diu habitasset, anno ante, quam Tarentum receptum est, in urbem revocatus et a L. Veturio et P. Licinio censoribus in senatum venire fungique aliis muneribus coactus est, sed tum quoque, sic narrat Liv. XXVII, 34, aut verbo adsentiebatur, aut pedibus in sententiam ibat, donec cognati hominis eum causa, M. Livii Macati, quum fama ejus ageretur, stantem coegit in senatu sententiam dicere. Gern.

13. *Amisso oppido*. Hannibal Tarentum occupavit a. U. 541, præter arcem, quam M. Livius defendit usque ad annum 544. Vide Liv. XXV, 9-10; Plutarch. l. l. cap. 23. Gern.

14. *In toga*. Cf. in Pison. cap. 30, ubi versum « cedant arma togæ » interpretatur. Gern.

15. *C. Flaminio tribuno plebis... dividenti*. Hæc sic effert Charisius Grammat. « C. Carvilio et C. Flaminio tribunis plebis... dividentibus », ut appareat consulem Sp. Carvilium quievisse, ne actionibus scil. consanguinei vel gentilis tribuni et plebis utilitati plebeius ipse adversaretur. At Pighius ad annum 521, e Polybio, II, 21, docuit, unum C. Flaminium tribunum plebis hanc legem agrariam pertulisse. Quamquam Polybius id factum esse tradit M. Lepido consule ann. U. 521, Cicero an. 525, Sp. Carvilio consule. Nec probat Charisii rationem C. Langius, qui laudat Varron. de Re Rust. I, 2 : « Ager Gallicus Romanus vocatur, qui viritim cis Ariminum datus est ultra agrum Picentium ». Expulsi enim inde erant Galli Senones a L. Cornelio ann. U. 516, novem annis ante

restitit, agrum Picentem[16], et Gallicum viritim contra senatus auctoritatem dividenti; augurque[17] quum esset, dicere ausus est, optimis auspiciis[18] ea geri, quæ pro reipublicæ salute gererentur; quæ contra rempublicam ferrentur, contra auspicia ferri[19].

Multa in eo viro præclara cognovi; sed nihil[20] est 12
admirabilius, quam quomodo ille mortem M. filii tulit, clari viri, et consularis. Est in manibus laudatio[21]: quam quum legimus, quem philosophum non contemnimus[22]? Nec vero ille in luce[23] modo, atque in oculis civium magnus; sed intus domique præstantior. Qui sermo? quæ præcepta? quanta notitia antiquitatis? quæ scientia juris augurii[24]? multæ etiam, ut in

Fabium cons. Eamdem legem agrariam, invito senatu, latam Cicero commemorat Academ. II, 5, 13, et Brut. cap. 14. GERN.

16. *Picentem*. Gern. scribit cum Facc. *Picenum*.

17. *Augurque*, etc. Augur minime superstitiosus de avium volatu non valde laborabat, sed ea optimis auspiciis fieri dicebat, quæ essent reipublicæ salutaria. FACC.

18. *Optimis auspiciis*. Ursinus Homericum illud Iliad. M, 243, meminit: Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. GERN.

19. *Ferrentur... ferri*. *Ferre* pro decernere leg. pro Sulla, cap. 22, 63, «Nihil de judicio ferebat». Ad Attic. VII, 6. GERN.

20. *Sed nihil*, etc. De ejus constantia in morte filii vide Tusc. III, c. 28. FACC. — Manutius duriorem dicit esse constructionem «nihil admirabilius, quam quomodo». Sed cf. de Orat. II, 38. Ibid. III, 16. GERN.

21. *Laudatio*. Patris oratio de morte filii, quam se legisse Plutarchus scribit. Porro filium non Marcum, sed Quintum critici faciunt. Mortem Quinti filii, quem Livius, XXIV, 43, tradit ann. U. 540 cum Ti. Sempronio Graccho II cos. patri successisse, Plutarcho teste Fab. cap. 24 extr. ὡς ἀνήρ τε φρόνιμος καὶ πατὴρ χρηστὸς, ἤνεγκε μετριώτατα. Patris filio funebrem orationem habentis exemplum Drakenborchius in dictat. adfert e Suetonio, Claud. cap. 1. GERN. — Queritur Cicero in Bruto istiusmodi laudationibus historiam rerum romanarum esse factam mendosiorem; «multa enim, inquit, scripta in iis sunt, quæ facta non sunt, falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa, et a plebe transitiones, quum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunderentur genus». LANG.

22. *Contemnimus*. Plutarchus l. l. cap. 1 de Fabii eloquentia. GERN.

23. *In luce*. Hoc est, in maxima celebratione, ut de Offic. III, 1, 3. Cf. ad Quint. Fr. I, 1, 2. GERN.

24. *Juris augurii*. Al. *juris auguralis*. FACC.

homine romano[25], literæ. Omnia memoria tenebat, non domestica solum, sed etiam externa bella : cujus sermone ita tum cupide fruebar, quasi jam divinarem id, quod evenit, illo exstincto, fore, unde discerem, neminem.

13 V. Quorsum igitur hæc tam multa[1] de Maximo? quia profecto videtis, nefas esse dictu, miseram fuisse talem senectutem. Nec tamen omnes possunt esse Scipiones[2], aut Maximi, ut urbium expugnationes, ut pedestres[3] navalesve pugnas, ut bella a se gesta, triumphosque[4] recordentur. Est etiam quiete, et pure, et eleganter[5] actæ ætatis placida ac lenis senectus : qualem accepimus Platonis, qui uno et[6] octogesimo anno scribens[7] mortuus est; qualem Isocratis, qui

25. *Ut in homine romano*. Græcis enim literarum laudem Romani concedebant. Facc.

V. 1. *Hæc tam multa*. V. *hæc*, quam Facc. deleverat, uncis includit Gern.

2. *Scipiones*. Scipionem Africanum Maj. intelligit, cujus quæstor Cato fuerat, quem admirabatur. Vid. c. 6, 19, 17, 61. Gern.

3. *Pedestres*. Pro terrestres, ut Drakenborch. monet in dictat. ad h. l. præeunte Gronovio ad Liv. XXXVII, 53. Gern.

4. *Triumphosque recordentur*. Gern. scribit : « ut triumphos recordentur ».

5. *Eleganter*. Wetzelius interpretatur innocenter. At quum *pura* vita sit sceleris expers, « elegantia vitæ » est in servandis decori officiis, in qua nihil est quod offendat, multa autem, quæ optimo cuique comprobentur. Ita pro Sulla, c. 28, summa *elegantia* cum *integritate*, et Ep. ad Famil. III, 8, *elegantius* et *justius* junguntur. Gern.

6. *Uno et octoges*. Hoc Hermippus testatur apud Diog. Laert. III, 2. Lucianus in Longæv. et Senec. Ep. 58, qui Apollodori Χρονικοῖς utebantur. Athenæus, V, 13; Val. Max. VIII, 7, et Suidas duos et octoginta annos Platoni tribuunt : Neanthes ap. Laert. III, 3, quatuor et octoginta. Omnis hæc discrepantia est de anno natali. Hoc certum est, Platonem decessisse Olymp. CVIII, 1. Athenæus l. l. Plutarch. de X rhetor. c. 8; Dionys. Halic. ep. ad Ammæum et Laert. Platonem docent natum esse sex annis post Isocratem. Atqui Isocrates natus est Olymp. LXXXVI, 1. Ita intelligitur, natum Platonem esse Olymp. LXXXVII, 3, a. Chr. n. 425. Eodem redit Corsini computatio in Dissertat. de natali die Platonis, ejus ætate et in Italiam itineribus in Gori Symbolis liter. t. VI. Quare ad unum et octoginta ætatis pervenisse annos videbitur. Gern.

7. *Scribens*. Hermippus apud Laert. l. l. Platonem tradit in nuptiali convivio mortuum esse. Valer. Max. VIII, 7, 3, teste « decedens sub capite So-

eum librum, qui Panathenaicus[8] inscribitur, quarto
et nonagesimo anno scripsisse se dicit, vixitque quin-
quennium postea: cujus magister Leontinus[9] Gorgias
centum et septem[10] complevit annos; neque umquam
in suo studio, atque opere cessavit. Qui, quum ex eo
quæreretur, cur tam diu vellet esse in vita: « Nihil ha-
beo, inquit, quod incusem senectutem ». Præclarum
responsum[11], et docto homine dignum. Sua enim vitia 14
insipientes, et suam culpam, in senectutem conferunt:
quod non faciebat is, cujus modo mentionem feci,
Ennius,

> Sicut fortis[12] equus, spatio qui sæpe supremo[13]
> Vicit Olympia[14], nunc senio confectu' quiescit.

phronis mimos habuisse fertur »; cf. Quintil. Instit. Orat. I, 10, 17, et Olympiod. in vita Platonis, quos laudat Wetzel. Gern.

8. *Panathenaicus*. Drakenborch. in dictat. hæc monet: Hoc nomine Isocrates orationem suam inscripsit, vel quia eam recitavit publice festo Minervæ Panathenaico, vel quia oratio hæc continuit omnes laudes Atheniensium, qui erant in tutela Minervæ. Theodorus vertens τὸν πανηγυρικὸν legit *Panegyricus*, quod est in uno codice Balduini. Cf. Val. Max. VIII, 7, 9. Gern.

9. *Leontinus Gorgias*. Senem Gorgiam Isocrates adolescens audiverat in Thessalia. Vid. Orat. c. 53, 176; de Fin. II, 1. Gern.

10. *Centum et septem*. Al. augent hunc numerum, sed parum refert. Facc. — Cum Cicerone consentit Valer. Max. VIII, 13, 2, qui tradit, Gorgiam ea, quæ Cicero narrat, interrogatum respondisse, quum centesimum et septimum annum ageret. Quidni igitur potuit ad centesimum octavum annum pervenire, ut Plinius testatur, Hist. Nat. VII, 49, § 3? Wetzelius errat, quum hæc dicit: Plinius, XXXIII, 4, centum et novem eum complevisse tradit. Novem annos ad centesimum addit Apollodorus ἐν Χρονικοῖς apud Diog. Laert. VIII, p. 228, ed. Menag. totidem Quintilianus, III, 1; Philostr. de vit. Soph. I, 9, et Lucian. Macrob. 23 octo; Pausanias, lib. VI, pag. 376 edit. Sylb. quinque. Gern.

11. *Præclarum responsum*. Alia resp. de eadem re vide ap. Athenæum, XII, 26. Gern.

12. *Sicut fortis*, etc. Vide Columna. ad Ennii Fragm. p. 126. Facc. — Comp. Sophocl. Electr. v. 25, de pædagogo. Gern.

13. *Spatio ... supremo*. H. e. septimo cursu, ut *spatio extremo* Virg. Æn. V, 327. Gern.

14. *Vicit Olympia*. Victor fuit in ludis Olympicis, quemadmodum apud Horatium, lib. I, epist. I, v. 50, leg. « coronari Olympia », hoc est, in Olympiis. Facc. — Ad græcam stru-

Equi fortis et victoris senectuti comparat suam: quam quidem probe meminisse potestis. Anno enim undevicesimo post ejus mortem, hi consules, T. Flamininus [15] et M'. Acilius facti sunt; ille autem Cæpione, et Philippo iterum [16], consulibus, mortuus est: quum ego quidem, V et LX annos natus, legem Voconiam [17] voce magna et bonis lateribus suasissem. Annos LXX natus (tot enim vixit Ennius) ita ferebat duo, quæ maxima putantur onera, paupertatem [18] et senectutem, ut eis pæne delectari videretur.

15 Etenim, quum contemplor [19] animo, reperio quatuor causas, cur senectus misera videatur: unam, quod avocet a rebus gerendis; alteram, quod corpus faciat infirmius; tertiam, quod privet omnibus fere voluptatibus; quartam, quod haud procul absit a morte.

cturam. Pind. Olymp. 14, 42, νικῶν δρόμον. Gern.

15. *T. Flamininus.* Quem hoc etiam loco sex Oxx. male scribunt *Flaminius*, consul fuit an. Urb. 603, cum M'. Acilio Balbo secundum Fastos Capitol. Lambinus cognomen fingit *Glabrionis*. Gern.

16. *Cæpione, et Philippo iterum, consulibus.* Iterum fuit consul Q. Marcius Philippus teste Livio, XLIII, 11, an. Urb. 584. Interpungendum est cum Ern. post *iterum;* tum recte ad utrumque refertur *consulibus*, pro quo Manut. e septem codicibus et Grævius e Pith. receperunt *consule.* Ceterum ne quis offendatur, quod Cic. in Brut. c. 30, Ennium mortuum esse dicit Q. Marcio, Cn. Servio coss. qui quidem fuerunt eodem anno consules, quo illi designati sunt. Natum eum esse an. Urb. 514, C. Mamilio Turino, Q. Valerio Faltone coss. tradit Gellius, VII, 13, et anno post C. Clodii et M. Tuditani consulatum Cic. Tuscul. Quæst. I, 1, et Brut. 18, 72. Gern.

17. *Voconiam.* Quam tulit Q. Voconius de coercendis mulierum hæreditatibus anno Urb. 581. Facc. — Orationem, qua suasit legem, Livius commemorat Epit. XLI, et Gellius, VII, 13. Laterum firmitatem, qua dicenti vox suppetit, in Catone laudat Valer. Max. VIII, 7, 1. Gern.

18. *Paupertatem.* Drakenborch. in dictat. laudat Hieronymum in Chron. Euseb. 142, qui tradit, Ennium in monte Aventino habitasse, et pauperem podagrumque unius ancillæ ministerio contentum fuisse. Gern.

19. *Contemplor.* Facc. cum aliis *complector. Contemplari*, Festo interprete, proprie augurum de cælo servantium, ad mentis aciem translatum, vel *animo* addito, ut pro Dejot. 14, 40, vel simpliciter dictum legitur Tusc. I, 50. *Contemplando* fit, ut varia animo reperiamus; reperta « animo complectimur ». Gern.

Earum, si placet, causarum quanta, quamque sit justa unaquæque [20], videamus.

VI. A rebus gerendis senectus abstrahit? Quibus? an iis, quæ geruntur juventute [1], et viribus? Nullæne igitur res sunt seniles, quæ, vel infirmis corporibus, animo tamen administrentur? Nihil ergo agebat Q. Maxi- 16
mus [2]? nihil L. Paullus [3], pater tuus, Scipio, socer optimi viri, filii mei [4]? ceteri senes, Fabricii [5], Curii [6], Coruncanii [7], quum rempublicam consilio et auctoritate defendebant, nihil agebant? Ad App. [8] Claudii senectutem accedebat etiam, ut cæcus esset: et tamen is, quum sententia senatus inclinaret ad pacem, et fœdus faciendum cum Pyrrho, non dubitavit dicere illa, quæ versibus persequutus est Ennius:

> Quo vobis mentes, rectæ quæ stare solebant,
> Antehac, dementes [9] sese flexere?

20. *Quanta, quamque sit justa unaquæque.* Al. « quantum quæque vellet, etc. » quæ est explicatio vocis *quanta*, in contextum orationis temere inducta. Facc. — De prima causa Cato disserit c. 6; de secunda, c. 7—9; de tertia, c. 10—18; de quarta, c. 19 et seqq. Gern.

VI. 1. *Quæ geruntur juventute.* Sic Schützius: at Gern. cum Oliv. « quæ in juventute geruntur ».

2. *Q. Maximus.* De quo vid. c. 4 et 5. Gern.

3. *L. Paullus.* L. Æmilius Paullus Macedonicus consul II, an. Urb. 585, de Macedonia triumphavit. Vid. Liv. XLIV, 17 seqq. Cic. de Offic. II, 22. Idem Censor an. Urb. 589, diem obiit an. Urb. 593. Gern.

4. *Filii mei.* Cf. c. 19, 68, et 23, 85: prætor design. mortuus est an. Urb. 601. Vid. Plutarch. Cato M. c. 48. Gern.

5. *Fabricii.* C. Luscinius Fabricius an. Urb. 473, ad Pyrrhum missus; v. c. 13 de Offic. III, 14, 16, 22, 86, bis consul fuit et censor. Gern.

6. *Curii.* M'. Curius Dentatus consul an. Urb. 463; vid. c. 16, 55; Brut. c. 14. Gern.

7. *Coruncanii.* Ti. Coruncanius, homo novus, primus fuit pontifex M. vid. c. 9, 27; Orat. III, 33, 134. Consul an. Urb. 473. Gern.

8. *Appii Claudii.* Appius Claudius Crassus postea Cæci cognomen habuit; a quo facta est via Appia, quæ nomen ejus tulit. Cf. Liv. IX, 29. Hunc Cic. Tusc. V, 38, 112, ait in illo suo casu nec privato, nec publico muneri defuisse. Cf. infra c. 11, 37, et Liv. Epit. l. XIII. Gern.

9. *Dementes*, etc. Al. « dementi sese flexere ruina ». Vide Columnam ad Ennii Fragm. 59. Facc. — Cf. Horat. Carm. I, 37, 7.

ceteraque gravissime; notum enim vobis carmen est: et tamen ipsius[10] Appii exstat oratio[11]. Atque hanc ille egit[12] septem et decem annos post alterum consulatum, quum inter duos consulatus anni decem interfluxissent[13], censorque ante consulatum superiorem[14] fuisset. Ex quo intelligitur, Pyrrhi bello grandem[15]
17 sane fuisse : et tamen sic a patribus accepimus. Nihil igitur afferunt, qui in re gerenda versari senectutem negant, similesque sunt iis[16], qui gubernatorem in navigando agere nihil dicant, quum alii malos scandant, alii per foros cursent, alii sentinam exhauriant; ille autem clavum tenens sedeat in puppi quietus. Non faciat[17] ea, quæ juvenes. At vero multo majora, et

10. *Et tamen ipsius.* Facc. legebat *tum ipsius*, ut habent tres Manut. et unus Ursini. Reliqui recte *et tamen*, ut paullo post et c. 10, 31, hoc sensu : Etiamsi ignotum vobis Ennii carmen esset, tamen ex ipsius App. oratione, quæ exstat, liceret cognoscere. Gern.

11. *Exstat oratio.* Cf. Brut. c. 16. Græce ipsam orationem reddidit Plutarch. Pyrrh. c. 19. Gern.

12. *Hanc ille egit.* Gern. scribit *hæc ille egit.* Erasmus, novum est, inquit, « egit orationem » pro « habuit orat. » *Agere* h. l. dixisse Cic. videri potest pro *habere*, ut oculorum, vocis, gestus vigorem significaret, qui Appium senem non defecisset, eodem jure, quo Orat. III, 56, 214 : « Quæ sic ab illo acta (recitata) esse constabat, oculis, voce, gestu, inimici ut lacrimas tenere non possent ».

13. *Interfluxissent.* Gern. scribit *interfuissent*, quia *interfluere* nusquam alibi apud nostrum legitur, Schützio tamen verum videtur, et codd. tuentur.

14. *Consulatum superiorem.* Superior consulatus est tempore prior, quam alter consulatus, ut Catil. I, 6, 14 : « Quum morte superioris uxoris novis nuptiis domum vacuefecisses ». Censor fuit an. Urb. 441. Vid. Liv. IX, 29. Consul. an. Urb. 446, secundum fastos Capitol. cum L. Volumnio. Vid. ibid. 42 : cum eodem collega iterum an. Urb. 457, ut extremi etiam anni comprehendantur, et is, quo consul Appius iterum fuit, et is, quo pacem dissuasit an. Urb. 473, si septem et decem habere velis annos.

15. *Grandem.* I. q. c. 4, « grandem natu », nimirum ætatis anno fere septuagesimo, si anno quadragesimo tertio primum consul fuit. Gern.

16. *Similesque sunt iis, qui.* Gern. « similesque sunt, ut si qui ».

17. *Sedeat in puppi quietus. Non faciat.* Sic Gern. nisi quod scribit : *non facit.* Qui observat : Recte ante *Non* plene interpungunt, quum sequentia verba non sint calumniantium; sed Catonis de gubernatore illud quidem concedentis, eum non facere ea, quæ juvenes. Hæc si adversarii verbis « sedeat quietus » ad-

meliora facit. Non viribus, aut velocitatibus[18], aut celeritate corporum res magnæ geruntur; sed consilio, auctoritate, sententia[19]: quibus non modo non orbari, sed etiam augeri senectus solet. Nisi forte ego 18
vobis, qui et miles, et tribunus, et legatus, et consul versatus sum in vario genere bellorum, cessare nunc videor, quum bella non gero. At senatui, quæ sunt gerenda, præscribo, et quomodo: Carthagini[20], male jam diu cogitanti, bellum multo ante denuntio[21]; de qua vereri non ante desinam, quam illam excisam esse cognovero. Quam palmam utinam dii immortales 19
tibi, Scipio, reservent, ut avi reliquias[22] persequare! cujus a morte hic tertius et tricesimus[23] est annus;

junguntur, inepta sunt, et per *nec* jungenda, quod invitis codd. fecit Ernestius, non item Schützius. — Nobis errare videtur Gern. qui putat vv. *non faciat*, vel *non facit* ad gubernatorem pertinere: porro, ni fallimur, Cato relicta comparatione ad senectutem redit, in principio phrasis appellatam.

18. *Velocitatibus. Velocitates* non magis offendere debent, quam *fortitudines* Offic. I, 22 extr. aut *tarditates* et *celeritates* ibid. c. 36. In C. et quinque Ald. est *corporis*. At recte opponit corpora, sc. juvenum militantium, uni, sc. qui imperat. Quod autem Tusc. IV, 13, 31, ait: « Velocitas autem corporis, celeritas appellatur »; alterum de ingenio vult adhiberi. *Velocitates* cernuntur h. l. in cursibus; *celeritas* est agilitas. Itaque Paullus Manut. non debebat suspicari, « aut velocitatibus » abundare. Gern.

19. *Sententia*. Al. *scientia*: quæ lectio non caret ratione. Facc. — Pal. 2 lectio *scientia* non est audienda. *Sententia* est ejus, qui, quid fieri oporteat, aperte dicit. De toto h. l. comp. Offic. I, 22 et 23. Gern.

20. *Carthagini*, etc. Perpetuus Carthaginis diruendæ auctor dicitur a Paterculo in lib. II, c. 13. Deleta est triennio post mortem ejus ab hoc Scipione, qui et ipse propterea Africanus dictus est. Livius, lib. XLIV, c. 44. Facc. — Veram belli redintegrandi causam aperit Plutarch. Cat. M. c. 26. Gern.

21. *Denuntio*. Cf. Flor. II, 15, 4: Cato inexpiabili odio Carthaginem delendam esse et, quum de alio consuleretur, pronuntiabat; et Liv. Epit. XLIX, nimirum quum post bellum Punicum secundum in Africam profectus vidisset, Carthaginienses iterum viribus augeri. Plut. l. l. c. 27. Gern.

22. *Avi reliquias*. A Scipionis Afric. filio adoptatus. Vid. Liv. XLIV, 44; Offic. I, 53, 121; Plut. Cato M. 15 extr. Pacis conditiones, quibus Carthaginem incolumem reliquerat, vid. ap. Liv. XXX, 37. Gern.

23. *Tertius et tricesimus*. Gern. scribit « quintus et tricesimus ». — Manutius invitis suis codd. « sextus hic

sed memoriam illius viri excipient omnes anni consequentes. Anno ante me censorem mortuus est, novem annis[24] post meum consulatum, quum consul iterum me consule creatus esset. Num igitur, si ad centesimum annum vixisset, senectutis eum suæ pœniteret? Nec enim excursione, nec saltu, nec eminus hastis, aut cominus gladiis uteretur; sed consilio, ratione, sententia. Quæ nisi essent in senibus, non summum
20 consilium majores nostri appellassent senatum. Apud Lacedæmonios quidem ii, qui amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam nominantur senes. Quod si legere, aut audire voletis externa, maximas respublicas ab adolescentibus labefactas, a senibus sustentatas et restitutas reperietis.

Cedo, qui vestram rempublicam tantam amisistis tam cito?

sic enim percontantur, ut est in Nævii poetæ[25] Ludo. Respondentur et alia, et hæc in primis :

Proveniebant oratores[26] novi, stulti, adolescentuli.

Temeritas est videlicet florentis ætatis, prudentia senescentis.

21 VII. At memoria minuitur[1]. Credo, nisi eam exer-

et trigesimus» Pighius in Fastis anno Urb. C. 568, rectius scribi existimat « quartus et tricesimus ». Schützio nobiscum sentienti non paruit typographus. Gran.

24. *Novem annis*. Gern. dat *decem annis*, quod, inquit, recepit Wetzelius, chronologia postulante. Cato enim consul fuit cum L. Valerio Flacco secundum tab. Capit. an. Urb. C. 558. Sequenti anno 559, consul iterum fuit Scipio Afric. cum Ti. Sempronio Longo. Vide Livium, lib. XXXIV, cap. 42.

25. *Nævii poetæ Ludo*. Nævii ἐρωτοπαιγνίων libros, quos Gellius et Charisius advocant, intelligit, opinor. Langius.

26. *Proveniebant oratores novi, stulti, adolescentuli*. Gern. scribit « provehebantur ad res novi, stulti adolescentuli ». *Provehi*, inquit, significat ferocitatem adolescentulorum, ut *res* respondeat *reip*. *Novi* autem sunt ignobiles et *adolescentuli* substantivi vim, ut par erat, retinet.

VII. 1. *At memoria minuitur*. Noster *Montaigne*, *Essais*, III, dixit : « La vieillesse attache plus de rides à l'esprit qu'au visage ».

ceas, aut si sis natura tardior. Themistocles[2] omnium civium nomina perceperat: num igitur censetis eum, quum ætate processisset, qui Aristides esset, Lysimachum salutare solitum? Equidem non modo eos novi, qui sunt, sed eorum patres etiam, et avos. Nec sepulcra legens[3] vereor, quod aiunt, ne memoriam perdam: his enim ipsis legendis redeo in memoriam mortuorum. Nec vero quemquam senum audivi oblitum[4], quo loco thesaurum obruisset. Omnia, quæ curant, meminerunt; vadimonia constituta[5], qui sibi, quibus ipsi debeant. Quid jurisconsulti? quid ponti- 22
fices? quid augures? quid philosophi senes? quam multa meminerunt? Manent ingenia senibus, modo permaneat studium et industria: nec ea solum in claris et honoratis viris[6], sed in vita etiam privata et quieta. Sophocles ad summam senectutem[7] tragœdias fecit; quod propter studium quum rem familiarem

2. *Themistocles.* De præstanti hujus viri memoria vide Acad. II, 1; Valer. Max. VIII, 7, 15. Gern.

3. *Sepulcra legens.* Nomina legens sepulcris inscripta, ad conficiendas Origines, de quibus in cap. 2. Facc. —Erasmus ad h. l. ait: «Vulgo putabatur officere memoriæ, si quis legeret inscriptiones sepulcrorum». Eodem pertinere videtur vetus proverbium, quod Cicero adhibet de Fin. V, 1, 3: «sed veteris proverbii admonitu, vivorum memini». Nescio an huc pertineat Plaut. Trucul. I, 2, 62: «Dum vivit, hominem noveris; ubi mortuus est, quiescas». Gern.

4. *Oblitum... obruisset. Montaigne, Essais*, II, 17: «Il m'est advenu plus d'une fois d'oublier où j'avais caché ma bourse, quoiqu'en die Cicéro».

5. *Vadimonia constituta.* Ut *dies* vel *actio constituta* pro Cæc. 11, 32. Qui certo die, quo se dixerat adfuturum, in judicio non aderat (vadimonium deseruerat), causam perdebat; vid. pro Quint. cap. 18. Horat. Sat. I, 9, 36: «Casu tunc respondere vadatus Debebat; quod ni fecisset, perdere litem»; vid. Varro L. L. VIII, 59, et Gronov. Observ. I, 1, quos laud. Drakenb. in dictat. Gern.

6. *Honoratis viris.* Qui honoribus funguntur et magistratus gerunt. Facc. —Cf. Brut. 81, 281; Velleius Paterc. II, 88. Gern.

7. *Ad summam senectutem.* Sophocles secundum Saxium, Onomast. I, pag. 41, vixit annos nonaginta duo (ap. Valerium Max. VIII, 12, «prope centesimum annum attigit») inde ab Olymp. LXX, 3, usque ad Olymp. XCIII, 3 sq. 406, a. Chr. n. Lucian. Macrob. 24, Sophoclem quinque et nonaginta annos vixisse dicit. Gern.

negligere videretur, a filiis in judicium vocatus est, ut, quemadmodum nostro more[8] male rem gerentibus patribus[9] bonis interdici solet, sic illum, quasi desipientem, a re familiari removerent judices. Tum senex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat, et proxime scripserat, Œdipum Coloneum[10] recitasse judicibus, quæsisseque, num illud carmen desipientis videretur. Quo recitato, sententiis judicum
23 est liberatus. Num igitur hunc, num Homerum, num Hesiodum[11], num Simonidem[12], num Stesichorum[13], num, quos ante dixi, Isocratem, Gorgiam, num philosophorum principes, Pythagoram[14], Democritum[15], num Platonem, num Xenocratem[16], num postea Zenonem[17], Cleanthem[18], aut eum, quem vos etiam Romæ vidistis, Diogenem[19] stoicum, coegit in suis studiis

8. *Nostro more*. Vide ad Herenn. I, 13, 23; Tuscul. III, 5, 11. Gern.

9. *Rem gerentibus patribus*. Facciol. omittit *patribus*.

10. *Œdipum Coloneum*. Οἰδίπους ἐπὶ Κολωνῷ inscriptam fabulam, quæ mortem in eo loco, qui prope Athenas Colonos appellatur, Œdipi celebrat, ut Sophocles sub ipsum transitum ad mortem scripsit (vid. Valer. Max. VIII, 7, 12), sic quum per eam e certamine evasisset, eodem Valerio teste, IX, 5, præ gaudio mortuus est. Gern.

11. *Num Homerum, num Hesiodum*. Utrumque ad summam senectutem pervenisse tradunt. Hesiodi senecta (vid. Erasm. in Adag.) in proverbium abiit. Gern.

12. *Simonidem*. Cœus poeta et philosophus (Cic. de Nat. Deor. I, 22), natus Olymp. lv, 2, annos octoginta novem perfectos vixit; vid. Suid. et Valer. Max. VIII, 7, 12; Bentl. Opuscul. philol. pag. 171. Gern.

13. *Stesichorum*. Himerensem Suidas tradit, Stesichorum natum Olymp. xxxvii, obiisse Olymp. lvi, octogenarium. Lucianus, Macrob. 26, eum facit quinquennio majorem. Vid. Bentl. l. l. pag. 168 sq. Gern.

14. *Pythagoram*. Natus, ut Bentl. docet l. l. pag. 177, Olymp. xliii, 4, defunctus est anno ætatis nono et nonagesimo; vid. Bentleius, ibid. p. 192. Gern.

15. *Democritum*. Cf. Diog. Laert. IX, pag. 247 ed. Aldobr. Gern.

16. *Xenocratem*. Luciano teste vixit quatuor et octoginta annos. Cf. Diogen. Laert. IV, pag. 99. Gern.

17. *Zenonem*. Cf. Diogen. Laert. VII, pag. 171; item Lucian. l. l. Gern.

18. *Cleanthem*. Zenonis auditorem Lucianus et Valer. Max. VIII, 7, 10, dicunt novem et nonaginta annos complevisse. Diogen. Laert. VII, pag. 206, octoginta. Gern.

19. *Diogenem stoicum*. Olivet. scri-

obmutescere senectus? an non in omnibus iis studiorum agitatio vitæ æqualis[20] fuit? Age, ut ista divina 24
studia omittamus, possum nominare ex agro[21] Sabino rusticos Romanos[22], vicinos et familiares meos, quibus absentibus[23], numquam fere ulla in agro majora opera fiunt, non serendis, non percipiendis, non condendis fructibus. Quamquam in illis minus hoc mirum: nemo enim est tam senex, qui se annum non putet posse vivere; sed iidem elaborant in eis, quæ sciunt nihil omnino ad se pertinere[24]:

Serit[25] arbores, quæ alteri sæculo prosint,

ut ait Statius[26] noster in Synephebis. Nec vero dubi- 25
tet agricola, quamvis senex, quærenti, cui serat, respondere: Diis immortalibus, qui me non accipere modo hæc a majoribus voluerunt, sed etiam posteris prodere.

bit *Dionem.* — *Diogenem.* Diogen. Seleuciensis ad Tigrim, qui cum Carneade Academico et Critolao Peripat. an. Urb. 598 Romam venit legatus Atheniensis, annos octoginta octo vixit, auctore Luciano l. l. Gern.

20. *Vitæ æqualis fuit.* Int. eadem ætate desierunt studere, qua vivere.

21. *Ex agro Sabino.* Ubi Cato villam habebat; vid. cap. 14, 46, et Cornel. Nep. in vit. Cat. cap. 1. Gern.

22. *Rusticos Romanos.* Cf. Varro, R. R. II, procem. Cic. epist. ad Ter. XVI, 21; pro Sext. 45, 97.—*Rusticos Romanos.* Olim proceres Romani in agris morabantur, et ubi consilium publicum desiderabatur, e villis arcessebantur in senatum: unde qui eos evocabant, plebeii *viatores* nominati. Inde honestum nomen plebeii ordinis *rustici Romani.* J. F. Gronovius, de Sestert. IV, 9, ubi vide plura.

23. *Quibus absentibus.* Si minus, ut L. Quintius, c. 16, et Curius, ipsi arant, non tamen, nisi se præsentibus, a servis majora certe opera fieri volunt, quorum quidem cura plus habet et delectationis, et utilitatis. Gern.

24. *Nihil ad se pertinere.* Cf. c. 23, 82, et Tuscul. I, 14, 31, ubi eumdem Statii locum adhibet, comp. Virg. Eclog. IX, 50 Gern.

25. *Serit arbores:* Sic noster *Lafontaine*: « Mes arrière-neveux me devront cet ombrage; Eh bien, défendez-vous au sage De se donner des soins pour le plaisir d'autrui? Cela même est un fruit que je goûte aujourd'hui ».

26. *Statius.* Statius Cæcilius, poeta comicus, cui palmam dat Volcatius Sedigitus apud Gellium, N. A. XV, 24. Ut Menandri fabulam Plocium verterat; vid. Gell. II, 23, III, 16: sic etiam Συνεφήβους videtur e græcis latine reddidisse. Ex Hieronymo in Chron. apud Euseb. pag. 145, Drakenborchius in dictat. ad h. l. docet eum mortuum esse anno post Ennium.

VIII. Melius Cæcilius de sene alteri sæculo prospiciente, quam illud [1] idem :

Ædepol, senectus, si nihil quidquam aliud vitii
Apportes tecum, quum advenis; unum id sat est,
Quod diu vivendo, multa, quæ non vult, videt.

Et multa fortasse, quæ vult; atque in ea quidem, quæ non vult, sæpe etiam adolescentia incurrit. Illud vero idem Cæcilius vitiosius :

Tum equidem [2] in senecta hoc deputo miserrimum,
Sentire, ea ætate esse se odiosum alteri.

26 Jucundum potius, quam odiosum. Ut enim adolescentibus bona indole præditis sapientes senes delectantur, leviorque fit eorum senectus, qui a juventute coluntur [3] et diliguntur : sic adolescentes senum præceptis gaudent [4], quibus ad virtutum studia ducuntur. Nec minus intelligo me vobis, quam vos mihi, esse jucundos. Sed videtis, ut senectus non modo languida atque iners non sit, verum etiam sit operosa, et semper agens aliquid et moliens; tale scilicet, quale cujusque studium in superiore vita fuit. Quid, quod etiam ad-

VIII. 1. *Quam illud idem.* Quam illud, quod idem Cæcilius scripsit in Plocio. Vide Nonium in verbo *advenire.* Facc.

2. *Tum equidem... se odiosum alteri.* Hæc ipsa referuntur a Nonio in voce *senium* sumpta ex Cæcilii Hephæstione. Facc. — *Senectute* est etiam in duobus Oxx. *Senecta* Servio auctore ad Virgil. Æneid. XI, 165, proprie est adjectivum, ut Plaut. Trin. I, 2, 5, *senecta ætate*, ad quem loc. vide Taubm. Hoc l. ut apud Virgil. l. l. « sors ista senectæ debita erat nostræ », et alio l. substantive ponitur. *Odiosum* est trium syllabarum, ut apud Terent. Phorm. V, 8, 44 : « Enimvero si porro esse odiosi pergitis ». Ceterum, ut Schützius monet, odiosum esse alteri non idem est, quod cap. 3, 7, ab iis sperni, a quibus sis coli solitus. Gern.

3. *A juventute coluntur.* De hoc adolescentium officio vid. Offic. I, 34 : « Est igitur adolescentis, majores natu vereri, exque his deligere optimos et probatissimos, quorum consilio atque auctoritate nitatur »; compara, II, 13, 46. Gern.

4. *Adolescentes senum præceptis gaudent.* Ut Socrates apud Platon. Rep. init. χαίρω γε διαλεγόμενος τοῖς σφόδρα πρεσβύταις. Gern.

discunt aliquid? ut Solonem versibus[5] gloriantem videmus, qui se quotidie aliquid addiscentem, senem[6] fieri dicit: ut ego feci, qui græcas literas senex didici; quas quidem sic avide arripui, quasi diuturnam sitim explere cupiens, ut ea ipsa mihi nota essent, quibus me nunc exemplis uti videtis. Quod quum fecisse Socratem in fidibus[7] audirem[8], vellem equidem et illud; discebant enim fidibus antiqui: sed in literis certe elaboravi.

IX. Nec nunc quidem vires desidero adolescentis 27 (is enim erat locus alter[1] de vitiis senectutis), non plus, quam adolescens, tauri, aut elephanti desiderabam. Quod est, eo decet uti, et quidquid agas, agere pro viribus. Quæ enim vox potest esse contemptior, quam Milonis[2] Crotoniatæ? qui, quum jam senex esset, athletasque se in curriculo exercentes videret, adspexisse lacertos suos dicitur, illacrymansque dixisse, « At hi quidem jam mortui sunt ». Non vero[3] tam isti,

5. *Solonem versibus.* Affertur Solonis versus a Platone in Timæo in hanc sententiam. Alii leg. *in versibus*. Facc.

6. *Senem.* Diog. Laert. I, ed. Menag. pag. 15, ἐτελεύτησε δ' ἐν Κύπρῳ, βιοὺς ἔτη ὀγδοήκοντα. Ælian. Var. Hist. VIII, cap. 16: Ὁ δὲ οὖν Σόλων ὑπέργηρως ὢν τὸν βίον ἐτελεύτησεν. Lucian. Macrob. 18: Σόλων δὲ καὶ Θαλῆς καὶ Πιττακὸς... ἑκατὸν ἕκαστος ἔζησεν ἔτη. Gern.

7. *Socratem in fidibus.* Epist. IX, 22: « Socratem fidibus docuit nobilissimus fidicen. Is Connus vocitatus est », ubi ut h. l. *discebant* fidibus dicitur, omisso verbo *canere*. Gern.

8. *Audirem.* An *audierim?* nam illud non convenit τῷ *vellem*. Ern.— Nihil est in vulgata lect. offensionis. Nunc enim non primum de Socratis arte audiit. Gern.

IX. 1. *Locus alter.* Vid. c. 6 extr. Drakenborchius in dictatis ad h. l. notat errorem quorumdam lexicographorum, qui putant, vocem *locus*, ut sit sedes argumentorum, numquam singulari numero reperiri. Vid. de Offic. I, extr. Orat. II, 58, 236. Gern.

2. *Milonis.* Sublatum in humeros taurum, ætate florente, per stadium ferebat, ut in capite sequenti. Facc.— Plurima de Milone congessit Salvagni ad Ovid. Ib. 611, ed. Burm. de ejus interitu vid. Valer. Max. IX, 12 extr. 9; Gell. Noct. Att. XV, 16, et Cœl. Rhodiginum, Lect. antiq. X, 60, XI, 20. De Crotone, quæ et bellicis gymnicisque studiis et Pythagoræ disciplina floruit, vid. Heynii Opusc. Acad. II, pag. 173 sqq. Gern.

3. *Non vero.* Non tam lacerti tui, quam tu ipse mortuus es, Milo. Per-

quam tu ipse, nugator: neque enim ex te umquam es nobilitatus, sed ex lateribus et lacertis tuis. Nihil S. Ælius[4] tale; nihil multis annis ante Tib. Coruncanius[5]; nihil modo P. Crassus[6]: a quibus jura civibus præscribebantur; quorum usque ad extremum spiri-
28 tum est provecta prudentia. Orator, metuo, ne languescat senectute: est enim munus ejus non ingenii solum, sed laterum etiam, et virium. Omnino canorum[7] illud in voce splendescit etiam, nescio quo pacto, in senectute; quod equidem adhuc non amisi; et videtis annos; sed tamen est decorus sermo senis, quietus et remissus; facitque persæpe ipsa sibi au-

ro *nugatorem* vocat, quod stulte quereretur de naturæ necessitate, et de amissione rei, quæ nihili erat. Facc.

4. *S. Ælius*, etc. Oliv. *Sex. Ælius*, ut Facc. Quinque Oxx. omnes Manut. A. et B. *S. Æmilius*. Sed tamen Manutius, Balduinus, Grævius et reliqui ediderunt *Sext. Ælius*, de quo Cicero, Brut. cap. 20; Orat. I, 45, 198, ubi ejus Sext. Ælii juris civilis scientiam celebrat. Qui quidem Livio teste, XXXII, 7, consul fuit cum T. Quintio an. Urb. 555. In Tabula Capitol. dicitur « Sex. Ailius Q. F. P. N. Paitus Catus ». In primis videndus, ut Græv. monet, Rupertus ad Pomponium de origine juris. Gern.

5. *T. Coruncanius*. Consul fuit anno Urb. cond. 473, et primus Romæ de jure consulentibus publice respondit. Facc. — In tabula Capitolina dicitur *T. Coruncanius* (vel potius deletis primis literis *uncanius*, etc.) *Ti. F. Ti. N.* Cos. fuit anno Urb. cond. 473, et primus Romæ jus docere et profiteri cœpit, quum antea domi tantum consulentibus responderent jurisconsulti, vide Pomponium de origine juris, cap. 4, § 38, et ibi Rupertum. Græv. — Vindicavit *Tiberii* nomen Coruncanio Sigonius ad Liv. Epitom. lib. XVIII, assentiente Drakenborchio. Gern.

6. *P. Crassus*. Non is, qui cum superiore Africano consul fuit an. Urb. 548; vid. Brut. cap. 19; Liv. XXVIII, 38, coll. Orator. III, 33, 154. Intelligendus potius est auctore Corrado, Quæst. pag. 313, P. Licinius Crassus, qui an. Urb. 583, et anno XXI, ante ipsius Catonis mortem cum C. Cassio Longino consul fuit, quem cap. 14, 50, juris et pontificii et civilis peritum dicit. Ita statuendum propter additum *modo*, quod vidit Wetzelius in altera demum edit. Gern.

7. *Canorum*. Cantum quemdam obscuriorem intelligit, quem Cicerone teste, Orat. cap. 18, 57, significat Demosthenes et Æschines, quum alter alteri objicit vocis flexiones. Vid. Demosth. pro Corona, cap. 79. Conf. Brutus, c. 88 extr. ubi Hortensio tribuit vocem canoram et dulcem. Contra ne canere videatur, oratori cavendum esse docet Quint. XI, 3; Homer. Trojan. senes, Il. Γ, 150, cum cicadis comparat. Gern.

dientiam[8] diserti senis compta et mitis oratio. Quod si ipse exsequi nequeas[9], possis tamen Scipioni præcipere, et Lælio. Quid enim est jucundius senectute, stipata studiis juventutis[10]? An ne eas quidem vires 29
senectuti relinquemus, ut adolescentulos[11] doceat, instituat, ad omne officii munus instruat? quo quidem opere quid potest esse præclarius? Mihi vero Cn. et P. Scipiones[12], et avi tui duo[13], L. Æmilius et P. Africanus, comitatu[14] nobilium juvenum fortunati videbantur. Nec ulli bonarum artium magistri non beati putandi, quamvis consenuerint vires, atque defecerint. Etsi ista ipsa defectio virium adolescentiæ vitiis efficitur sæpius, quam senectutis : libidinosa etenim et intemperans adolescentia effœtum corpus tradit senectuti. Cyrus quidem apud Xenophontem[15] eo 30

8. *Audientiam.* Gruterus, « Subodoror, inquit, antiqui poetæ versus duos, tres sub his et adsitis vocibus : ordinandi rationem non video ». Nec quempiam, qui viderit, scio. Nimirum accedit h. l. Catonis sermo ad quemdam vigorem poeticum, quum audientiam facere proprie diceretur præco, ut Plaut. Pœnul. prolog. v. 10 : « Exsurge, præco, fac populo audientiam ». Gern.

9. *Exsequi nequeas.* Si non possis dicere in foro et in curia, potes tamen præcepta domi aliis dare. Facc. — Quamquam Lælius et Scipio jam vivo Catone eloquentiæ laude floruerunt; vid. Brut. 21, 82 et 83. Gern.

10. *Studiis juventutis.* Quod studiorum causa juvenes apud senem sunt, quos doceat, instituat, etc. Neque est favor ille intelligendus (quod Wetzelius ait fieri posse), de quo cap. 8, 26. Nam ibi refutanda erat Cæcilii sententia, senectutem esse odiosam : hoc loco docet, senectuti esse satis virium ad instituendos juvenes. Exemplar Centronum exhibet « stipendiis juventutis ». Gern.

11. *Adolescentulos doceat.* Septem Oxx. *adolescentes.* At h. l. non ut c. 6 extr. aliquid in voce adolescentul. contumeliæ; vide pro Planc. 11. Cf. Plutarch. an seni resp. sit gerenda, quum multis locis tum extremo libro. Gern.

12. *Cn. et P. Scipiones.* Fratres, duo propugnacula belli Punici, qui, ut Cic. ait Parad. I, 2, 7, Carthaginiensium adventum corporibus suis intercludendum putaverunt; comp. c. 20, 75, et Liv. XXV, 32 sqq. Gern.

13. *Avi tui duo*, etc. Alter natura L. Æmilius Paullus, adoptione alter. Facc.—Vide cap. 20, 75; de altero, cap. 6, 20, et cap. 23 init. Gern.

14. *Comitatu.* C. *in comitatu.* Gern.

15. *Apud Xenophontem.* Memor. II, 1, 31. Contra Seneca, epist. 58, Platonis exemplo docet, temperantiam juventutis reddere senectutem et firmiorem et longiorem. Cyri sermo-

sermone, quem moriens habuit, quum admodum senex[16] esset, negat se umquam sensisse, senectutem suam imbecilliorem factam, quam adolescentia fuisset. Ego L. Metellum memini puer (qui quum quadriennio post alterum consulatum[17] pontifex maximus factus esset, viginti et duos annos ei sacerdotio præfuit), ita bonis esse viribus extremo tempore ætatis, ut adolescentiam non requireret[18]. Nihil necesse est mihi, de me ipso dicere : quamquam est id quidem senile, ætatique nostræ conceditur.

31 X. Videtisne[1], ut apud Homerum[2] sæpissime Nestor de virtutibus suis prædicet? Tertiam enim jam ætatem[3] hominum vivebat; nec erat ei verendum, ne vera de se prædicans, nimis videretur aut insolens,

nem ad filios Cambysem et Tanaoxarem habitum ex Xenoph. Cyri Discipl. VIII, 7, Cicero refert cap. 22. Gern.

16. *Admodum senex*. Cf. Divin. I, 23, de Cyro: « nam ad septuagesimum pervenit, quum xl natus annos regnare cœpisset ». Gern.

17. *Post alterum consulatum*. Quem L. Cæcilius Metellus gessit an. Urb. 506, primum an. Urb. 502. Pontifex max. fuit an. Urb. 510, usque ad annum 532, quum Cato natus esset anno 519. Gern.

18. *Requireret*. Id est, desideraret, ut supra init. h. cap. Gern.

X. 1. *Videtisne*. Melius foret *Videtis*, deleto *ne*. Sed et alibi *Videtisne* pro *Nonne videtis?* Ern. — Similiter Gœrenzius, Acad. II, 18, 57 : « Videsne, ut in proverbio sit ovorum inter se similitudo? mavult *Vides*, vocula *ne* cum interrogatione sublata. Secus tamen statuit ad Fin. I, 18, 57. Etenim sermo familiaris per interrogationem accipit aliquid vigoris. Recte vero Wolfius illud Platonis Apolog. c. 12 : Ὁρᾷς, ὦ Μέλιτε, ὅτι σιγᾷς vertit : *Viden' te silere, Melite*. Contra Ernestium Schellerus exempla collegit in Observv. ad Oratorem, lib. II, cap. 15 med. Nobiscum sentit etiam Schützius. Gern.

2. *Apud Homerum*. Ut Il. A, 260 seqq. et Λ, 663 seqq. Gern.

3. *Tertiam enim jam ætatem*. Vide Iliad. A, 250. Odyss. Γ, 245 : Τρὶς γὰρ δή μίν φασιν ἀνάξασθαι γένε' ἀνδρῶν. Idem Nævio apud Gellium, XIX, 7, dicitur *trisæclisenex*. Horat. Carm. II, 9, 12, *ter ævo functus*, ex Herodoti computatione, II, 142 : Γενεαὶ τρεῖς ἀνδρῶν ἑκατὸν ἔτεά ἐστι : idem Ovid. Metam. XII, 187. Scholiasta Homeri intelligit τριάκοντα annos; vid. Alberti ad Hesych. I, pag. 814, n. 18. Censorinus cap. 6, de D. Nat. Seculum, inquit, est spatium vitæ humanæ longissimum, partu et morte definitum. Alii aliter. Quo sunt antiquiores, tanto sunt longiores γενεαὶ, teste Porphyr. vid. Græv. Lect. Hesiod. cap. 14, et Wesseling. ad Herod. l. l. Gern.

aut loquax. Etenim, ut ait Homerus[4], ex ejus lingua melle dulcior fluebat oratio; quam ad suavitatem nullis egebat corporis viribus : et tamen dux[5] ille Græciæ nusquam optat, ut Ajacis similes habeat decem, at ut Nestoris; quod si acciderit, non dubitat, quin brevi Troja sit peritura. Sed redeo ad me. 32
Quartum annum ago et octogesimum[6]; equidem posse vellem idem gloriari, quod Cyrus : sed tamen hoc queo dicere, non me quidem iis esse viribus, quibus aut miles[7] bello Punico, aut quæstor eodem bello, aut consul in Hispania fuerim, aut quadriennio post, quum tribunus militaris[8] depugnavi apud

4. *Homerus*. De Nestore Iliad. A, 249 : Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή· ut de Xenophonte Cic. Orat. 9, 32, « cujus sermo est ille quidem melle dulcior ». Gern.

5. *Tamen dux ille Græciæ nusquam optat*. Hoc exemplo multi alii usi sunt; vid. Jacobs Socrates XI, ad Juncum, p. 292. Gern.

6. *Quartum annum ago et octogesimum*. Erat is annus an. Urb. cond. 603 ; vide ad cap. 4, 10. Gern.

7. *Miles ... quæstor ... consul*. Comp. cap. 4, 10, 6, 17 et 18, ad Capuam Fabio IV cos. an. Urb. 530, vide Cat. Maj. cap. 2. *Tribunus milit.* in Sicilia M. Claud. Marcello V. T. Quintio Crispino coss. an. Urb. 545; vid. Plutarch. et Nep. cap. 1. *Quæstor* P. Sempr. Tuditano et M. Cornel. Cethego coss. an. Urb. 549; vid. Brut. cap. 15; Liv. XXIX, 26. *Consul* cum L. Valer. Flacco an. Urb. 558, sortitus provinciam Hispaniam citeriorem; vid. Liv. XXXIII, 43. Quæ ibi gesserit, narrat Plutarch. cap. 10; Corn. Nep. cap. 2; Liv. XXXIV, 8 seqq. Tib. Sempron. Longum proconsulem in Thracia et ad Danubium Cato legatus adjuvit an. Urb. 562, contra Antiochum M. Manium Acil. Glabrionem in Græciam missum comitatus est. Gern.

8. *Tribunus militaris*. Livius legatum consularem facit. Facc. — Vide Liv. XXXVI, 17. Cum Livio consentit Phlegon Trallianus de Mirab. c. 3, auctore Antisthene, Peripatetico, sive, ut Meursio placet, historico. Eumdem facit tribunum milit. Plut. l. l. c. 12 (comp. Cic. pro Murena, cap, 14, 32): Ἀκίλιος χιλιαρχῶν ἐπ' Ἀντίοχον τὸν μέγαν συνεξῆλθεν εἰς τὴν Ἑλλάδα, et Appian. Syriac. p. 97; Addend. Frontin. Strat. II, 4, 4; Aurel. Victor. de Vir. illust. cap. 47. Manutius memoriæ vitium in Cicerone deprehendit: constare, neminem post consulatum tribunum militum fuisse. Miratur etiam Ernest. At vero ipse Livius XLII, 49 : « Duo consulares tribuni militum cum eo missi, C. Claudius, Q. Mucius ». Cf. idem XLIII, 5, tum XLIV, 1, ibid. XXII, 49. Quibus locis omnibus auctoris fides confirmatur. Quid? quod T. Flaminius, quo imperatore Cato consularis tribunus militum fuit, Plutarcho teste vit. Fla-

Thermopylas[9], M'. Acilio Glabrione consule: sed tamen, ut vos videtis, non plane me enervavit[10], nec afflixit senectus; non curia[11] vires meas desiderat, non Rostra[12], non amici, non clientes[13], non hospites. Nec enim umquam sum assensus veteri illi laudatoque proverbio, quod monet, mature fieri[14] senem, si diu velis esse senex. Ego vero me minus diu senem esse mallem, quam esse senem ante quam essem. Itaque nemo adhuc convenire me voluit, cui fuerim
33 occupatus[15]. At minus habeo virium, quam vestrum utervis. Ne vos quidem T. Pontii centurionis[16] vires habetis: num idcirco est ille præstantior? Moderatio

min. cap. 20, καὶ γὰρ ἐχιλιάρχησεν αὖθις μετὰ τὴν ὑπατείαν, οὐδενὸς ἐπείγοντος. Gern.

9. *Depugnavi ap. Th.* *Depugnavi* est acriter pugnavi, ut Epist. ad Div. VI, 4, Tusc. IV, 22. De pugna apud Thermopylas ab Antiocho M. munitas vide Liv. XXXVI, 16. Gern.

10. *Non plane me enervavit.* Cf. Liv. XXXIX, 40. Gern.

11. *Non curia.* Vid. supra cap. 6, 18. Gern.

12. *Non Rostra.* Vid. Brut. cap. 20 et 23. Gern.

13. *Clientes.* Apud Gellium, V, 13, officiorum gradum et ordinem M. Cato in Lentulum describit sic, ut clientes præferat hospitibus. Massurius autem Sabinus clientibus inferiorem locum tribuit. Patronus autem Cato fuit Hispanorum, quos devictos (vide Plutarch. cap. 11), defendit adversus Serv. Galbæ prætoris crudelitatem pro Romanorum in bello justitia; vide Offic. I, 11, 35. Pro Rhodiensibus optt. fidissimisque sociis Cato dixit, teste Gellio, VII, 3. Gern.

14. *Mature fieri senem.* Quum vires valeant, quum vigeat ætas, iis frui, quæ senum propria sunt, otio et quiete; vide Erasm. Adag. *Mature fias senex.* Gern.

15. *Cui fuerim occupatus.* Cui me excusaverim propter occupationes seu veras, seu fictas. Facc. — Apud Plaut. Merc. II, 2, 16: « Non sum occupatus umquam amico operam dare ». Et idem Amphitr. fragm. « Herus Amphitruo occupatus ». C. Langius veretur, ne tota sententia ex margine irrepserit, et ne in aptum quidem locum. Nimirum sententia quadrat ad superiora: « Non curia vires meas desiderat, etc. » ad quæ, interposita proverbii vituperatione, recurrit verbis *Itaque*, etc. ut fert sermo familiaris laxioribus vinculis ille quidem nexus.

16. *Pontii centurionis.* Veget. II, 14, « centurio eligendus est, qui sit magnis viribus et procera statura ». Quod Manutius ad h. l. suspicatur, intelligi *Pontium Cominium*, cujus meminit Liv. V, 46, et Plut. Camill. Drakenborchio in dictat. ad h. l. verisimile non videtur, quod is, quem Liv. et Plutarch. memorant, alibi centurio non vocetur, et Plut. de Fortuna Rom. eumdem nominet *Caium Pontium*, quum hic *Tit. Pontius* vocetur. Gern.

modo virium adsit, et tantum, quantum potest, quisque nitatur: næ ille non magno desiderio tenebitur virium. Olympiæ per stadium ingressus esse Milo dicitur, quum humeris sustineret bovem vivum. Utrum igitur has corporis, an Pythagoræ[17] tibi malis vires ingenii dari? Denique isto bono utare, dum adsit; quum absit, ne requiras: nisi forte adolescentes pueritiam, paullum ætate progressi adolescentiam debeant requirere. Cursus est certus ætatis, et una via naturæ, eaque simplex; suaque cuique parti ætatis tempestivitas[18] est data: ut et infirmitas puerorum, et ferocitas juvenum, et gravitas jam constantis[19] ætatis, et senectutis maturitas naturale quiddam habeat,
quod suo tempore percipi debeat. Arbitror te audire, 34
Scipio, hospes tuus avitus, Masinissa, quæ[20] faciat hodie, nonaginta annos natus: quum ingressus iter pedibus sit, in equum omnino non adscendere; quum equo, ex equo non descendere; nullo imbre[21], nullo frigore adduci, ut capite operto sit; summam in eo

17. *Pythagoræ.* Hunc potissimum Miloni opponit, utpote qui cum Milone Crotonæ vixerit. Idem auctore Valerio Max. VIII, 7, extern. 2, ad Olympicum certamen descendit, maximamque scientiæ sibi totius Græciæ admirationem conciliavit. Vid. Heynii Opusc. Acad. II, pag. 196 seqq. Gern.

18. *Tempestivitas.* Apud Nonium legitur *tempestas:* quæ vox ex illa contracta est, idemque hoc loco significat. Facc. — Nimirum ut *ætas* contractum est ex *ævitas.* Est autem *tempestivitas,* Grævio interprete, cujuslibet ætatis naturalis proprietas, sicut in ordine anni veris tempestivitati flores, æstatis messes, autumni maturitas, hyemis frigus datum et assignatum a natura, unde autumnam tempestivitatem Minutius Felix aliique vocant *autumnitatem.* Columell. III, 4. Gern.

19. *Constantis ætatis.* Quæ cap. 20, *media* dicitur; opponitur *mobilis ætas* juvenum ap. Virgil. Georg. III, 165, comp. Cic. pro Q. Roscio, 16, 49. Gern.

20. *Quæ faciat.* Lucianus cum Cic. consentit et Appian. de reb. Pun. cap. 106. Plin. VII, 48: « Masinissam sexaginta annos regnasse indubitatum est ». Gern.

21. *Nullo imbre.* De Julio tradit Suet. cap. 57, « in agmine nonnumquam equo, sæpius pedibus, anteibat, capite detecto, seu sol, seu imber esset ». Gern.

esse corporis siccitatem[22]; itaque exsequi omnia regis officia et munera. Potest igitur exercitatio et temperantia etiam in senectute conservare[23] aliquid pristini roboris.

XI. Non sunt in senectute vires? ne postulantur quidem vires a senectute. Ergo et legibus et institutis vacat ætas[1] nostra muneribus iis, quæ non possunt sine viribus sustineri. Itaque non modo, quod non possumus, sed ne quantum possumus quidem, cogimur.
35 At ita multi sunt imbecilli senes, ut nullum officii, aut omnino vitæ munus exsequi possint. At id quidem non proprium senectutis est vitium, sed commune valitudinis. Quam fuit imbecillus P. Africani filius[2] is qui te adoptavit? quam tenui, aut nulla potius valitudine? Quod ni ita fuisset, alterum ille exstitisset lumen civitatis : ad paternam enim magnitudinem animi doctrina uberior accesserat. Quid mirum igitur in senibus, si infirmi sunt aliquando, quum ne id quidem adolescentes effugere possint? Resistendum,

22. *Corporis siccitatem*. Ernestius in Clav. Cic. interpretatur salubritatem, quum Dukerus ad Liv. Epit. L, suspicaretur legendum esse *corporis firmitatem*, quam Diodor. Sic. in Biblioth. Photii, pag. 1161, dicit εὐτονίαν σώματος. Cic. Tuscul. V, 34, 90 : «Adde siccitatem, quæ consequitur hanc continentiam; adde integritatem valitudinis». Varro apud Non. sub h. v. «Persæ propter exercitationes pueriles modicas eam sunt consequuti corporis siccitatem, ut neque spuerent, neque emungerentur, sufflatove corpore essent». Gern.

23. *In senectute conservare*. *Senectuti conservare*, hoc est, senectutis bono et commodo, Grævius recepit e Pith. item Facc. et Olivet. cum quinque libris Oxx. tres reliqui et edd. vett. cum A. B. C. et recentioribus *in senectute conservare*. Nam quum exercitatio et temperantia Masinissæ senis laudata ante sit; in promptu est, sensum hunc esse : non solum in juvenili et media ætate, sed etiam in senectute aliquid pristini (senectuti reservati) roboris temperantia conservari posse, quo senex diutius vitam sustineat. Gern.

XI. 1. *Vacat ætas*. Interdum seniorum quoque delectus est habitus, ut apud Livium, lib. VI, cap. 2. Nam summa pericula legibus non parcunt. Facc.

2. *Africani filius*. Cn. Scipio Africani majoris filius, de quo Offic. I, 33, 121; Brut. 19, 77. Gern.

Læli et Scipio, senectuti est, ejusque vitia diligentia
compensanda[3] sunt. Pugnandum, tamquam contra
morbum, sic contra senectutem. Habenda ratio vali- 36
tudinis; utendum exercitationibus modicis; tantum
cibi et potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non
opprimantur. Nec vero corpori soli subveniendum
est, sed menti atque animo multo magis : nam hæc
quoque, nisi tamquam lumini oleum instilles, exstin-
guuntur senectute. Et corpora quidem defatigatione
et exercitatione ingravescunt[4]; animi autem exerci-
tando levantur. Nam quos ait Cæcilius « comicos stul-
tos senes[5] », hos significat credulos, obliviosos, disso-
lutos : quæ vitia sunt non senectutis, sed inertis,
ignavæ, somniculosæ senectutis. Ut petulantia, ut li-
bido magis est adolescentium, quam senum; nec
tamen omnium adolescentium, sed non proborum :
sic ista senilis stultitia, quæ deliratio[6] appellari solet,
senum levium est, non omnium. Quatuor robustos[7] 37
filios, quinque filias, tantam domum, tantas cliente-

3. *Ejus vitia diligentia compensanda.* Diligenti cura valitudinis, inquit, sunt compensanda et resarcienda illa vitia, quibus obnoxia est senectus. *Diligéntia* et paullo ante in hac notione usus est Tullius. Vires quas detrahit nobis quasi senectus, pensat diligentia : quæ illa sit, proxime sequuturis verbis ostendit. Græv.

4. *Ingravescunt.* P. Marsus *gravescunt* pro *ingravescunt*, quod non raro apud Cic. significat : debilitantur. Sic Schol. A. Vide cap. 2, 6. Gern.

5. *Comicos stultos senes.* Vide de Amicitia, cap. 26. Quo loco pleni hi versus Cæcilii in Epiclero leguntur : « Hodie me ante omnes comicos stultos senes Versaris, atque unxeris lautissime ». Male igitur in paucis libris *comicus* legitur, in I. *stultos* omittitur. Gern. — *Comici senes* dicuntur, quales introducuntur a poetis comicis, creduli, deliri, leves, amatores, stulti, qui facile decipiuntur a servis, ridiculi denique. Lamb.

6. *Deliratio.* A re rustica translata. Plin. XVIII, 20 : « Hoc quoque ubi consuetudo patitur, crate dentata, vel tabula aratro adnexa, quod vocant lirare operientes semina, unde primum appellata deliratio est ». Drakenborch. in dictat. melius duci putat a λῆρος. In quo non assentior. Gern.

7. *Robustos.* Drakenborch. in dictat. ad h. l. monet esse de ætate adulta, de pubertate intelligendum, ut de Harusp. Resp. cap. 20, 42. Gern.

las Appius regebat et senex, et cæcus. Intentum enim animum, tamquam arcum, habebat, nec languescens succumbebat senectuti. Tenebat non modo auctoritatem, sed etiam imperium in suos: metuebant servi, verebantur[8] liberi, carum omnes habebant; vigebat
38 in illa domo patrius mos, et disciplina. Ita enim senectus honesta est, si se ipsa defendit[9], si jus suum retinet, si nemini emancipata est, si usque ad extremum spiritum dominatur in suos[10]. Ut enim adolescentem, in quo senile aliquid; sic senem, in quo est adolescentis aliquid, probo: quod qui sequitur, corpore senex esse poterit, animo numquam erit. Septimus mihi Originum[11] liber est in[12] manibus; omnia antiquitatis monumenta[13] colligo; causarum illustrium, quascumque defendi, nunc quam maxime conficio orationes, jus augurum, pontificum, civile tracto; multum etiam græcis literis utor; Pythagoreorumque more, exercendæ memoriæ gratia, quid quoque die dixerim, audierim, egerim, commemoro

8. *Verebantur*. Alii, *reverebantur*. Reveremur autem quos ætate, sapientia, dignitate antecedentes observamus; veremur, quorum imperata, ut ingenui homines, facimus, ut liberi parentum. Gern.

9. *Se ipsa defendit*. Tantum retinet mentis et auctoritatis, ut se ipsa tueri possit. Facc.

10. *Dominatur in suos*. Tenet imperium in familiam suam: quæ lectio non est ita contemnenda, ut Grævio videtur. Ipse et alii leg. « vindicat jus suum ». Sed lectio hæc incidit in tautologiam, quum proxime dixerit « jus suum retinet ». Facc.

11. *Originum*. Horum librorum argumentum exponit Corn. Nepos in vita Catonis, cap. 3, 4; comp. Brut. cap. 17, coll. cap. 85 extr. Gern.

12. *Est in manibus*. Drakenborch. in dictat. ad h. l. hæc notavit: In manibus esse dicitur de libro, qui ubique exstat et ab omnibus legitur (ut supra cap. 4, 12), sed h. l. alio sensu sumi debet, quum dicatur liber esse in manibus auctoris, qui ei componendo, poliendo, vel emendando operam dat. Cic. ad Att. IV, 13, et XIII, 47. Duplici hac significatione etiam aliam locutionem usurpari, « haberi in manibus », docet Vorst. de Latin. falso susp. 7. Gern.

13. *Omnia antiquitatis monumenta*. Intelligere videtur in primis ἀποφθέγματα, h. e. multa multorum facete dicta a sene Catone collecta. Vid. Offic. I, 29. Gern.

vesperi. Hæ sunt exercitationes ingenii, hæc curricula mentis[14]; in his desudans atque elaborans, corporis vires non magnopere desidero. Adsum amicis[15]; venio in senatum frequens, ultroque affero res multum et diu cogitatas; easque tueor animi, non corporis viribus. Quæ si exsequi nequirem, tamen me lectulus[16] oblectaret meus, ea ipsa cogitantem, quæ jam agere non possem: sed ut possim, facit acta vita[17]. Semper enim in his studiis laboribusque viventi non intelligitur, quando obrepat senectus. Ita sensim sine sensu[18] ætas senescit; nec subito frangitur, sed diuturnitate exstinguitur.

XII. Sequitur tertia vituperatio senectutis, quod 39
eam carere dicunt voluptatibus. O præclarum munus ætatis, si quidem id aufert nobis, quod est in adolescentia vitiosissimum! Accipite enim, optimi adolescentes, veterem orationem Archytæ Tarentini[1], magni in primis et præclari viri; quæ mihi tradita est, quum essem adolescens Tarenti cum Q.[2] Maximo.

14. *Curricula mentis*. Metaphora sumpta a ludis Circensibus, in quibus juvenes exercebantur. Facc. — *Curriculum petitionis* habet Cic. pro Murena, cap. 22, 46. Gern.

15. *Adsum amicis*. Scil. in judicio, ut pro Quint. cap. 8, 30. Gern.

16. *Lectulus*. In quo recumbebant veteres meditationi vel scriptioni operam daturi. Cf. Orat. III, 5, 17; Plin. Epist. V, 5; Suet. Aug. cap. 78, ibique Casaub. Gern.

17. *Facit acta vita*. Int. sed ita vixi, ut possem: sc. juventutis robur in voluptatibus non consumpsi.

18. *Ita sensim sine sensu*. Παρόμοιον etiam vocalium allusione insigne; in quo decorum servat in Catonis persona. Nam sæculum illud figuris hujusmodi delectabatur: quale est Ennii illud, « O Tite, tute Tati, tibi tanta tyranne tulisti ». Et ejusdem ex Phœnice, « Stultus est qui cupita cupidus cupienter cupit ». Et Plauti in Menæchmis, « Non potui paucis plura plane proloqui ». Simile ex Eurip. Medea affert Victor. lib. XXXVI, cap. 10, et Turnebus e Cicerone, Advers. lib. VII, cap. 19. Langius.

XII. 1. *Archytæ Tarentini*. Quem Diog. Laert. lib. VIII, 79, tradit et septies magistratum gessisse, et, quum exercitui præesset, numquam esse superatum. Idem Pythagoreus in geometria excelluit, et in arte mechanica. Vid. Gell. X, 12. Naufragio in litore Apuliæ ad promontorium Matinum sepultus est. Vide Horatium, Od. I, 28. Gern.

2. *Cum Q. Maximo*. Vid. cap. 4,

Nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem, hominibus dicebat a natura datam; cujus voluptatis avidæ libidines[3] temere et effrenate ad potiun-
40 dum incitarentur. Hinc patriæ proditiones, hinc rerum publicarum eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci; nullum denique scelus, nullum malum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret; stupra vero, et adulteria, et omne tale flagitium, nullis aliis illecebris excitari, nisi voluptatis. Quumque homini sive natura, sive quis deus nihil mente præstabilius dedisset; huic divino muneri ac dono nihil esse tam inimicum, quam
41 voluptatem. Nec enim libidine dominante temperantiæ locum esse; neque omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere. Quod quo magis intelligi posset, fingere animo jubebat, tanta incitatum aliquem voluptate corporis, quanta percipi posset maxima : nemini censebat fore dubium, quin tamdiu, dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset. Quocirca nihil esse tam detestabile, tamque pestiferum, quam voluptatem; si quidem ea, quum major esset atque longior, omne animi lumen[4] exstingueret. Hæc cum C. Pontio Samnite[5], patre ejus, a quo, Caudino prælio, Sp. Postu-

10, et Plutarch. Cat. Maj. cap. 2.

3. *Avidæ libidines*. Ita appellantur vehementiores appetitus et cupiditates. Facc.

4. *Animi lumen*. Somnium Scip. cap. 2 : « Hic tu, Africane, ostendas oportebit patriæ lumen animi, ingenii, consiliique tui ». Gern.

5. *C. Pontio Samnite*. Drakenborchius in dict. ad h. l. hæc monuit : Ipsum, qui Romanos prælio laud. superavit, C. Pontium et patrem ejus Herennium Pontium; vid. Liv. IX, 1 et 3, et Valer. Max. VII, 2, 14. Itaque statuendum est, Catonem confundere patrem et filium, vel, quod potius videtur, patrem æque ac filium vocatum fuisse *C. Pontium*, adeoque Liv. IX, 1, dixisse *C. Pontium Herennii filium*, quo sensu etiam dixit *Q. Fabium Maximi filium*. Liv. X, c. ult. Ad superiorem Livii locum idem V. D. ex Aurel. Vict. de Vir. ill. cap. 30, accuratius monet, patrem *Herennii* cognomen habuisse, filium *Thelesini*. Gern.

mius, T. Veturius, consules, superati sunt, loquutum
Archytam, Nearchus Tarentinus, hospes noster, qui
in amicitia populi romani permanserat, se a majori-
bus natu accepisse dicebat, quum quidem ei sermoni
interfuisset Plato[6] Atheniensis; quem Tarentum ve-
nisse, L. Camillo, Appio Claudio consulibus, reperio.
Quorsum hæc? ut intelligatis, si voluptatem asper- 42
nari ratione et sapientia non possemus, magnam ha-
bendam senectuti gratiam, quæ efficeret, ut id non
liberet, quod non oporteret. Impedit enim consilium
voluptas, rationi inimica; ac mentis (ut ita dicam)
præstringit oculos, nec habet ullum cum virtute com-
mercium. Invitus quidem feci, ut fortissimi viri T. Fla-
minini[7] fratrem L. Flamininum e senatu ejicerem,
septem[8] annis post, quam consul fuisset: sed notan-
dam[9] putavi libidinem. Ille enim quum esset consul,

6. *Plato*. Fin. V, 29. Tusc. I, 17: « Platonem ferunt, ut Pythagoreos cognosceret, in Italiam venisse et didicisse Pythagorea omnia ». Incidisse videtur hoc iter, primum illud quidem e tribus, in Siciliam factis, in annum Urb. 365, ætatis anno XL, quum e Corsinii ratione de natali die Platonis in Gorii Symbolis liter. vol. VI, pag. 97, quem sequitur *Barthélemy*, *Voyage du j. Anarch*. vol. IV, not. p. 278, Plato natus esset Olymp. LXXXVII, 3, a. Chr. 430, vel ab Urb. cond. 324 (Wetzelius auctore Laertio, III, 2. Olymp. LXXXVII, 1, a. Urb. 326), mort. Olymp. CVIII, 1, a. Urb. 406. Quum Tarentum venisset, arcessitus est a Dionysio maj. Syracusas. Vid. Corn. Nep. Dion. cap. 2. L. Furius Camillus autem cum Appio Claudio Crasso consul fuit an. Urb. 404, sec. fastos Capit. et Liv. VII, 24, vel sequenti anno, ut Gellius ait, IX, 11, non a. U. 407 ut in nota Schützii ad h l. errore typogr. scriptum est. Ita apparet Ciceronem errasse. GERN.

7. *T. Flaminini*. T. Quint. Flamininus is est, qui Philippum Maced. vicit. Vid. c. 1, 1. De fratre Lucio vid. Liv. l. l. Plut. Cat. M. cap. 17, et Flamin. cap. 18. GERN.

8. *Septem annis post*. Gern. dat *octo an. p.* Hoc, inquit, pro vulg. *septem* Wetzelius, quem Schütz. sequitur, recepit ex antiquo F. Ursini libro. Cato enim censor fuerat an. Urb. 569. Vid. cap. 6, 19. L. Quintius Flamininus autem consul an. Urb. 561, secundum Fastos Capitol. (Wetzelius præbet annum 560, de Catonis censura annum 568.) Facile potuit in codd. *VIII* abire in *VII*.

9. *Notandam put. libid.* Al. *notandum*. Cato, quum censor esset, ignominia L. Flamininum notavit, et senatu movit. FACC. — Cf. Liv. XXXIX, 42 sqq. ubi rem narrat.

in Gallia exoratus in convivio a scorto[10] est, ut securi feriret aliquem eorum, qui in vinculis essent damnati rei capitalis. Hic Tito, fratre suo, censore (qui proximus[11] ante me fuerat), elapsus[12] est; mihi vero et Flacco[13] neutiquam probari potuit tam[14] flagitiosa et tam perdita libido, quæ cum probro privato conjungeret imperii dedecus[15].

43 XIII. Sæpe audivi a majoribus natu, qui se porro pueros a senibus audisse dicebant, mirari solitum C. Fabricium[1], quod, quum apud regem Pyrrhum legatus esset, audisset a Thessalo Cinea[2], esse quemdam Athenis, qui se sapientem profiteretur; eumque dicere, omnia, quæ faceremus, ad voluptatem esse referenda: quod ex eo audientes, M'. Curium et Tib. Coruncanium optare solitos, ut id Samnitibus[3], ipsique Pyrrho persuaderetur; quo facilius vinci possent, quum se voluptatibus dedidissent. Vixerat M'. Curius cum P. Decio[4], qui quinquennio ante eum consulem se pro

10. *A scorto*. Puerum pro muliere tradit Plutarch. vit. Flamin. l. l. — Ex quo videre poteris Plut. et Liv. in narrando facto non omnino convenire.

11. *Proximus*. Cum M. Claudio Marcello, teste Liv. XXXVII, 58. an. Urb. 564. Gern.

12. *Elapsus*. Ut ad Quint. Fr. III, 4: « Quid essem, si me agente esset elapsus », sc. Gabinius, qui est propter accusatoris et subscriptorum infantiam absolutus. Gern.

13. *Flacco*. L. Valerius Flaccus ejusdem anni cum Catone censor fuit. Vid. Liv. XXXIX, 40. Gern.

14. *Tam flagitiosa*, etc. Livius, lib. XXXIX, cap. 43. Gern.

15. *Imperii dedecus*. Cf. Val. Max. II, 9, 3. Gern.

XIII. 1. *C. Fabricium*. Ad Pyrrhum, Epirotarum regem, qui se Tarentinis anno U. 473 socium adjunxerat, de captivis redimendis missus orator. Vide Brut. cap. 14; Offic. III, 22; Liv. Epit. XIII; Plutarch. Pyrrh. cap. 20. Gern.

2. *Cinea*. Qui fuit discipulus Demosthenis, in primis facundus, Pyrrho carus, ejusque nomine ad populum romanum legatus, ut est apud Justinum, lib. XVIII, cap. 2. Facc. — Adde Plutarch. l. l. Val. Max. IV, 3, 6. Cic. Tusc. I, 24, 25, admiratur, quanta memoria fuisse dicatur « is, qui a Pyrrho legatus ad senatum est missus, Cineas ». Gern.

3. *Samnitibus*. Qui, Livio teste, Epit. XII, socii erant Tarentinorum et Pyrrhi. De re vide Valer. Max. IV, 3, 6. Gern.

4. *P. Decio*. Patris exemplum se-

republica quarto consulatu devoverat. Norat eumdem[5] Fabricius, norat Coruncanius: qui quum ex sua vita, tum ex ejus, quem dico, P. Decii facto, judicabant, esse profecto aliquid natura pulchrum atque præclarum, quod sua sponte[6] peteretur, quodque, spreta et contempta voluptate, optimus quisque sequeretur.

Quorsum igitur tam multa de voluptate? quia non 44
modo vituperatio nulla, sed etiam summa laus senectutis est, quod ea voluptates nullas magnopere desiderat[7]. Caret epulis, exstructisque mensis, et frequentibus poculis? caret ergo etiam vinolentia, et cruditate, et insomniis[8]. Sed si aliquid dandum est voluptati, quoniam ejus blanditiis non facile obsistimus (divine enim Plato escam malorum, voluptatem appellat, quod ea videlicet homines capiantur, ut hamo pisces), quamquam immoderatis epulis careat senectus, modicis tamen conviviis delectari potest. C. Duellium, M. F. qui Pœnos classe primus devicerat, redeuntem a cœna senem sæpe videbam puer; delectabatur crebro

quutus est, ut scribit Valer. Max. in lib. V, cap. 6, et Cicero ipse in Div. lib. I, cap. 24, et alibi. Facc.—Quum quartum consul esset cum Q. Fabio, ann. U. 458, e Fast Capit. Cf. Liv. X, 28, « qua confertissimam cernebat Gallorum aciem, concitat equum: inferensque se ipse infestis telis est interfectus ». Gern.

5. *Eumdem*. Norat autem P. Decium C. Fabricius, qui ann. U. 471 consul fuit cum Q. Æmilio Papo, ut Tib. Coruncanius cum P. Valerio Lævino, ann. U. 473. Gern.

6. *Sua sponte*. Id est, sua natura impellente, propter se. Ita *sua sponte* cum passivo paullo rarius reperitur. Verr. I, 42. Fin. II, 26, 83: « si nulla caritas erit, quæ faciat amicitiam ipsam sua sponte, vi sua, ex se et propter se expetendam ». Intelligitur autem honestum, quod de Off. I, 4, 14, ait, etiam si a nullo laudetur, natura esse laudabile. Gern.

7. *Nullus magnopere desiderat*. Cf. Phavorinus apud Stobæum, CXII, et Juncus apud eumdem l. l. Gern.

8. *Insomniis*. Plinius vocat furiales somnos. Facc. — Lambinus, qui in vett. libb. repererat « caret somnis », invitis libris omnibus, scripsit *insomnia*, quam interpretatur ἀϋπνίαν (qua voce Gaza h. l. utitur). Vigilia vero non quadrat, quæ senibus est peculiaris. Recte igitur Suffridus Petrus restituit *insomniis*, quæ arctiorem somnum, potosque perterrent. Ita Virg. Æneid. IV, 9: « quæ me suspensam insomnia terrent ». Male tres Manut. et unus Ox. *insomnio*. Gern.

funali[9], et tibicine, quæ sibi nullo exemplo privatus
45 sumpserat : tantum licentiæ dabat gloria. Sed quid ego alios? ad me ipsum jam revertar. Primum habui semper sodales : sodalitates[10] autem me[11] quæstore constitutæ sunt, sacris Idæis[12] Magnæ Matris acceptis. Epulabar igitur cum sodalibus omnino modice, sed erat quidam fervor ætatis : qua progrediente, omnia fiunt in dies mitiora. Neque enim ipsorum conviviorum delectationem voluptatibus corporis magis, quam cœtu amicorum, et sermonibus metiebar. Bene enim majores nostri accubitionem epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, convivium nominarunt, melius, quam Græci; qui hoc idem tum compotatio-

9. *Crebro funali.* C. Langius interpretatur, non una face, sed pluribus deduci voluisse, et Dausqueius crebro lato et relato. Errant omnes, inquit Gronovius in Observ. III, 6, p. 361. *Crebrum funale*, quasi lucernam πολύμυξον, accipe ab Ovidio, Metam. lib. XII, vs. 247 : « ... et primus ab æde Lampadibus densum rapuit funale coruscis ». Nam *crebrum* idem quod densum. *Funalia*, præeunte Isidoro de Origg. XX, 10, interpretatur Donat. ad Terent. Andr. I, 1, 88, candelabra, quibus delibuti funes et cerei fomites infiguntur. Ceterum, ut Casaubonus ait ad Sueton. Jul. Cæs. cap. 37, vetus mos Romæ fuit, bene meritis de rep. viris honoris sui causa permittere, ut cum aliqua inusitata pompa, quoties foris cœnassent, domum redirent. Comp. Dion. Cass. Hist. Rom. XLIII, p. 224 ed. Leuncl. Gern.

10. *Sodalitates.* Simulacro Cybeles, Magnæ deorum Matris, Romam advecto, Cethego et Tuditano coss. M. Catone, quæstore, collegium seu sodalitium constitutum est : sodales autem statis diebus, quibus sacra deæ fierent, simul epulabantur. Facc. — *Sodalitates* Manutius cum Langio dicit τὰ συσσίτια, ut Theodor. Gaza. Sed Grævius mavult sodales dici θιασώτας, qui certis tantum diebus, quum sacra (θίασος) fierent, una vescebantur, quum σύσσιτοι semper. Gern. — Cf. Salmas. Observat. ad jus Atticum et Rom. cap. 4, ubi vide plura.

11. *Me quæstore.* Corn. Nep. Cat. cap. 1. Quæstor obtigit P. Cornelio Scip. Afric. consuli ann. U. 549, quo consules fuerunt M. Corn. Cethegus, P. Sempron. Tuditanus. Conf. Brut. cap. 15, 6. Eodem anno Liv. XXIX, 14, tradit Matrem Magnam in ædem Victoriæ in Palatio pridie idus aprilis a P. Cornelio Nasica esse delatam. Idem, lib. XXXVI, cap. 30, proximo superiore anno, P. Cornelio Scipione, P. Licinio Crasso coss. idem factum esse tradit. Gern.

12. *Sacris Idæis.* Mater Idæa in primis Pessinunte in Phrygia colebatur, in qua sunt montes Ida, Berecyntus et Dindymus, unde nomina Matris deum ducuntur. Vide Herodian. I, 11. Gern.

nem, tum concœnationem vocant : ut, quod in eo genere minimum est[13], id maxime probare videantur.

XIV. Ego vero propter sermonis delectationem tem- 46
pestivis[1] quoque conviviis delector, nec cum æqualibus solum (qui pauci admodum restant), sed cum vestra etiam ætate, atque vobiscum; habeoque senectuti magnam gratiam, quæ mihi sermonis aviditatem auxit, potionis et cibi sustulit. Quod si quem etiam ista[2] delectant (ne omnino bellum[3] indixisse videar voluptati, cujus est etiam fortasse[4] quidam naturalis modus[5]), non intelligo, ne in istis quidem voluptatibus ipsis carere sensù senectutem. Me vero et magisteria[6] delectant, a majoribus instituta; et is sermo, qui more majorum a summo[7] adhibetur in poculis;

13. *Minimum est.* Nomina sumenda sunt ab eo, quod potissimum est : ipsi autem sumunt a potando, et cœnando, quod est minimum. Facc.

XIV. 1. *Tempestivis.* Quæ tempestive ineuntur, *di buon' ora.* Et quia fere tempestiva convivia sunt hilariora, paullo plus etiam producuntur. Proinde hoc loco, et sæpe alibi, utrumque significatur. Facc.

2. *Ista.* Scil. potio et cibus.

3. *Ne omnino bellum*, etc. Conf. c. 13, 44; de Orat. II, 37, 105. Gern.

4. *Cujus est etiam fortasse.* Recedit autem paullum a doctrina Stoica, si voluptatem modo aliquo admittit. Idcirco addit *fortasse.* Facc.

5. *Naturalis modus.* Gern. Schützium sequutus, scribit *motus.* Cf. de Offic. I, 36, 132; Fin. II, 3, 8; ibid. 23, 73. Ipse Schützius notat : Reduxi lectionem antiquiorum edd. pro qua inde a Grutero omnes ediderunt *naturalis modus.* Hoc loco non agitur de modo seu moderatione voluptatis; sed Cato, ne videatur omnino bellum indixisse voluptati, concedit motus quosdam voluptatis naturales esse h. e. naturæ convenientes, et a natura profectos : qui scilicet sunt modici, non immoderati. Contraria ratio est ejus voluptatis, quæ modum excedit, *cujus motus* (ut est in fragmento Hortensii), ut quisque est maximus, ita est inimicissimus philosophiæ.

6. *Magisteria.* Unde convivii magister, dux, rex, strategus, dictator : quæ nomina passim usurpantur, a poetis præsertim. Facc. — In conviviis sorte legebatur, qui leges bibendi præscriberet et pocula imperaret. Græcis συμποσίαρχος, ἄρχων τῆς πόσεως. Vide Wolfad. Platon. Sympos. cap. 31. Latinis, ut Varroni, *modimperator ;* Plauto, Pers. V, 1, 18, *dictator ;* Horat. II, 7, 25, *magister*, ejusque dignitas *magisterium*, *regnum.* Vide Jani ad Horat. I, 4, 27. Pluribus de re disp. Christ. Dissert. de magisteriis vett. in poculis. Gern.

7. *A summo.* Ab eo, qui summus accumbit. A summo ad imum duce-

et pocula, sicut in Symposio Xenophontis, minuta atque rorantia[8]; et refrigeratio æstate, et vicissim aut sol, aut ignis hibernus. Quæ quidem in[9] Sabinis etiam persequi soleo, conviviumque vicinorum quotidie compleo[10]; quod ad multam noctem, quam maxime possumus, vario sermone producimus[11].

47 At non est voluptatum tanta quasi titillatio in senibus. Credo; sed ne desideratio quidem. Nihil autem molestum, quod non desideres. Bene Sophocles, quum ex eo quidam jam affecto ætate quæreret, utereturne rebus venereis : « Dii meliora ! inquit; libenter vero istinc, tamquam a domino agresti ac furioso profugi ». Cupidis enim rerum talium odiosum et molestum est fortasse carere : satiatis vero et expletis jucundius est carere, quam frui. Quamquam non caret is[12], qui non desiderat. Ergo hoc non desiderare, dico esse jucun-
48 dius, quam frui. Quod si istis voluptatibus bona ætas[13] fruitur libentius; primum parvulis[14] fruitur rebus, ut diximus : deinde iis, quibus senectus, si non abunde

bantur invitationes, certo sermone conceptæ, ut convivii magister dictabat. Facc.

8. *Rorantia.* Quæ leviter irrorant convivas, ideoque parum vini capiunt. Facc. — Intelligitur autem Symposii cap. 2 extr. Gern.

9. *In Sabinis.* Ubi rusticare solebat, non tamen valde laute, ut scribit Plutarchus. Facc. — Vid. Plut. Cat. Maj. cap. 1, et supra cap. 7, 124. Gern.

10. *Convivium... compleo.* Vicinos invito ad convivium tot, ut triclinium plenum fiat. Plut. l. l. cap. 25. Gern.

11. *Vario sermone producimus.* Hæc videtur Cicero concessisse famæ de Catone, quam sequutus est Horatius, Carm. III, 21 : « Narratur et prisci Catonis Sæpe mero caluisse virtus ».

12. *Non caret is, qui non desiderat.* Cf. Tusc. I, 36, 88. Supra igitur *carere* est non habere, hoc autem loco *non caret* significat non molestum ei est non habere, ut ipse se Cato reprehendat, qui usus sit verbo *carere*, quippe in quo molestiæ sensus insit; ejusque loco ponit *desiderare*. Gern.

13. *Bona ætas.* Mala ætas, ut F. Ursinus monet, senectus dicitur ab Afranio in illo versu : « Mala ætas nulla delinimenta invenit ». Cic. Epist. ad Divers. X, 3 : « Consul es designatus optima ætate, summa eloquentia ». Gern.

14. *Parvulis.* Al. *pravis*; al. *parvis*. Facc. — H. l. *parvulæ res* sunt, quæ contemnendæ potius sunt, quam expetendæ. Gern.

potitur, non omnino caret. Ut Turpione[15] Ambivio magis delectatur, qui in prima cavea[16] spectat; delectatur tamen etiam qui in ultima: sic adolescentia voluptates prope intuens magis fortasse lætatur; sed delectatur etiam senectus procul eas spectans, tantum, quantum sat est. At illa quanti sunt[17], animum, tam- 49
quam emeritis stipendiis[18] libidinis, ambitionis, contentionis[19], inimicitiarum, cupiditatum omnium, secum esse[20], secumque (ut dicitur) vivere? Si vero habet aliquod tamquam pabulum studii atque doctrinæ, nihil est otiosa senectute jucundius. Mori pæne videbamus in studio dimetiundi cæli atque terræ C. Gallum[21], familiarem patris tui, Scipio. Quoties illum lux noctu aliquid describere[22] ingressum, quoties nox oppressit, quum mane cœpisset? Quam delectabat eum, defectiones solis et lunæ multo nobis

15. *Turpione.* Actore scenico, qui cum Roscio conjungitur in dialogo de Oratoribus, cap. 20. Facc.

16. *In prima cavea.* Pars prima caveæ, vel proxima histrionibus intelligitur, ubi sedebant senatores et equites, quum media et extrema esset populo assignata. Gern.

17. *At illa quanti sunt.* Intell. at quantum bonum esse arbitraris, scil. animum vivere, etc.

18. *Emeritis stipendiis.* Ut milites emeriti, vel emeritorum stipendiorum (vide Liv. XXXIX, 19, « Ut P. Æbutio emerita stipendia essent »; et Just. XIV, 3, 8, ibique Vorstium) non sunt amplius obnoxii militiæ officiis, sic servitute libidinis liberantur senes. Cf. Juncus apud Stobæum, CXVI. Gern.

19. *Contentionis.* Al. *contentionum.* Equidem singularem retinuerim eo sensu, quo pro Mur. cap. 4, dicitur *honoris contentio. Contentiones* forent tempora, quibus contenderunt de honore cum aliis. Serviunt autem viri ambitiosi honoris studio, quo ad contendendum impelluntur, unde inimicitiæ. Gern.

20. *Secum esse*, etc. H. e. Grævius inquit, se et suam mentem curare, neglectis inanibus studiis et voluptatibus populi, quod Persio, Satir. IV, 52, est: « Tecum habita; noris, quam sit tibi curta supellex! » Gern.

21. *C. Gallum.* C. Sulpicium Gallum, qui plurimum valuit in astrologia, ut est in Offic. lib. I, cap. 6. Stipendia fecit in exercitu Æmilii Paulli, bello Macedonico. Facc. — Cf. Liv. XLIV, 37. Gern.

22. *Aliquid describere.* De rebus astronomicis sermo est: pertinet itaque *describere* ad res cælestes earumque figuras. Vide Virgil. Æneid. VI, 850: « cælique meatus Describent radio ». Gern.

ante prædicere? Quid in levioribus studiis[23], sed tamen acutis? quam gaudebat bello suo Punico Nævius[24]! quam Truculento Plautus! quam Pseudolo! Vidi etiam senem Livium[25]: qui quum sex annos ante, quam ego natus sum, fabulam docuisset, Centone Tuditanoque[26] consulibus, usque ad adolescentiam meam processit ætate. Quid de P. Licinii Crassi[27], et pontificii, et civilis juris studio loquar? aut de hujus P. Scipionis[28], qui his paucis diebus pontifex maximus factus est? Atqui eos omnes, quos commemoravi, his studiis flagrantes senes vidimus. M. vero Cethegum[29], quem recte «Suadæ medullam» dixit Ennius, quanto studio exerceri in dicendo videbamus[30], etiam senem? Quæ sunt igitur epularum, aut ludorum, aut scorto-

23. *Levioribus studiis*. Intelligit ea, quæ ad vitæ necessitatem et utilitatem minus conferunt, quam mathematica, sed tamen subtilia sunt, acutique ingenii, quæ *acuta* dicit, ut de Natur. Deor. I, 22, 60. Gern.

24. *Nævius*. Bellum Punicum primum, in quo teste Gellio Noctt. Att. VII, 21, militaverat, versibus descripsit. Mortuus est (vid. Brut. cap. 15), M. Corn. Cethego et P. Tuditano coss. a. U. 549. Plautus viginti annis post illos consules mortuus est, Catone censore. Gern.

25. *Livium*. Andronicum, de quo Tusc. I, 1. Facc. — Cf. Val. Max. II, 4, 4. Euseb. in Chron. refert, Livium dictum esse a M. Livio Salinatore, a quo fuerat manumissus. Gern.

26. *Centone Tuditanoque*. C. Claudius Appii Cæci F. Cn. N. Centho et M. Sempronius C. F. M. N. Tuditanus consules fuerunt anno U. 513. Cato autem natus est anno U. 519. Vide cap. 5, 14. In paucis libris male legitur *Cethego*. Gern.

27. *Licinii Crassi*. Vid. ad cap. 9, 27. Gern.

28. *P. Scipionis*. Nasicæ. Facc. — Cognomine *Corculi*. Consul fuit a. U. 591 cum C. Figulo. Pontifex max. a. U. 603. Vide Orat. III, 33, et Wetzel. Excurs. 8, 3. Drakenborch. in dictat. ad h. l. intelligit Corculi filium P. Corn. Scipionem Nasicam Serapionem, nepotem P. C. Scipionis Nasicæ, qui vir optimus a senatu judicatus est, pronepotem C. Corn. Scipionis, qui cum fratre suo P. C. Scipione in Hispania periit. At hic pontifex max. T. Gracchum interemit a. U. 620, consulque fuit an. U. 604, cum Dec. Bruto. Non potuit igitur an. U. 603, in quem hic dialogus incidit, senex appellari. Gern.

29. *Cethegum*. In Bruto, cap. 15. Facc. — Nonnulli codd. male *Centonem*. De M. Cornelio Cethego cos. a. U. 549, vid. cap. 4 pr. Brut. l. l. Gern.

30. *In dicendo videbamus*. Cato annis XI post Cethegum consul fuit.

rum voluptates cum his voluptatibus comparandæ? Atque hæc quidem studia doctrinæ. Quæ quidem prudentibus et bene institutis pariter cum ætate crescunt: ut honestum illud Solonis sit, quod ait versiculo quodam, ut ante dixi, senescere se, multa in dies addiscentem; qua voluptate animi nulla certe potest esse major.

XV. Venio nunc ad voluptates agricolarum[1], quibus 51
ego incredibiliter delector: quæ nec ulla impediuntur senectute, et mihi ad sapientis vitam proxime videntur accedere. Habent enim rationem cum terra, quæ numquam recusat imperium, nec umquam sine usura reddit, quod accepit; sed alias minore, plerumque majore cum fœnore. Quamquam me quidem non fructus modo, sed etiam ipsius terræ vis ac natura delectat[2]: quæ quum gremio[3] mollito ac subacto semen sparsum excepit; primum id occæcatum[4] cohibet; ex quo occatio, quæ hoc efficit, nominata est: deinde tepefactum vapore et compressu suo diffundit, et elicit herbescentem ex eo viriditatem; quæ nixa fibris stirpium, sensim adolescit, culmoque[5] erecta

XV. 1. *Voluptates agricolarum*. Sermonis familiaritati hoc tribuendum est, quod Cicero explicatius (usque ad cap. 17, 60) quam de reliquis voluptatum generibus disserit de agricultura, qua ipse maxime delectatur, qua de Offic. I, 42 extr. dicit esse omnium rerum, ex quibus aliquid acquiratur, nihil melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius, ut Xenoph. Œconom. cap. 5. Columella præfat. eam fecit sapientiæ consanguineam. Gern.

2. *Delectat*. Cf. Plut. ad Cat. Maj. cap. 21, 25. Gern.

3. *Gremio*. A matre translato hoc vocab. poetarum more ut aliis tropicis vocibus in hac quidem de agricultura disputatione usus est, quippe qua animus senis in primis commotus videretur. Virg. Georg. lib. II, c. 326. Gern.

4. *Occæcatum*. Hinc per syncopen *occare* et *occatio*. Occæcatur autem semen, quum, glebis comminutis, pulvere tegitur. Facc. — Columell. II, 2. Ciceroni assentiuntur Sext. Pompeius et Nonius Marcellus; Varro de Re Rust. I, 21, et Verrius vocem ducunt ab *occædendo*. Vide Victor. Var. Lect. II, 23, et XXXIV, 12. Gern.

5. *Culmoque*. Al. *calamoque*. Facc. — Nonius s. v. *spica* habet *calamoque*. Ad Virg. Georg. I, 321, Ser-

geniculato, vaginis jam quasi pubescens includitur;
e quibus quum emerserit, fundit frugem spici, ordine
structam, et contra avium minorum morsus munitur
52 vallo aristarum. Quid ego vitium satus, ortus, incre-
menta commemorem? Satiari delectatione non pos-
sum; ut meæ senectutis requietem[6] oblectamentumque
noscatis. Omitto enim vim ipsam omnium, quæ gene-
rantur e terra; quæ ex fici tantulo grano, aut ex acino
vinaceo[7], aut ex ceterarum frugum ac stirpium minu-
tissimis seminibus tantos truncos ramosque procreat:
malleoli[8], plantæ, sarmenta, viviradices[9], propagines,
nonne ea efficiunt, ut quemvis cum admiratione de-
lectent? Vitis quidem, quæ natura caduca est, et nisi
fulta sit, ad terram fertur, eadem, ut se erigat, cla-
viculis suis, quasi manibus, quidquid est nacta, com-
plectitur: quam serpentem multiplici lapsu et erratico,
ferro amputans coercet ars agricolarum, ne silvescat
53 sarmentis, et in omnes partes nimia fundatur. Itaque
ineunte vere in iis, quæ relicta sunt, exsistit tamquam

vius, « culmus est, inquit, ipse calamus, stipulæ vero folia, quæ ambiunt culmum ». Gern.

6. *Requietem*. Al. *quietem*. Facc. — Drakenborchius in dictat. ad h. l. monet, forma *requietem* æque ac *requiem* Ciceronem delectatum esse. Gern.

7. *Acino vinaceo*. Casaubonus ad Sueton. Aug. cap. 76, *acinum* negat notare Latinis veteribus *nucleum*, qui Græcis dicatur τὸ γίγαρτον : acinum esse ipsam baccam, sive granum uvæ, cujus partes sint folliculus, succus, caro, nucleus : nucleum autem non acinum appellari in uvis. Columellam et eum sequutum Palladium nucleos etiam *vinacia* vocare nove, quum vinacia potius sint στέμφυλα. Contra Drakenborchius in dict. ad h. l. monet, acinum etiam granum, nucleum baccæ notare, constare ex collatione locorum Plin. Hist. Nat. VII, 7, ubi tradat, Anacreontem poetam acino uvæ passæ strangulatum periisse, et Val. Maxim. IX, 12, 8, unius grani pertinaciore in aridis faucibus humore. Gern.

8. *Malleoli*. Columella, III, 9: « Malleolus novellus est, palmes innatus prioris anni flagello, cognominatusque a similitudine rei, quod in ea parte, quæ deciditur ex vetere sarmento, prominens utrinque malleoli speciem præbet ». Gern.

9. *Viviradices* Columella interpretatur plantas, quæ jam radices habent. Gern.

ad articulos sarmentorum ea, quæ gemma dicitur: a qua oriens uva sese ostendit; quæ et succo terræ, et calore solis augescens primo est peracerba gustatu, deinde maturata dulcescit; vestitaque pampinis, nec modico tepore caret, et nimios solis defendit ardores. Qua quid potest esse quum fructu lætius, tum adspectu pulchrius? cujus quidem non utilitas me solum, ut ante dixi, sed etiam cultura, et ipsa natura delectat: adminiculorum ordines, capitum jugatio[10], religatio[11] et propagatio vitium, sarmentorumque ea, quam dixi, aliorum amputatio, aliorum immissio[12]. Quid ego irrigationes? quid fossiones agri, repastinationesque[13]
proferam, quibus fit multo terra fœcundior? Quid de 54
utilitate loquar stercorandi? dixi in eo libro[14], quem de rebus rusticis scripsi: de qua doctus Hesiodus ne verbum quidem fecit[15], quum de cultura agri scri-

10. *Jugatio.* Alii, *conjugatio*. De tota hac vitis cultura vide omnino librum Columellæ quartum. Facc. — Hinc «jugata vinea, jugatæ vites», in jugum erectæ. Jugum enim, Græv. monere pergit, in vineis dicebantur perticæ humi defixæ, quibus aliæ imponebantur superius transversæ, ad instar jugi militaris, de quo vide Varronem de Re Rust. lib. I, cap. 17 et 19. Gern.

11. *Religatio*, quam Columell. IV, 13, *alligationem* vocat. De *propagatione* vitium vide Columellam, IV, 15. Gern.

12. *Aliorum immissio.* Quum virga edita a matre sulco committitur, ut ait Columella de Arboribus, cap. 7. Facc. —Scilicet in sulcum, ut radices agat et deinde resectum novam vitem efficiat. Ern.

13. *Repastinationes.* Quomodo terra rescindi debeat pastinando et repastinando, præsertim ad vineta conserenda, vide Columellam, III, 11 et seq. Facc.

14. *In eo libro.* Qui nunc exstat, cujus Plutarchus mentionem facit in Cat. Maj. cap. 25. Gern.

15. *Hesiodus ne verbum quidem fecit.* Si intelligit Ἔργα καὶ Ἡμέρας, mirum est, solam stercorationem a Catone desiderari, quum omnia fere ab his libris absint, quæ in libris de Re Rust. qui Catoni tribuuntur, pertractata sunt. Probabile est igitur id, quod Dan. Heinsius in Introduct. in Opera et Dies Hesiodi, cap. 4, monuit: Ciceronem h. l. non hunc librum Hesiodi intellexisse, sed alios de Agricultura, in quibus non plantatio desideraretur, ut in Ἔργοις καὶ Ἡμ. sed una stercorandi ars prætermissa esset. Quorum librorum argumentum, Manilii testimonio, erat plantatio et propagatio vineæ, arborum insitio, tum quæ loca his vel illis commoda sint, vel incommoda. Gern.

beret. At Homerus, qui multis[16], ut mihi videtur, ante sæculis fuit, Laertem lenientem desiderium, quod capiebat e filio, colentem agrum, et eum stercorantem facit[17]. Nec vero segetibus solum, et pratis, et vineis, et arbustis res rusticæ lætæ sunt, sed etiam hortis et pomariis; tum pecudum pastu, apium examinibus, florum omnium varietate. Nec consitiones[18] modo delectant, sed etiam insitiones; quibus nihil invenit agricultura solertius.

55 XVI. Possum persequi multa oblectamenta rerum rusticarum; sed ea ipsa, quæ dixi, fuisse sentio longiora. Ignoscetis autem : nam et studio rerum rusticarum provectus sum[1], et senectus est natura loqua-

16. *Homerus, qui multis*, etc. Huic Ciceronis sententiæ non magis confidendum est, quam Velleii Pat. I, 7, qui, circiter annis 120, antiquiorem tradit, Varronis, et Accii apud Gellium, Noct. Att. III, 4, et XVI, 21; Sexti Empirici contra Mathemat. et Tzetzæ in proleg. ad Lycoph. Cassand. aliorumque ab illa ætate remotiorum, quos Harlesius ad Fabric. Bibliothecam græc. I, pag. 567, recensuit. Gern.

17. *Et eum stercorantem facit.* Odyss. Ω, vs. 225, ubi Ulysses, necatis procis, patrem Laertem deprehendit : Τὸν δ' οἶον πατέρ' εὗρεν ἐϋκτιμένῃ ἐν ἀλωῇ Λιστρεύοντα φυτόν. Et v. 241: Ἤτοι ὁ μὲν κάτ' ἔχων κεφαλὴν, φυτὸν ἀμφελάχαινε. « Non stercorantem, inquit C. Langius, ἀλλὰ λιστρεύοντα καὶ ἀμφιλαχαίνοντα τὸ φυτὸν, hoc est, *purgantem et ablaqueantem arbores*, inducit Laertem, Odyss Ω, memoriæ lapsu; nisi et seni et Catoni, ut illo sæculo, rerum græcanicarum ignorationem aliquam concedamus; vel certe aliter in Homero lectum fuerit, quam nostra nunc habent exemplaria ». Leviter Ciceronem Homeri locum inspexisse Wetzelio non videtur verisimile. Probabile esse, Laertem ideo arbores circumfodisse visum esse Ciceroni, ut stercus immittere posset. Ipsam stercorationem potuisse demonstrari Odyss. P, 297. Gern. — Vide de hoc loco disputantem Gulielm. Budæum, lib. V de asse; Brodæum, Miscell. VI, 13, et Victor. Var. Lectt. XXVIII, 4, qui Ciceronem tuetur.

18. *Consitiones*. Non modo conserere jucundum est, sed etiam inserere : atque hoc alterum summam solertiam agricolæ et industriam ostendit. Facc.

XVI. 1. *Studio rerum rust. provectus sum*. Ernest. ut Drakenborch. in dictat. interpretatur : longior factus sum in hoc argumento. Contra Wetzelius explicat : provectus sum (*ætate*), ut 4, 10, ubi *ætate* additum est. Intelligit V. D. a juventute ad senectutem rerum rust. studio sum ductus, ut prima causa, cur sibi velit ignosci, sit, quod a pueritia hoc studium coluerit. Vis vero est in vocab. *studio* rer. rust. Verbum *provectus sum* inser-

cior : ne ab omnibus eam vitiis videar vindicare. Ergo in hac vita M'. Curius [2], quum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphasset, consumpsit extremum tempus ætatis : cujus quidem villam ego contemplans (abest enim non longe a me), admirari satis non possum vel hominis ipsius continentiam [3], vel temporum disciplinam [4]. Curio ad focum sedenti, magnum auri pondus Samnites quum attulissent, repudiati ab eo sunt. Non enim aurum habere, præclarum sibi videri dixit; sed iis, qui haberent aurum, imperare. Pote- 56
ratne tantus animus non jucundam efficere senectutem?

Sed venio ad agricolas, ne a me ipso recedam. In agris erant tum senatores, et iidem senes : siquidem aranti [5] L. Quintio Cincinnato nuntiatum est, eum dictatorem esse factum; cujus dictatoris jussu magister equitum C. Servilius Ahala Sp. Mælium, regnum appetentem, occupatum [6] interemit. A villa in senatum arcessebantur et Curius, et ceteri senes : ex quo, qui eos arcessebant, viatores [7] nominati sunt. Num igitur

vit nexui. Nam studium rer. rust. me traxit, effecit, ut longior essem, ut Fin. III, 22, 74. Gern.

2. *Curius*. Cf. Auct. libri de Viris illustr. cap. 33. Vid. Flor. I, 15; Liv. Epit. XI. Pyrrhum a Curio ex Italia pulsum esse narrat Plutarchus, Cat. Maj. cap. 2, et Valerius Maximus, IV, 3, 5. Gern.

3. *Hominis ipsius continentiam*. Quam Drakenborchius in dictat. monet opponi non libidinibus, sed avaritiæ et concupiscentiæ, ut Justin. XVIII, 2, 8. Gern.

4. *Vel temporum disciplinam*. H. e. Grævius inquit, temporum illorum rationem, consuetudinem, et quasi legem, quæ ab omnibus servabatur. Sic et Justinus loquitur lib. XXXVI, cap. 2. Gern.

5. *Aranti*. Columella in Præfat. lib. I, Quintius Cincinnatus ab aratro vocatus ad dictaturam. Facc. — Dictator primum dictus est L. Quint. Cincinnatus an. Urb. 296. Vid. Liv. III, 26. Servilius Ahala Mælium interemit in secunda Cincinnati dictatura an. Urb. 315. Vid. Liv. IV, 13 et 14. Cicero temporum diversitatem neglexit. Gern.

6. *Occupatum*. Quum occupasset, atque oppressisset, antequam cogitata perficeret. Facc. — Dictatoris autem jussu Servilius Mælium vocaverat; vid. Liv. l. l. 14 : ob interemptum tamen, quum fugisset, laudatus a dict. est. Gern.

7. *Viatores*. Vulgo *fanti*. Facc. — Vid. Præfat. Columell. § 19; Plin. H. N. XVIII, 3. Burmanno ad Petron.

eorum senectus miserabilis fuit, qui se agri cultione oblectabant? Mea quidem sententia, haud scio, an ulla beatior esse possit: neque solum officio, quod hominum generi universo cultura agrorum est salutaris, sed et delectatione, quam dixi[8], et saturitate, copiaque omnium rerum, quæ ad victum hominum, ad cultum etiam deorum pertinent: ut, quoniam hæc quidam[9] desiderant, in gratiam[10] jam cum voluptate redeamus. Semper enim boni assiduique[11] domini referta cella vinaria, olearia, etiam penaria est, villaque tota locuples est; abundat porco, hædo, agno, gallina, lacte, caseo, melle. Jam hortum ipsi agricolæ succidiam alteram[12] appellant: tum conditiora facit hæc supervacanei etiam operis aucupium atque venatio.
57 Quid de pratorum viriditate, aut arborum ordinibus, aut vinearum olivetorumque specie dicam? Brevi præcidam. Agro bene culto nil potest esse, nec usu uberius, nec specie ornatius: ad quem fruendum non modo non retardat, verum etiam invitat atque allectat senectus. Ubi enim potest illa ætas, aut calescere vel apricatione[13]

Satir. cap. 97, monente, apud scriptores vett. consulibus, dictatorib. et prætorib. præter lictores viatores apparebant; minores magistratus tantum viatores habebant; nec vocandi solum et nuntiandi, sed etiam vinciendi vim habuisse apparet e Liv. II, 56. Viatores non fuisse servos docet Tacit. Ann. XVI, 12, et Gell. Noct. Att. XII, 3. Gern.

8. *Quam dixi.* Supra cap. 15 pr.

9. *Quidam.* Sc. Epicurei qui voluptati summam, Peripatetici qui ei locum dant.

10. *In gratiam.* Comp. c. 14, 46. Gern.

11. *Assidui.* Drakenborch. in dictat. ad h. l. monet hæc: « Quidam vocab. hoc deducunt ab *assidere*, quidam ab *adesse;* verum quum *assiduus* proprie idem notat ac locuples, melius est ut dicamus, assiduum vocari, qui *assem duit*, pecuniam det; ita Cic. Top. cap. 2 extr. quoniam autem locupletes s. assidui in negotiis publicis fere aderant, atque ea diligenter agebant, hinc etiam assiduus ponitur pro eo, qui fere adest, qui aliquid diligenter curat. Vid. Charis. Grammat. p. 58 ». Gern.

12. *Succidiam alteram.* Ex horto enim in usus quotidianos herbæ succiduntur, ut e carne suilla sale ac fumo durata. Vid. Varro, R. R. II, 4, 3, 10 et 11. Gern.

13. *Apricatione.* Non omnis locus

melius, vel igni, aut vicissim umbris aquisve refrigerari salubrius? Sibi igitur habeant arma, sibi equos, sibi 58
hastas, sibi clavam, sibi pilam[14], sibi natationes, et cursus; nobis senibus ex lusionibus multis talos relinquant[15], et tesseras: id ipsum utrum lubebit, quoniam sine his beata esse senectus potest.

XVII. Multas ad res perutiles Xenophontis libri 59
sunt. Quos legite, quæso, studiose, ut facitis. Quam copiose ab eo agricultura laudatur in eo libro, qui est de tuenda re familiari, qui Œconomicus inscribitur? Atque ut intelligatis, nihil ei tam regale videri, quam studium agri colendi, Socrates in eo libro loquitur cum Critobulo[1], Cyrum minorem[2], regem Persarum, præstantem ingenio atque imperii gloria, quum Lysander Lacedæmonius, vir summæ virtutis[3], venisset

(vide Salmasium ad Solin. p. 990), soli expositus, sed is demum ex latine loquentium usu dicitur *apricus*, qui soli tepido, leni, temperato, non torrentissimo patet. Ad Attic. VII, 11: « unam mehercule apricationem in illo Lucretino tuo sole malim, quam omnia istiusmodi (Cæsaris) regna ». Gern.

14. *Sibi pilam*. Pith.-Græv. 1, *sibi pila*, scil. militum romanorum, quibus juvenes exercebantur ad gravis armaturæ usum æque ut clava. Vulgatam tamen præfero huic. Græv. — Turnebus, Advers. XIII, 6, militaris genus exercitationis commemorari existimat, quo se ad palum gravi clava numeros omnes armaturæ implentes exercebant, de qua re Veget. de Re milit. I, cap. 11; Plaut. Rud. III, 4, 16. Barker in Museo crit. tom. V, Cantabr. 1815, p. 306, *pilum* scribi vult post Salmasium et Casaub. Gern.

15. *Talos relinquant*. Vid. Sueton. Aug. cap. 71. Ad quem loc. vid. Casaub. Meursius de lud. græc. in voc. ἀστραγαλισμὸς, et in κυβεία. Tali habebant quatuor latera, in quibus consistere poterant; tesseræ erant cubi sex laterum. Talis ludentes habebant quatuor talos; qui tesseris, tres tantum tesseras. Gern.

XVII. 1. *Critobulo*. De Critobulo vid. Xenoph. Memor. II, 6, et Sympos. Gern.

2. *Cyrum minorem*. Darii Nothi filium, cujus expeditionem Xenophon scripsit, ut *Cyri majoris* (de quo cap. 22) disciplinam. Latiore sensu regis filius *rex Persarum* dicitur, ut βασιλεὺς, vid. quæ Bachius ad Xenoph. Œcon. cap. 4, 16, notavit. De Cyri min. virtutibus vid. Anab. I, 9.

3. *Vir summæ virtutis*. Corn. Nepos non virtutem ejus laudat, sed felicitatem. Facit præterea avarum, perfidum, crudelem. Facc. — Cicero eumdem de Offic. I, 30, versutissimum et patientissimum dicit, dum quæ vellet consequeretur. Gern.

ad eum Sardis[4], eique dona a sociis attulisset, et ceteris in rebus comem erga Lysandrum atque humanum fuisse, et ei quemdam conseptum agrum[5], diligenter consitum ostendisse. Quum autem admiraretur Lysander et proceritates arborum, et directos in quincuncem[6] ordines, et humum subactam atque puram, et suavitatem odorum, qui afflarentur e floribus: tum dixisse, mirari se non modo diligentiam, sed etiam solertiam ejus, a quo essent illa dimensa atque descripta; et ei Cyrum respondisse: Atqui ego omnia ista sum dimensus; mei sunt ordines, mea descriptio; multæ etiam istarum arborum mea manu sunt satæ. Tum Lysandrum intuentem ejus purpuram, et nitorem corporis, ornatumque Persicum multo auro, multisque gemmis, dixisse: Recte vero te, Cyre, beatum ferunt, quoniam virtuti tuæ fortuna conjuncta est[7].

60 Hac igitur fortuna frui licet senibus; nec ætas impedit, quo minus et ceterarum rerum, et in primis agri colendi studia teneamus usque ad ultimum tempus senectutis. M. quidem Valerium Corvum[8] acce-

4. *Sardis*. Sedes Satraparum Lydiæ, cui a patre Cyrus præfectus erat. Vid. Plutarch. Lysand. cap. 9. Gern.

5. *Conseptum agrum*, etc. Xenoph. l. l. τὸν ἐν Σάρδεσι παράδεισον, quod vocab. Persicum illustrat ipse Xen. OEc. cap. 4, 13, et Fischerus ad Cyroped. I, 3, 14. Liberius Cicero vertit, quæ apud Xenoph. sequuntur, ἐθαύμαζεν, ὡς καλὰ μὲν τὰ δένδρα εἴη, « proceritates arborum »; alia prætermisit, alia contractius dixit, alia addidit, ut « humum... puram ». Gern.

6. *In quincuncem*. Arbores quincunciali ordine dispositæ, undecumque spectentur, figuram referunt illius notæ, quæ apud Latinos quinque significat, V. Ordo hic in arboribus conserendis ab omnibus rei rusticæ scriptoribus summopere laudatur. Facc. — Quintil. VIII, 3, 9. Nam et in ordinem certaque intervalla redigam meas arbores. Quid illo quincunce speciosius, qui in quamcumque partem spectaveris, rectus est. Comp. Colum. III, 13, 4, et 15, 1. Varr. R. R. I, 7, 2. Gern.

7. *Quoniam virtuti tuæ fortuna conjuncta est*. Mallem, « quoniam fortunæ tuæ virtus conjuncta est ». Philosopho erit hæc sententia dignior. Ac mihi quidem sic dicendum videtur Tullio, si græcum interpretari voluit.

8. *Corvum*. Vulgo legitur *Corvinum*.

pimus ad centesimum annum perduxisse, quum esset acta jam ætate in agris, eosque coleret; cujus inter primum et sextum consulatum sex et[9] quadraginta anni interfuerunt. Itaque quantum spatium ætatis majores nostri ad senectutis initium esse voluerunt, tantus illi cursus honorum fuit. Atque ejus extrema ætas hoc beatior, quam media, quod auctoritatis plus habebat, laboris vero minus. Apex[10] autem senectutis est auctoritas. Quanta fuit in L. Cæcilio[11] Metello? 61
quanta in Attilio[12] Calatino? in quem illud[13] elogium

Sed *Corvum* confirmat optimorum codd. consensus ap. Livium, VII, 26, 12, et Pigh. in Annal. ad ann. 405, quo M. Valerius Corvus primum consul fuit. Sextum gessit an. Urb. 454, ut reliquos superiores ejusdem seculi annis 407, 410, 418, 453. Gern.

9. *Sex et quadraginta*. Alii numerum augent, alii minuunt. Facc. — Secundum Livium, VII, 26, et Fastos Livio adjunctos, M. Valerius Corvus primum consulatum obtinuit cum M. Popilio Lenate, IV, an. Urb. 407, sextum sec. Liv. X, 11, an. Urb. 453, cum Q. Apuleio Pansa, inter quos annos intersunt anni XLV, aut anno sexto et quadragesimo post primum consulatum obtinuit sextum. Ad eumdem autem ætatis annum usque militare Romani cogebantur. Vid. Manut. ad h. l. Plinius, H. N. VII, 48, cum Cicerone consentit. Gern.

10. *Apex*. A summa parte vel virgula pilei sacerdotalis translatum vocab. denotat fastigium, vel quæ summa sunt, ut ap. Sil. Ital. I, 467, *apex hastæ*, et XII, 709, *montis apex*. Gern. — Vertit intp. gallicus, « L'autorité est la couronne de la vieillesse ».

11. *L. Cæcilio Metello*. De quo vid. c. 9 extr. Gern.

12. *Attilio Calat*. Wetzelius cum Ernestio in clav. Cic. M. Attilium Calatinum intelligit, qui consul fuit an. Urb. 495 et 499. Dictator an. Urb. 504. Is autem in Fastis Capitol. non M. Attil. cujus nulla singularis auctoritas fuit, sed A. Attilius Calatinus appellatur (vide interpretes ad Aurel. Vict. de Viris ill. cap. 39), cujus auctoritatem in dirimenda disceptatione C. Lutatii consulis et Q. Valerii prætoris de triumphi honore Valer. M. II, 8, 2, celebrat. Eumdem Aulum Attilium consulem effert Polybius, I, 24, cum collega C. Sulpicio (Paterculo e Fastis Capitol.), an. urb. 495, iterum cum Cn. Cornelio an. Urb. 498; vid. ibid. cap. 38. Omisso prænomine commemoratur hic idem ap. Liv. Epit. XVII et XIX, ut monet Drakenborch. in dictat. Gern.

13. *In quem illud elogium unicum*. *Unicum* est singulare elogium sive inscriptio. *Unicus magister* apud Sueton. in Valer. Catone, est singularis et præstantissimus, et *unicus imperator*, apud eumdem in Vespas. et *unice amare* Ciceroni, mirifice, præ aliis singulariter amare. *Elogium* est quævis inscriptio sive tabulæ, sive statuæ, titulus sepulcralis, epigramma. Sic inferius cap. 20 : « Solonis qui-

unicum : PLURIMÆ CONSENTIUNT GENTES[14], POPULI, PRIMARIUM FUISSE VIRUM. Notum est totum carmen, incisum in sepulcro. Jure igitur gravis, cujus de laudibus omnium esset fama consentiens. Quem virum P. Crassum[15], nuper pontificem maximum? quem postea M. Lepidum[16] eodem sacerdotio præditum, vidimus? Quid de Paullo, aut Africano[17] loquar? aut, ut jam ante, de Maximo? quorum non in sententia solum, sed etiam in nutu residebat auctoritas. Habet senectus, honorata præsertim[18], tantam auctoritatem, ut ea pluris sit, quam omnes adolescentiæ voluptates.

XVIII. Sed in omni oratione, mementote, eam me laudare senectutem, quæ fundamentis[1] adolescentiæ
62 constituta sit. Ex quo id efficitur (quod ego magno quondam cum assensu omnium dixi): Miseram esse senectutem, quæ se oratione[2] defenderet. Non cani,

dem sapientis elogium est ». H. e. Solonis sepulcri hæc est inscriptio. GRÆV.

14. *Plurimæ consentiunt gentes, populi.* J. V. L. interpungit post *populi*, quod nullus V. D. adhuc fecerat. — Idem observat eamdem fere inscriptionem videri in tumulo L. Cornelii Scipionis cos. ann. Urb. C. 494. Vid. *Piranesi, monum. degli Scipioni.* Rom. 1785. — Inscriptio, quæ sequitur, fuit in sepulcro Calatini ad portam Capenam. Vid. Tuscul. I, 7, 13.

15. *P. Crassum.* De quo respice cap. 9, 27. GERN.

16. *M. Lepidum.* M. Æmilius Lepidus bis consul fuit an. Urb. 566 et 578, secund. Fastos Capit. Wetzelius vero tradit an. Urb. 565 et 577. Pontifex Max. creatus est teste Livio, XL, 42, an. Urb. 573. Censor an. Urb. 574. Vid. Liv. ibid. cap. 45. In ejusdem Epit. XLVIII dicitur « princeps senatus ab sextis censoribus lectus »; tantaque ejus fuit auctoritas, ut a senatu ad Ptolemæi tutelam gerendam Alexandriam mitteretur. Vid. Valer. Max. VI, 6, 1. Mortuus autem erat ante, quam hic sermo haberetur; non ita multo post Catonis filium, de quo supr. cap. 6, 15, et 23, 84, et Liv. l. l. GERN.

17. *Paullo, aut Africano.* Æmilio Paullo Macedonico, Africano autem majore. FACC. — Vid. cap. 9, 29. — *De Maximo.* De Q. Fabio Maximo vid. c. 4.

18. *Honorata præsertim.* Honoribus functa. FACC.

XVIII. 1. *Quæ fundamentis.* Quæ adolescentiam laudabiliter actam consequatur. FACC. — Drakenborch. in dict. ad h. l. *constituta* interpretatur stabilita, firmata, ut pro Flacco, cap. 11, 25 : « cujus virtute regibus exterminatis libertas in republica constituta est ». GERN.

2. *Quæ se oratione*, etc. Quæ ver-

non[3] rugæ repente auctoritatem arripere possunt; sed honeste acta superior ætas fructus capit auctoritatis extremos. Hæc enim ipsa sunt honorabilia, quæ vi- 63
dentur levia atque communia : salutari[4], appeti[5], decedi[6], assurgi[7], deduci[8], reduci, consuli[9]; quæ et apud nos, et in aliis civitatibus, ut quæque optime morata, ita diligentissime observantur. Lysandrum Lacedæmonium, cujus modo mentionem feci, dicere aiunt solitum, Lacedæmone esse honestissimum domicilium senectutis. Nusquam enim tantum tribuitur ætati, nusquam est senectus honoratior. Quin etiam memoriæ proditum est, quum Athenis, ludis[10], quidam in theatrum grandis natu venisset, in magno consessu locum ei a suis civibus nusquam datum; quum autem ad Lacedæmonios accessisset, qui legati quum essent, in loco certo consederant, consurre-

bis et oratione ad sui defensionem indigeret, non factis, et memoria anteactæ vitæ se commendaret. Gern.

3. *Non cani, non rugæ.* Minus frequens substantivum hoc pro canitie. Præter Ovid. Fast. V, 57, canos et rugas junctum deprehendit Drakenb. apud Senecam in libro de Vit. beata, cap. 8. Gern.

4. *Salutari.* A tenuioribus tempore matutino hora diei prima et secunda. Vid. Martial. IV, 8, Gern. — Conf. Virg. Georg. II, 462.

5. *Appeti.* Ab iis, qui blande se applicabant ad potentiorem captandæ benivolentiæ causa. Vid. Cic. de Petitione consul. c. 8. Gern.

6. *Decedi.* De via declinabat privatus magistratui. Vid. Plaut. Trinum. II, 4, 8; Suet. Tiber. cap. 31 extr. Notandum tamen, ad hoc verbum et seq. *assurgi* intelligendum esse dativum, quum reliqui transitivorum infinitivi pass. nullam requirant casus notationem. Gern.

7. *Assurgi.* Sedentes privati in magistratuum honorem ad eos accedentium surgebant; vid. Liv. IX, 46, med. consuli senatores; Cic. in Pison. cap. 12 : juvenes senibus; Juven. Sat. XIII, v. 54. Gern.

8. *Deduci.* Vid. Cic. de Petitione consul. cap. 9; Tibull. I, 4, 80. Adde Valer. Max. II, 1, 9. A convivio quoque, Gellius inquit II, 15, seniores a minoribus domum deducebantur, eumque morem accepisse Romanos a Lacedæmoniis traditum est : apud quos Lycurgi legibus major rerum omnium honos majori ætati habebatur. Gern.

9. *Consuli.* Cic. Orat. I, 45 : « Senectuti vero celebrandæ et ornandæ quod honestius potest esse perfugium, quam juris interpretatio, etc. »

10. *Ludis.* Id est, Panathenaicis.

64 xisse omnes, et senem illum sessum recepisse. Quibus quum a cuncto consessu plausus esset multiplex datus, dixisse ex iis quemdam, Athenienses[11] scire, quæ recta essent, sed facere nolle. Multa in nostro collegio[12] præclara; sed hoc, de quo agimus, in primis, quod, ut quisque ætate antecedit, ita sententiæ principatum tenet; neque solum honore antecedentibus, sed iis etiam, qui cum imperio[13] sunt[14], majores natu augures anteponuntur. Quæ sunt igitur voluptates corporis cum auctoritatis præmiis comparandæ? quibus qui splendide usi sunt, ii mihi videntur fabulam ætatis peregisse[15], nec, tamquam inexercitati histriones, in extremo actu corruisse.

65 At sunt morosi[16], et anxii, et iracundi, et difficiles senes; si quærimus, etiam avari. Sed hæc morum vitia sunt, non senectutis. Ac morositas tamen, et ea

11. *Athenienses scire.* Cf. Demosthenes de Rhodior. libert. init. Cf. Olynth. III, 29, 12, ed. Reisk. Gern.

12. *Collegio præclara.* Augurum. Facc. — Ut ipse, cap. 11, dixit se jus augurum tractare, ita mox augures appellat. Gern.

13. *Cum imperio.* Cui alias quantum tribuerint, illustre est Fabii senis exemplum (ap. Plutarchum, cap. 24). Gern.

14. *Qui cum imperio sunt.* Cum imperio (militari) proprie sunt, quibus a populo belli gerendi potestas data est : quamquam Cicero non ubique hujus formulæ usum servat, ut Philipp. I, 7 : « Ecquid est, quod tam proprie dici possit actum ejus, qui togatus in republica cum potestate imperioque versatus sit, quam lex? » Neque hoc l. videtur imperii notio premenda, sed consules intelliguntur, iique, qui habebant jus in judicium vocandi, oppositis magistratibus minoribus. Gern.

15. *Fabulam ætatis peregisse.* Tamquam poetæ boni. Facc. — Ut supra c. 2, 5, ætates vitæ a natura descriptas cum fabulæ actibus a poeta constitutis comparat, sic h. l. senem cum histrione fabulam peragente. Cf. cap. 23 extr. et ad Q. Fratr. I, 1, 16. Gern.

16. *At sunt morosi*, quibus nemo satisfacit ; *anxii* instantibus malis trepidant ; solliciti futura vehementer metuunt. Vid. de Fin. II, 17, 55. Mirum, quod *difficiles* postposuit, quum Orat. c. 29, morositatis vitium videatur pro majore habere : « In quo tantum abest, ut nostra miremur, ut usque eo difficiles ac morosi simus, ut nobis non satisfaciat ipse Demosthenes ». Nimirum nostro loco intelligit, qui rogantibus negare solent, et nimis parci sunt, vel avari. Comp-

vitia, quæ dixi, habent aliquid excusationis, non illius quidem justæ, sed quæ probari posse videatur. Contemni se putant, despici, illudi. Præterea in fragili corpore odiosa omnis offensio[17] est. Quæ tamen omnia dulciora sunt et moribus bonis, et artibus; idque tum in vita, tum in scena intelligi potest ex iis fratribus, qui in Adelphis[18] sunt. Quanta in altero duritas, in altero comitas! Sic se res habet: ut enim non omne vinum, sic non omnis ætas vetustate coacescit. Severitatem in senectute probo, sed eam (sicut alia) modicam; acerbitatem nullo modo. Avaritia vero senilis quid sibi velit, non intelligo. Potest enim quid- 66
quam esse absurdius, quam, quo minus viæ restat[19], eo plus viatici quærere?

XIX. Quarta restat causa, quæ maxime angere, atque sollicitam habere nostram ætatem videtur, appropinquatio mortis: quæ certe a senectute non potest longe abesse. O miserum senem, qui, mortem contemnendam esse, in tam longa ætate non viderit! quæ aut plane negligenda est, si omnino exstinguit animum; aut etiam optanda, si aliquo eum deducit, ubi sit futurus æternus. Atqui tertium certe nihil inveniri potest. Quid igitur timeam, si aut non miser 67

Horat. de Arte poet. v. 169 sqq. Gern.

17. *Odiosa offensio*. Quælibet offensio vel exigua magnum sui sensum et molestiam excitat in corpore imbecillo. Facc.

18. *Adelphis*. Ex Terentio. Facc. — Cf. I, 1, 18 sqq. Gern.

19. *Restat*. Ernesti legi vult *restet*, cui non obsequutus est Wetzelius, neque Schützius. At senes avari non opes quærunt, quod non multum viæ restare putant; immo obliti mortis appropinquationem, multum sibi superesse opinantur temporis: nec quærunt eo consilio, ut... restet. Sed verba « quo minus viæ restat » ejus sunt, qui temeritatem hominum notat. Nec vero hæc est obliquæ orationis ratio, ut quamcumque interpositam enuntiationem relativam jubeat efferri per conjunctivum, nisi ex ejus mente dicatur, cujus est oblique expressa sententia. Hoc autem loco infinitivus *quærere* ne obliquam quidem reddit orationem, sed nominativi locum sustinet. Proverbium est, « Exacta via viaticum quærere »; quod vide apud Erasmum. Gern.

post mortem, aut beatus etiam futurus sum? quamquam quis[1] est tam stultus, quamvis sit adolescens, cui sit exploratum, se ad vesperum esse victurum? Quin etiam ætas illa multo plures, quam nostra, mortis casus habet: facilius[2] in morbos incidunt adolescentes; gravius ægrotant; tristius[3] curantur. Itaque pauci veniunt ad senectutem: quod ni ita[4] accideret, melius[5] et prudentius viveretur. Mens enim, et ratio, et consilium in senibus est: qui si nulli fuissent, nullæ omnino civitates[6] essent. Sed redeo ad mortem impendentem. Quod illud est crimen senectutis, quum
68 illud videatis cum adolescentia esse commune? Sensi ego quum in optimo filio meo, tum in exspectatis ad amplissimam dignitatem fratribus tuis[7], Scipio, omni ætati mortem esse communem.

XIX. 1. *Quamquam quis.* Quum mortis timorem dilueret, videbatur hoc largiri, mortem esse seni propiorem, quam reliquis ætatibus. Quare addit: « Quamquam quis, etc. » hoc sensu: Quamquam ne illud quidem verum est, senectutem propius a morte abesse, quam adolescentiam. Quis enim est tam stultus, etc. Cf. quæ notavi ad Offic. II, 12, 43. Gern.

2. *Facilius.* Drakenborch. in dictat. monet, hæc hausta esse ex Hippocrate, I, 350, de ratione victus, et sequentia ex eod. de morbis, I, 456. Gern.

3. *Tristius.* Difficilius et molestius, ut Nonius interpretatur. Facc. — Difficilius, recte! Manutius dubitat, difficultatem intelligat ob morbi vehementiam, cui remedia extrema sunt adhibenda, an adolescentis jacturam, a quo sperari possint plurima. Quod quidem est ad vulgarem vocis *tristius* significationem aptius, non item ad sequentia « Itaque pauci ven. ad s. »

4. *Quod ni ita accideret.* I. e. nisi plerique ante senectutem morerentur, essetque adeo major senum numerus. Ern.

5. *Melius.* Non est per se felicius, ut Wetzelius interpretatur, sed honestius. Honestatis et prudentiæ plus esset, quam temeritatis, quæ est adolescentium. Vid. c. 16 extr. Gern.

6. *Nullæ civitates.* Homines enim consociati sunt in civitates consilio et prudentia seniorum. Facc. — Vid. cap. 6 extr.

7. *Fratribus tuis.* Filiis Æmilii Paulli, qui summam de se exspectationem moverant. De his Velleius Paterc. lib. I, c. 10. Facc. — L. Paullo, inquit Velleius, magnæ victoriæ compoti quatuor filii fuere. Ex his duos natu majores, unum P. Scipioni, P. Africani filio, in adoptionem dederat; alterum Fabio Maximo: duos minores natu, prætextatos, quo tempore victoriam adeptus est, habuit ...alterum ex suis, quos in familia

At sperat adolescens, diu se victurum; quod sperare idem senex non potest. Insipienter sperat. Quid enim stultius, quam incerta pro certis habere, falsa pro veris? Senex, ne quod speret quidem, habet. At est eo meliore conditione, quam adolescens; quum id, quod ille sperat, hic jam consequutus est. Ille vult diu vivere; hic diu vixit. Quamquam, o dii boni! quid est in hominis vita diu [8]? Da enim supremum tempus; exspectemus Tartessiorum regis ætatem : fuit 69
enim (ut scriptum video) Arganthonius quidam Gadibus, qui octoginta regnavit annos, centum et viginti vixit; sed mihi ne diuturnum quidem quidquam videtur, in quo est aliquid extremum. Quum enim id advenit, tunc illud, quod præteriit, effluxit; tantum remanet, quod virtute, et recte factis consequutus sis. Horæ quidem cedunt, et dies, et menses, et anni; nec præteritum tempus umquam revertitur, nec, quid sequatur, sciri potest. Quod cuique temporis ad vivendum datur, eo debet esse contentus. Neque enim histrioni, ut placeat, peragenda est fa- 70
bula [9], modo, in quocumque fuerit actu, probetur; neque sapienti usque ad «Plaudite» vivendum [10]. Breve enim tempus ætatis satis est longum ad bene honesteque vivendum. Sin processeris longius, non magis dolendum est, quam agricolæ dolent, præterita verni temporis suavitate, æstatem, autumnumque venisse.

retinuerat, liberis ante paucos triumphi, alterum post pauciores amisit dies. Gern.

8. *Quid est... diu.* Ipse illud, quod dixit «hic diu vixit», reprehendit, ut Tusc. I, 39. Gern.

9. *Est fabula, modo, in quoc.* Int. et histrio placere potest qui personam suam decore expressit, quamquam in extremo actu fabulæ non appareat et sapiens, etc.

10. *Ad Plaudite vivendum.* Facc. scribit *veniendum*, qui notat : Per vocem hanc, quæ fabulam claudit, extremam significat senectutem; ad quam non est necesse sapientem pervenire, ut sapienter vixisse videatur. — Cf. Anton. εἰς ἑαυτόν, XII, 36.

Ver enim tamquam adolescentiam significat, ostenditque fructus futuros : reliqua tempora demetendis
71 fructibus et percipiendis accommodata sunt. Fructus autem senectutis est (ut sæpe dixi) ante partorum bonorum memoria et copia. Omnia vero, quæ secundum naturam fiunt, sunt habenda in bonis[11]. Quid est autem tam[12] secundum naturam, quam senibus emori? quod idem contingit adolescentibus, adversante et repugnante natura. Itaque adolescentes mori sic mihi videntur, ut quum aquæ multitudine vis flammæ opprimitur; senes autem, sicut sua sponte, nulla adhibita vi[13], consumptus ignis exstinguitur. Et quasi poma ex arboribus, si cruda sunt, vi avelluntur; si matura et cocta, decidunt : sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas; quæ mihi quidem tam jucunda est, ut, quo propius ad mortem accedam, quasi terram videre videar, aliquandoque in[14] portum ex longa navigatione esse venturus.

72 XX. Omnium ætatum certus est terminus[1]; senectutis autem nullus [certus est terminus]; recteque in ea vivitur, quoad munus officii exsequi et tueri possis, et tamen mortem contemnere[2]. Ex quo fit, ut ani-

11. *Sunt habenda in bonis*. Sic non Stoici loquebantur, sed Peripatetici, quorum sententiam Catoni tribuere non dubitat, quum hæc sententia sermoni familiari immisceretur. Nam omnia, quæ secundum naturam sunt, æstimatione aliqua digna dicuntur Stoicis, bona esse negantur. Vid. de Fin. IV, 21, 58 et 59. Gern.

12. *Quid est autem tam sec.* Tusc. I, 32, 76. Gern.

13. *Nulla adhibita vi*. Grævius comp. Sophocl. Œdip. R. 961 : et quæ Themistius in eclogis addit apud Stobæum, serm. 114. Gern.

14. *In portum*. Tusc. I, 49. Gern.

XX. 1. *Certus est terminus*. Habes ætatum omnium terminos, variasque de iis opiniones apud Censorinum, c. 14. Senectuti assignari non potest, nisi tempus signetur, quo moriendum est. Facc.—Male eadem v. repetuntur.

2. *Mortem contemnere*. Metus enim mortis ita turbat et exanimat, ut nihil fortiter agi possit. Facc. — Gernius et Schützius verba « et tamen mortem contemnere » uncis incluserunt. Et sane possis mirari, cur Cicero hæc verba cum *quoad* ... *possis* junxerit, siquidem mortem contemnere, h. e.

mosior[3] etiam senectus sit, quam adolescentia, et
fortior. Hoc illud est, quod Pisistrato[4] tyranno a So-
lone responsum est, quum illi quærenti, qua tandem
spe fretus sibi tam audaciter obsisteret, respondisse
dicitur, Senectute. Sed vivendi finis est optimus, quum
integra mente, ceterisque sensibus, opus ipsa suum
eadem, quæ coagmentavit, natura dissolvit. Ut na-
vem, ut ædificium idem destruit facillime, qui con-
struxit : sic hominem eadem optime, quæ conglutina-
vit, natura dissolvit. Jam omnis conglutinatio recens,
ægre; inveterata, facile divellitur. Ita fit, ut illud
breve vitæ reliquum nec avide appetendum senibus,
nec sine causa deserendum[5] sit. Vetatque Pythagoras, 73
injussu imperatoris, id est, Dei, de præsidio et sta-
tione[6] vitæ decedere. Solonis quidem sapientis elo-

non extimescere quisque possit qui velit, omnes autem debeant. At nihil mutandum, nihil excludendum. Sunt duæ sententiæ hæ : « Recte in senectute vivitur, quoad munus officii exsequi et tueri possis ». Altera est : « Animosior etiam senectus est, quam adolescentia, et fortior, quod contemnere mortem possit », sc. facilius quam adolesc. propterea, quod mors non potest longe abesse a senectute. Posteriorem alterius sententiæ partem Cic. invertit, et propter formæ similitudinem, ut fert sermo familiaris, cum posteriore parte prioris sententiæ nexit per *et tamen*, ut intelligendum sit, quum id difficilius sit in adolescentia; quod ipsum statim sequitur in comparatione. Alteram autem partem gravius deinceps licuit sic efferre : « Ex quo fit, ut animosior etiam senectus sit, quam adolescentia, et fortior ». Gern.

3. *Animosior. Fortes* et *animosos* jungit Cic. etiam pro Milone, c. 34, 92, et de Offic. I, 26 extr. « animose vivere » est sine metu, non abjecto animo vivere. Vir fortis est promptus ad pericula. Gern.

4. *Pisistrato*. Qui Atheniensium libertatem occupaverat, ut est apud Justinum, lib. II, c. 8. Facc. — Adde Herod. I, 59 seqq. Gern.

5. *Nec sine causa deserendum*. Nimirum non tum demum, si deus jussisset, Stoici licere sapienti statuebant vitam deserere, sed Cato Uticens. « sæpe, inquit Fin. III, 18, 61, officium est sapientis, desciscere a vita, quum sit beatissimus, si id opportune facere possit, quod est convenienter naturæ vivere ». Cf. Offic. I, 31 med. Gern.

6. *Statione*. Animus enim est in corpore, velut in statione, quam deserere arbitratu suo non debet. Vide Tusc. I, c. 30. Facc. — Cf. et Somn. Scip. cap. 7. Pythagoreorum de hac re sententiam vide apud Plat. Phæd. c. 5 extr. et 6 med. Gern.

gium est, quo se negat velle suam mortem dolore amicorum et lamentis vacare: vult, credo, se esse carum suis. Sed haud scio, an melius Ennius:

> Nemo me lacrymis decoret, neque funera fletu
> Faxit........

74 Non censet lugendam esse mortem, quam immortalitas consequatur. Jam sensus moriendi[7] aliquis esse potest, isque ad exiguum tempus, præsertim seni; post mortem quidem sensus aut optandus[8], aut nullus est. Sed hoc meditatum ab adolescentia debet esse, mortem ut negligamus; sine qua meditatione[9], tranquillo esse animo nemo potest. Moriendum enim certe est; et id incertum, an eo ipso die. Mortem igitur omnibus horis impendentem timens, qui poterit animo consistere? de qua non ita longa disputatione opus esse videtur, quum recorder[10], non solum L. Brutum[11], qui in liberanda patria est interfectus; non duo Decios[12], qui ad voluntariam mor-

75

7. *Sensus moriendi.* Negari non potest, in ipso moriendi articulo esse sensum aliquem: sed is est exigui temporis, præsertim in sene, cujus vita sine luctatione dissolvitur. Facc. — Ernest. e MS Erf. recepit *morienti*, quod magis responderet sequenti *præsertim seni.* Wetzelius et Schützius eum sequuti sunt. At h. l. non quæritur, an aliquid moriens sentire possit, sed an mortis vim sentiat, h. e. an ipsa animæ corporisque distractio cruciatum afferat. Gern.

8. *Optandus.* Si est aliquis, est in optandis. Facc. — Comp. c. 19 prim. Gern.

9. *Meditatione.* Vid. Tusc. I, 30 extr. « Tota philosophorum vita commentatio mortis est ». Ibid. III, 16.

10. *Quum recorder.* Tres Oxx. et B. *quum recordor*, quod foret quoties recordor, idque ab h. l. alienum. Gern.

11. *Non solum L. Brutum.* L. Junium Brutum intellige, qui (vid. Tusc. I, 37), « arcens eum reditu tyrannum, quem ipse expulerat, in prælio conciderat ». Vid. in Liv. II, 6, certamen Bruti cum Arunte Tarquinii filio, et Flor. I, 10, 8. Gern.

12. *Duo Decios.* Duos facit etiam Valerius Max. in lib. V, cap. 16, et Cicero ipse in lib. III Offic. cap. 4, et in Tusc. I, cap. 46. Attamen in eadem Tusc. I, cap. 58, in lib. II de Finib. cap. 19, et alibi tres memorat, patrem, filium et nepotem. Facc. — Qui duo commemorantur (h. l. ut de Offic. lib. III, c. 4, 16, et Parad. I, 2), pater P. Decius Mus bello Latino ad Veserim consul se devovit cum T. Man-

tem cursum equorum incitaverunt; non M. Attilium[13], qui ad supplicium est profectus, ut fidem hosti datam conservaret; non duo Scipiones[14], qui iter Pœnis vel corporibus suis obstruere voluerunt; non avum tuum L. Paullum[15], qui morte luit collegæ in Cannensi ignominia temeritatem; non M. Marcellum[16], cujus interitum ne crudelissimus quidem hostis honore sepulturæ carere passus est: sed legiones[17] nostras (quod scripsi in Originibus) in eum sæpe locum profectas alacri animo et erecto, unde se numquam redituras arbitrarentur. Quod igitur adolescentes, et ii quidem non solum indocti, sed etiam
rustici contemnunt, id docti senes extimescent? Om- 76
nino (ut mihi quidem videtur) studiorum omnium satietas vitæ facit satietatem. Sunt pueritiæ certa studia: num igitur ea desiderant adolescentes? Sunt et ineuntis adolescentiæ: num ea jam constans requirit ætas, quæ media dicitur? Sunt etiam hujus ætatis: ne ea quidem quæruntur a senectute. Sunt extrema quædam studia senectutis: ergo, ut superiorum ætatum studia occidunt, sic occidunt etiam senectutis.

lio Torquato an. Urb. 41, sec. fastos Capit. et Liv. VIII, 9, filius consul IV, cum Q. Fabio V, an. Urb. 458, bello Samnitico. Vid. Liv. X, c. 28. Gern.

13. *Attilium.* Regulum, de quo in lib. I de Officior. cap. 12, et in lib. III, cap. 27. Facc. — Adde præter Hor. III, 5, 13 seqq. Valer. Max. I, 1 extr. 1, IX, 2 extr. 1; Silium Ital. VI, 539, ad quem l. vid. Drakenb. et Rupert. post Palmerium Exc. ad Appian. Pun. ed. Schweighæuser. III, p. 392 seq. Gellium, VI, 4. Gern.

14. *Duo Scipiones.* Cn. et P. Sciplones, de quibus vid. c. 9, 8; Liv. XXV, 32—36; Flor. II, 17, 6. Cf. Paradox. I, 2, 7. Gern.

15. *L. Paullum.* De Lucio Æmilio Paullo cf. Liv. XXII, 45 et 49. Gern.

16. *M. Marcellum* Consulem IV, si vitiosus consulatus præmittitur, cum T. Quintio Crispino an. Urb. 545, undecimo anno belli Punici Hannibalis insidiis in agro Tarentino circumventum et occisum. Vid. Liv. XXVII, 25—28. Gern.

17. *Sed legiones.* Et hoc ipsum et Bruti, Paulli, Marcelli exempla habes in Tuscul. I, cap. 37 et 42. Facc. — Comp. Gellium, Noct. Att. lib. III, cap. 7. Gern.

Quod quum evenit, satietas vitæ tempus maturum mortis affert.

77 XXI. Equidem non video, cur, quid ipse sentiam de morte, non audeam vobis dicere: quod eo melius mihi cernere videor, quo ab ea propius absum. Ego vestros patres [1], P. Scipio, tuque, C. Læli, viros clarissimos, mihique amicissimos, vivere arbitror; et eam quidem vitam, quæ est sola vita nominanda. Nam, dum sumus in his inclusi compagibus corporis, munere quodam necessitatis, et gravi opere perfungimur: est enim animus cælestis ex altissimo domicilio [2] depressus, et quasi demersus in terram, locum divinæ naturæ, æternitatique contrarium. Sed credo, deos immortales sparsisse animos in corpora humana, ut essent, qui terras tuerentur [3], quique cælestium ordinem contemplantes [4], imitarentur [5] eum vitæ modo atque constantia. Nec me solum ratio ac [6] disputatio impulit, ut ita crederem; sed nobilitas etiam summo-
78 rum philosophorum, et auctoritas. Audiebam Pythagoram, Pythagoreosque, incolas [7] pæne nostros, qui essent Italici philosophi quondam nominati, num-

XXI. 1. *Vestros patres*. L. Æmilium Paullum Macedonicum a. U. 593 mortuum, de quo cap. 6, et C. Lælium, qui cum L. Cornelio Scipione Asiat. consul fuerat anno U. 563. GERN.

2. *Domicilio*. Cf. Tusc. I, 22, 51. GERN.

3. *Terras tuerentur*. Idem dixit in Somnio Scip. 3. FACC.

4. *Contemplantes*. Cf. de Nat. D. II, 14, 38. GERN.

5. *Imitarentur modo atque constantia*. Expressit Platonis Timæum, p. 538, ed. Bip. Imitantur autem ordine et constantia et moderatione dictorum omnium et factorum. Hic est *vitæ modus*, in quo, ut de Off. I, 5, 14, ait, inest modestia et temperantia. Cf. de Offic. I, 27, 93. *Modus* enim est justus usui rerum constitutus finis, ut Offic. I, 29, 104: deinde observatio finium usui constitutorum, h. e. moderatus usus, moderatio, qua significatione jungitur h. l. voc. *modus* cum *constantia*, quæ eadem adjunctam habet moderationem Offic. I, 29, 102. GERN.

6. *Ratio ac disputatio*. H. e. argumentatio e naturæ humanæ cognitione ducta. GERN.

7. *Incolas*. Incoluerunt enim Magnam Græciam. FACC.—Vid. Tusc. I, 16, 38, et seq. et IV, 1. GERN.

quam dubitasse, quin ex universa[8] mente divina delibatos animos haberemus. Demonstrabantur mihi præterea, quæ Socrates supremo vitæ die de immortalitate animorum disseruisset, is, qui esset omnium sapientissimus oraculo Apollinis judicatus. Quid multa? sic mihi persuasi, sic sentio, quum tanta celeritas animorum[9] sit, tanta memoria præteritorum, futurorumque prudentia, tot artes, tantæ scientiæ, tot inventa, non posse eam naturam, quæ res eas contineat, esse mortalem; quumque semper agitetur animus, nec principium motus habeat, quia se ipse[10] moveat, ne finem quidem habiturum esse motus, quia numquam se ipse sit relicturus. Et, quum simplex animi natura esset, neque haberet in se quidquam admixtum[11] dispar sui atque dissimile, non posse eum dividi; quod si non possit, non posse interire; magnoque esse argumento homines scire pleraque ante, quam nati sint, quod jam pueri, quum artes difficiles discant, ita celeriter res innumerabiles arripiant, ut eas non tum primum accipere videantur, sed reminisci[12] et recordari. Hæc Platonis fere.

XXII. Apud Xenophontem[1] autem moriens Cyrus 79
major hæc dicit : « Nolite arbitrari, o mihi carissimi

8. *Ex universa*, etc. Ex ideis universalibus mentis divinæ. FACC. — Cf. Diog. Laert. VIII, de Pythag. disciplina. Vid. Plutarch de physic. phil. decr. IV, c. 7. GERN.

9. *Tanta celeritas animorum.* Cf. Tusc. I, 19, 43. GERN.

10. *Se ipse moveat.* Hoc latius extendit et concludit in Tuscul. I, cap. 23. FACC.

11. *Admixtum.* Tusc. I, 29, 71 : « In animi autem cognitione dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei sumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod quum ita sit; certe nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest : nec interire igitur ». GERN.

12. *Reminisci.* Vide Tuscul. I, cap. 24. FACC. — Plat. Phædr. ed. Bip. p. 165 (c. 18). GERN.

XXII. 1. *Apud Xenophontem.* Discipl. Cyri, VIII, 7, 17 seq. Quem locum Cicero liberius convertit, quum alia vel omitteret vel contraheret, vel amplificaret. GERN.

filii, me, quum a vobis discessero, nusquam, aut
nullum fore. Nec enim, dum eram vobiscum, ani-
mum meum videbatis; sed eum esse in hoc corpore,
ex iis rebus[2], quas gerebam, intelligebatis. Eumdem
80 igitur esse creditote, etiam si nullum videbitis. Nec
vero clarorum virorum post mortem honores perma-
nerent, si nihil eorum ipsorum animi efficerent, quo
diutius memoriam sui teneremus. Mihi quidem num-
quam persuaderi potuit, animos, dum in corporibus
essent mortalibus, vivere; quum exissent ex iis, emo-
ri : nec vero, tum animum esse insipientem, quum
ex insipienti corpore evasisset; sed quum omni ad-
mixtione corporis liberatus, purus et integer esse
cœpisset, tum esse sapientem. Atque etiam, quum
hominis natura morte dissolvitur, ceterarum rerum
perspicuum est quo quæque discedant[3] : abeunt enim
illuc omnia, unde orta sunt; animus autem solus,
nec quum adest, nec quum discedit, apparet. Jam
vero videtis, nihil esse morti tam simile, quam so-
81 mnum[4]. Atqui dormientium animi maxime declarant
divinitatem suam[5]. Multa enim, quum remissi et liberi
sunt, futura prospiciunt. Ex quo intelligitur, quales
futuri sint, quum se plane corporis vinculis relaxave-
rint. Quare, si hæc ita sunt, sic me colitote, ut[6] deum.

2. *Ex iis rebus*. Cf. Tusc. I, 28, 70. GERN.

3. *Quo quæque discedant*. Conf. Euripid. Suppl. v. 532. GERN.

4. *Quam somnum*. Ut Ovid. Amor. II, 9, 41 : « Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago? » Unde Ὕπνος κασίγνητος θανάτοιο dicitur Iliad. Ξ, 231, e Nocte simul cum Morte natus ap. Hesiod. Theog. v. 212. Apud Ælian. Var. Hist. II, 35, Gorgias extrema vita ait : ἤδη με ὁ ὕπνος ἄρχεται παρακατατίθεσθαι τῷ ἀδελφῷ. GERN.

5. *Declarant divinitatem suam*. Platonem, Polit. IX pr. sequutus, hæc ait Cicero explicatius Divin. I, 29 seq. et c. 51, 115. GERN.

6. *Ut deum*. J.V.L. observat in notis *deum* ibi idem esse atque δαίμονα; et vocem θεὸν seu deum apud Platonicos sæpe animum ipsum notare, qui nihil aliud est quam prælibatio divini numinis. Multas videre est in

Sin una est interiturus animus cum corpore, vos tamen deos verentes, qui hanc omnem pulchritudinem tuentur et regunt, memoriam nostri pie inviolateque servabitis». Cyrus quidem hæc moriens. Nos (si placet) nostra videamus[7].

XXIII. Nemo umquam mihi, Scipio, persuadebit, 82
aut patrem tuum[1] Paullum, aut duos avos[2], Paullum
et Africanum, aut Africani patrem, aut patruum[3], aut
multos præstantes viros, quos enumerare non est ne-
cesse, tanta esse conatos, quæ ad posteritatis memo-
riam pertinerent, nisi animo cernerent[4], posteritatem
ad se pertinere. An censes (ut de me ipso aliquid more
senum glorier), me tantos labores diurnos nocturnos-
que domi militiæque suscepturum fuisse, si iisdem
finibus gloriam meam, quibus vitam, essem termina-
turus? nonne melius multo fuisset, otiosam ætatem,
et quietam, sine ullo labore et contentione traducere?
Sed, nescio quomodo, animus erigens se, posterita-
tem semper ita prospiciebat, quasi, quum excessisset
e vita, tum denique victurus esset. Quod quidem ni
ita se haberet, ut animi immortales essent, haud
optimi cujusque animus maxime ad immortalitatem
gloriæ niteretur. Quid, quod sapientissimus quisque 83

Gruter. Spon. Reines. inscriptiones sepulcris impositas, ubi defunctorum animus vocatur *Deus*. Eodem sensu dixit Cornelia ad C. Gracchum scribens (frag. 12 Cornel. Nepotis), «ubi mortua ero, parentabis mei, et invocabis deum parentem»; qui locus non minus torsit criticos, quam locus hic de quo agimus.

7. *Nostra videamus*. Sc. si J. V. L. intp. credimus: veniamus ad exempla domestica, non jam Græca, sed Romana.

XXIII. 1. *Patrem tuum*. L. Æmilium Paullum, qui ex Papiria genuit P. Africanum juniorem. Vid. c. 21 pr. Gern.

2. *Duos avos*. Alterum naturalem, de quo c. 20, 75; alterum adoptivum P. Africanum. Vid. c. 9 med. Gern.

3. *Africani patrem, aut patruum*. Africani senioris, Cn. et P. Scipiones. Vid. c. 20. Gern.

4. *Cernerent*. Iis, qui latino sermoni dant operam, tempus hoc observandum est. Facc. — *Terminaturus*. Præter Tuscul. I, 15, comp. pro Arch. c. 11. Gern.

æquissimo animo moritur, stultissimus iniquissimo? Nonne vobis videtur animus is, qui plus cernat et longius, videre, se ad meliora proficisci; ille autem, cujus obtusior sit acies, non videre?

Equidem efferor studio patres vestros, quos colui et dilexi, videndi: neque vero eos solum convenire aveo, quos ipse cognovi; sed illos etiam, de quibus audivi, et legi, et ipse conscripsi. Quo quidem me proficiscentem haud sane quis facile retraxerit, neque tamquam Peliam recoxerit[5]. Quod si quis deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repueriscam, et in cunis vagiam, valde recusem; nec vero velim, quasi decurso
84 spatio, ad carceres a calce[6] revocari. Quid enim habet vita commodi? quid non potius laboris? Sed habeat sane: habet certe tamen, aut satietatem, aut modum. Non lubet enim[7] mihi deplorare vitam, quod multi, et ii docti[8], sæpe fecerunt. Neque me[9] vixisse pœnitet, quoniam ita vixi, ut non frustra me natum existimem; et ex vita ita discedo, tamquam ex hospitio, non tamquam ex domo. Commorandi enim natura
85 deversorium nobis, non habitandi locum dedit. O præclarum diem, quum ad illud divinum animorum

5. *Peliam recoxerit.* Ut Medea Peliam recoxit senem, et adolescentulum fecit. Facc. — Quæ de Æsone Jasonis patre narrantur, quem Medea medicamentis e decrepito sene juvenem reddidit, h. l. in Peliam transferuntur, quem (Apollod. I, 9, 27; Ovid. Metam. VII, 297 seqq. Diod. Sic. IV, 51—52; Hygin. fab. 24) Medea filiarum manu necavit, falsa spe recoctionis in juvenem proposita. Gern.

6. *A calce.* Modus dicendi sumptus a decursionibus. Facc. — Senec. Ep. 108: « hanc quam nunc in circo cretam (h. e. metam) vocamus, calcem antiqui dicebant ». Cf. de Amicit. c. ult. Gern.

7. *Non lubet enim*, etc. Nam non volo contendere vitam omni commodo vacuam esse, et nihil aliud secum, nisi dolores, ferre. Gern.

8. *Multi, et ii docti.* Tusc. I, 34, Cyrenaici Hegesiæ liber esse dicitur, in quo vitæ humanæ enumeret incommoda. Eurip. Alcest. v. 805: « Ὁ βίος ἀληθῶς οὐ βίος, ἀλλὰ συμφορά ». Plin. H. N. præf. VII, et Senec. Ep. 99.

9. *Nec me.* Rectius Facciolatus et Gœzius ex edd. vett. « Neque me vix. » præsertim quum *et* sequeretur. Gern.

concilium cœtumque proficiscar, quumque ex hac turba et colluvione discedam! Proficiscar enim non ad eos solum viros, de quibus ante dixi; sed etiam ad Catonem[10] meum, quo nemo vir melior natus est, nemo pietate præstantior: cujus a me corpus crematum est; quod contra decuit ab illo meum. Animus vero non me deserens, sed respectans, in ea profecto loca discessit, quo mihi ipsi cernebat esse veniendum. Quem ego meum casum fortiter ferre visus sum[11]; non quod æquo animo ferrem: sed me ipse consolabar, existimans, non longinquum inter nos
digressum et discessum[12] fore. His mihi rebus, Scipio 86
(id enim te cum Lælio admirari solere dixisti[13]), levis est senectus, nec solum non molesta, sed etiam jucunda. Quod si in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, libenter erro; nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo. Sin mortuus (ut quidam minuti[14] philosophi censent) nihil sentiam, non vereor, ne hunc errorem meum mortui philosophi irrideant. Quod si non sumus immortales futuri, tamen exstingui homini suo tempore optabile est. Nam habet natura, ut aliarum omnium rerum, sic vivendi modum. Senectus autem peractio

10. *Ad Catonem.* De quo in lib. de Amicit. cap. 2, et in Tusc. III, cap. 28. Filius Catonis fuit, ex Licinia matre Licinianus dictus. Prætor designatus quum esset, mortuus est. Facc. — Cf. supr. c. 6 pr. et 9 extr. Gern.

11. *Fortiter ferre visus sum.* Cf. Plutarch. in vita Cat. p. 24. Gern.

12. *Digressum et discessum.* Sunt hæc pæne mera synonyma, nolim tamen alterutrum substantivum abjicere, quum Cato commotiore animo, quid de carissimo filio speret, exponit. *Digressus* est h. l. temporis intervallum, quod congressionem prohibet; *discessus* est absentia, seu tempus, per quod abesse aut licet aut oportet. Ad Att. XII, 40: « si quis requirit, cur Romæ non sim: quia discessus est ». Cæsar, Bell. Gall. IV, 14; Corn. Nep. Timol. 23. Gern.

13. *Dixisti.* Cap. 2 pr. ubi ut « numquam... gravem sen. » Scipio dixit, sic Catoni h. l. *levis* dicitur. Gern.

14. *Ut quidam minuti.* Ut Brut. cap. 73, 256, ait: « Orator præstat minutis imperatoribus », sic *minutos*

ætatis est, tamquam fabulæ; cujus defatigationem[15] fugere debemus, præsertim adjuncta satietate.

Hæc habui, de senectute quæ dicerem: ad quam utinam perveniatis! ut ea, quæ ex me audistis, re experti probare possitis.

dicit *philosophos* h. l. et de Divin. I, 30. Gern.

15. *Defatigationem*. Guilielm. scripsit *defectionem*, quia histrio, inquit, deficit, quum eum vox et vires deficiunt, persuasitque Schützio, qui *defectionem* recepit hoc sensu: « cavendum, ne in senectute tamquam in extrema parte fabulæ deficiamus, quod fieri facilius possit, quum vitæ etiam satietas accidat ». Hanc vero non *ætatis* defectionem dixisset, cujus culpa tribuenda esset naturæ, vid. c. 2, 5: neque *satietas* tum foret senis, sed spectatorum, id quod ab h. l. alienum est. Est vero *ætatis*, seu vitæ *satietas* ea, quam dixit extremo cap. 20, ut *defatigatio* e gravi vitæ opere perfungendo nascitur, nisi studiis animum erigas, ne in extremo actu corruas. Ita non opus est mutatione. Comp. cap. 11, 36, et Philipp. V, 20: « Nulla res ei finem cædendi, nisi defatigatio et satietas attulisset ». Gern.

M. T. CICERONIS

LÆLIUS

SIVE

DE AMICITIA

DIALOGUS

AD T. POMPONIUM ATTICUM

PROLEGOMENA
IN LÆLIUM,

EX EDITIONE GERNHARDI DESUMPTA.

I.

DIALOGI DE AMICITIA DESCRIPTIO.

Quæ Cicero de hujus libri instituendi ratione ad T. Pomponium Atticum, cap. 1, scribit, fere hæc sunt: Q. Mucius Scævola augur aliquando, quum Cicero apud eum esset et pauci admodum familiares, exposuerat sermonem C. Lælii, soceri sui, de amicitia, habitum ab illo secum et cum altero genero C. Fannio, paucis diebus post mortem P. Scipionis Africani. Ejus disputationis sententias memoriæ mandatas Cicero se dicit hoc libro, suo arbitratu exposuisse, quum Atticus sæpe secum ageret, ut aliquid de amicitia scriberet. Tum § 4 Lælii sermonem de amicitia cum Catone Majore, quem de senectute scripsisset, comparat. Ut enim tum, inquit, ad senem senex de senectute, sic hoc libro ad amicum amicissimus de amicitia scripsi.

A C. Fannio et Q. Mucio, qui ad socerum venisse finguntur post mortem Africani, sermo oritur. Et Fannius quidem, cap. 1, § 6, quum hanc in Lælio existiment esse sapientiam, ut humanos casus virtute inferiores putet, et ex se dicit et ex Scævola quæri, quonam pacto mortem Africani ferret, quod non in augurum collegio fuisset.

Ad hæc postquam Scævola addidit, quid quærentibus respondisset, Lælium sc. istum dolorem moderate ferre: quod non in D. Bruti auguris hortos venisset, valitudinem causam, non mœstitiam, fuisse; Lælius, ut modeste de se sen-

tit, causam moderationis suæ in eo dicit esse, cap. 3, quod nihil mali Scipioni accidisse putet, qui ex summo dignitatis gradu ad superos videatur potius, quam ad inferos pervenisse. Hinc suscitato desiderii sensu et amicitiæ Scipionis recordatione elatum Lælium, cap. 4, § 16, rogant adolescentes, ut de amicitia disputet, quid sentiat, qualem existimet, quæ præcepta det.

I. Postquam Lælius frustra operis magnitudinem et exercitationem excusavit, § 17, se tantum hortari posse dicit, ut amicitiam omnibus rebus humanis anteponant. Sed hoc primum se sentire, § 18, nisi in bonis amicitiam esse non posse. Viros bonos autem se intelligere qui sequantur, quantum homines possint, naturam optimam bene vivendi ducem. Amicitiam, quæ sit inter duos aut inter paucos, postquam a civium et propinquorum societatibus § 19 distinxit; cap. 6, omnium divinarum humanarumque rerum cum benivolentia et caritate consensionem dicit, ejusque præ ceteris rebus opportunitates in utraque fortuna inter eos, quibus communis vita contenta est, usque ad § 24 exponit. Comparata vero vi amicitiæ concordiæque in rerum natura conservanda, postquam quanta vis sit amicitiæ ab omnibus intelligi et re probari exemplo e scena repetito docuit; ille generorum rogationi satisfecisse sibi videtur.

II. Sed § 25 denuo ab iisdem rogatus Lælius de ortu amicitiæ, cap. 8 disputat, qui sit a natura, § 27, quam ab imbecillitate et indigentia verior et gravior. Naturæ vim cerni in amore, ut bestiarum et hominum qui natos ex sese amant, sic eorum, qui alterum propter perspectam virtutem et morum similitudinem diligunt. Benivolentiam, cujus omnis fructus in ipso amore insit, augeri consuetudine, et quamquam utilitates amici nullas sperent, capere eos tamen maximas. Hæc igitur usque ad finem capitis 9 de ortu amicitiæ.

III. 1. Sed quoniam perfectam amicitiam intellexerat, eamque, § 22, a vulgari et mediocri distinxerat; nunc ter-

tium rogatus, sive pergere a generis suis jussus Lælius addit, quæ de amicitia præcepta danda fuerunt, eaque ad mediocrem amicitiam pertinere judicanda sunt. Proficiscitur autem, cap. 10, a Scipionis sententia, qui nihil difficilius esse dixisset, quam amicitiam usque ad extremum vitæ permanere. Multa quasi fata impendere amicitiæ ex contentionum, sententiarumve de rep. vel morum, sive adversis rebus, sive ætate ingravescente, mutatione: quæ mala ut subterfugiantur, cap. 11, § 36, videndum esse dicit, quatenus amor in amicitia progredi debeat. Sed ipsam legem, cap. 12, demum scribit, postquam ultra justos fines progressorum amicorum exemplis, cap. 11, propositis effecit; § 37, nullam esse excusationem peccati, si amici causa peccaveris. Hæc lex primum vetando, sic fertur: § 40, ut ne rogemus res turpes, nec faciamus quidquam contra rempublicam, ut nonnulli fecerunt, sive duces, sive socii impietatis. Quare talis improborum consensio, § 43, omni supplicio vindicanda est. Eamdem legem, cap. 13, § 44, sic sancit, ut ab amicis honesta petamus, amicorum causa honesta faciamus officiose, studiose, sine cunctatione, consilio dando, suadendo, monendo, et ut adhibitæ amicorum auctoritati pareatur. Quin etiam cura vel angor est sæpe amicorum causa capiendus. Quod Lælius monet contra eos, qui § 45 partim securitatem caput esse putant ad beate vivendum, partim § 46 præsidii adjumentique causa amicitias expetendas esse opinantur. Ad hos redit, postquam illos, cap. 14, castigavit, quum § 49 dicat, plurimum esse jucunditatis in studiorum officiorumque vicissitudine et natura cum bonis inter bonos quasi necessariam benivolentiam; eamdem bonitatem non a caritate vulgi abhorrere. Utrique vero illi adversario, § 51 et 52, opponit, non tam utilitatem partam per amicum, quam amici amorem ipsum delectare præ opum affluentia. Quem amorem abesse a tyrannorum et præpotentium vita, ab eisque certe negligi amicitiam; nihil vero stultius esse quam cetera parare quæ

parantur pecunia, amicos non parare optimam et pulcherrimam vitæ quasi supellectilem. Hæc igitur præcepta (inde a cap. 10 usque ad cap. 15 extr.) ad eos fines amoris constituendos pertinent, quos et reipublicæ caritas et virtutis studium postulat.

III. 2. Constituendi vero etiam sunt termini diligendi, qui ab eo ipso repetuntur, qui diligit vel ab iis officiis, quæ sunt cuique erga se ipsum conservanda. Quos fines antequam cap. 17, § 61 constituit, tres tamquam adversariorum sententias, cap. 16, § 56, usque ad 59 med. refutat. Quarum una est, ut eodem modo erga amicum affecti simus, quo erga nosmet ipsos : altera, ut nostra in amicos benivolentia illorum erga nos benivolentiæ pariter æqualiterque respondeat : tertia, ut quanti quisque se ipse facit, tanti fiat ab amicis. His igitur sententiis rejectis, Scipionis recordatus Lælius antequam alium finem veræ amicitiæ constituat, illam sententiam § 59 et 60 reprehendit : amare oportere, ut si aliquando esset osurus, illud potius præcipit : § 60, ut ne quando amare incipiamus eum, quem aliquando odisse possimus ; quin etiam si minus felices in deligendo fuissemus, ferendum id potius, quam inimicitiarum tempus cogitandum. Atque his finibus utendum arbitratur, ut quum emendati mores amicorum sint, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum sine ulla exceptione communitas. Quæ ut doceat quousque progredi debeat, minus justas amicorum voluntates, in quibus eorum aut caput agatur aut fama, adjuvandas esse dicit, modo ne summa turpitudo sequatur; nec vero negligendam famam esse et honeste partam civium benivolentiam. Ita aditum sibi § 62 patefecit ad curam in eligendis amicis adhibendam, quum judicandum sit, qui sint ad amicitiam idonei. Quod quum difficile sit judicare nisi expertum ; prudentia opus esse, impetum benivolentiæ sustinendum et aliqua parte periclitandos mores amicorum, ut eligas firmum, stabilem, constantem, fidum, simplicem, communem, nihil simulantem,

non criminosum, non suspiciosum, non tristem, sed comem et facilem; usque ad finem cap. 18.

Ut autem ab eligendis amicis ad colendæ amicitiæ modum transeat quæstione, § 67, ab ipso proposita : num quando amici novi, digni amicitia, veteribus essent anteponendi, respondet Lælius : non amicitiarum esse debere, sicut aliarum rerum satietates; vetustatem suo loco conservandam esse. In promptu vero nunc erat, ut amicis aliquando disparibus præcepta daret hæc : § 69 : superiores non decere se anteponere inferioris ordinis amicis. Inferiores ne doleant, se a suis aut ingenio, aut fortuna, aut dignitate superari, neve exprobrent amicis officia : sunt tamen hac opinione non modo verbis, sed etiam opere levandi : tantum autem cuique tribuendum, primum quantum ipse efficere possis; deinde etiam, quantum ille, quem diligas atque adjuves, sustinere. Sed corroboratis demum confirmatisque et ingeniis, et ætatibus judicandas esse amicitias : hinc apparet, § 74, quid et de puerorum amicitiis et de nutricum vel pædagogorum benivolentia sit statuendum. Morum enim et studiorum dissimilitudo dissociat amicitias. Ad hæc, § 75, præcipit Lælius, ne intemperata quædam benivolentia impediat magnas utilitates amicorum, et esse ab iis, qui impedire res magnas pro mollitie quadam velint, discedendum, in omni autem re considerandum, et quid postules ab amico, et quid patiare a te impetrari. Hæc igitur omnia ad interpretandam illam legem pertinuerunt, quam initio cap. 12 scripserat, et ad vitanda amicitiarum pericula.

Sed quum sentiat Lælius maxima pericula esse in vitiis amicorum, nunc de vulgaribus vel communibus inde a cap. 21 disputat amicitiis, ad quas a sapientium et emendatorum familiaritatibus, h. e. ab amicitiæ periculis ad calamitatem dimittendæque amicitiæ necessitatem oratio delapsa sit. Hoc loco cap. 21 quæritur, non quomodo pericula amicitiæ vitari possint, sed quomodo, ingruente calamitate, dimittendæ amicitiæ sint, quum eruperint vitia amicorum,

quorum ad amicos redundat infamia : dissuendas autem magis esse, quam discindendas; sin morum aut studiorum commutatio facta fuerit, aut in reipublicæ partibus dissensio, cavendum esse, § 78, ne etiam in graves inimicitias se convertant amicitiæ. Omnino omnium horum vitiorum atque incommodorum unam cautionem esse, ut ne nimis cito diligere incipiamus, neve non dignos. Quo loco reprehendit eos, qui utilitatis spe adducti, § 79, amicos eligunt. Amicitia vero illa naturalis per se et propter se expetenda est, et diligendus amicus, qui est tamquam alter idem, ita ut quisque se diligit, § 80. Est enim per se sibi quisque carus. Quum autem plerique amicum talem habere velint, quales ipsi esse non possint; par esse dicit, ipsum esse virum bonum, tum alterum similem sui quærere, cap. 22, § 82. Virtutum enim amicitia adjutrix a natura data est, non vitiorum comes, eaque quæ beatam vitam reddat, in qua insunt honestas, gloria, tranquillitas animi atque jucunditas, § 84. Neglectæ autem virtutis maxime in amicis et deligendis et colendis quemque pœnam dare, § 85. A notanda rei tam necessariæ incuria transgreditur ad prædicandam amicitiæ utilitatem, de qua omnes, etiam asperiores, § 87, uno ore consentiant, sive hominem in omnium rerum abundantia fingas positum, sive in cælum evectum et admiratione mundi plenum; uterque ut suavitatem percipiat, carere amico non potest, quoniam natura nihil amat solitarium semperque ad aliquod tamquam adminiculum annititur, § 88. Quoniam vero in tam vario et multiplici usu amicitiæ multæ causæ suspicionum offensionumque dantur, has tum evitare, tum elevare, tum ferre sapientis est, c. 24. Hic omnia redeunt ad veritatem, quæ primum in eo cernitur, ut et benevole moneas, et patienter accipias monita, cap. 25; deinde ut omnis adulatio, blanditia et assentatio absit, § 91, quæ ne in concione quidem, § 95, tantum valet, quantum veritas, qua amicitia tota perpenditur. Nulla est igitur, inquit, hæc amicitia, quum alter verum audire non

vult, alter ad mentiendum paratus est, § 98. Verum etiam graviores constantioresque debent animum advertere, ne callida assentatione capiantur.

IV. A levibus autem amicitiis ad sapientium amicitiam, ut cap. 27, redeat, virtutem amicitiarum et conciliatricem et conservatricem laudat, eaque quæ dixerat, nunc paucis collecta suæ, adolescentis cum senibus et senis cum adolescentibus junctæ, familiaritatis exemplo, § 101, confirmat. Sed quoniam res humanæ fragiles caducæque sunt, semper aliqui anquirendi sunt, quos diligamus propter virtutem, quæ ut Scipionis virtus, morte non exstinguitur. In hujus familiaritatis, quæ cum Scipione fuit, memoria et in ætate ipsa magnum esse desiderii, in quo diutius jam esse non possit, solatium. Denique Lælius generos suos hortatur, ut, excepta virtute, nihil amicitia præstabilius putent. Ita sermonem concludit eodem fere modo, quo cap. 5, § 17, de amicitia disserere cœperat.

Hæc, ut contractius dicam, omnis hujus sermonis de amicitia inde a cap. 5, a Lælio habiti ratio et delineatio huc revocanda est.

Quum Lælius a Fannio et Scævola, § 16, rogatus esset, ut de amicitia disputaret, quid sentiret, qualem existimaret, quæ præcepta daret, ipsa disputatio tres potissimum partes retulit:

I. Prima sermonis pars est de perfectæ amicitiæ vi et præstantia inde a cap. 5, usque ad cap. 7, § 25, quo toto loco, quantum boni in amicitia sentiret esse, exposuit.

II. In altera parte inde a cap. 7, § 25, usque ad cap. 9 fin. ut Lælius diceret qualem amicitiam existimaret, de ortu disputavit amicitiæ, quam non vult utilitate conglutinari; sed natura gigni sensum diligendi et benivolentiæ caritatem facta significatione probitatis.

III. Tertia pars, ut Fannius et Scævola rogaverant, præceptis continetur ad multa quasi fata amicitiæ impendentia

pertinentibus, inde a cap. 10, usque ad cap. 26 fin. hac quidem locorum partitione, ut a mediocri amicitia sensim ad leves amicitias descendat.

Quum difficile sit amicitiam manere, si a virtute defeceris, cap. 10, et ut appareat, quatenus amor in amicitia progredi debeat, cap. 11, propterea

1. Lex sancitur vetando primum, ne res turpes rogemus, nec faciamus rogati, cap. 12, initio, deinde jubendo proposita, cap. 13, § 44, ut ab amicis honesta petamus, amicorum causa honesta faciamus.

2. Fines constituuntur, qui sint in amicitia et quasi termini diligendi, inde a cap. 16, § 56, usque ad cap. 26 fin.

Hinc ducta præcepta pertinent

1° Ad eligendos amicos, § 62-66;

2° Ad colendam amicitiam, § 67-75;

3° Ad dissuendæ amicitiæ calamitatem necessariam, § 76-78;

4° Ad cavendum dirumpendæ amicitiæ necessitatem; ut ne nimis cito diligamus neve non dignos, § 78 med.—c. 23 fin. § 88; ut offensiones monendo et objurgando levemus, § 88 med.—90; ut simulationem omnem fugiamus, § 91-100.

IV. Epilogi instar habenda extrema parte Lælius ad virtutem redit, quæ amicitias conciliet et conservet : denique sui animi ob ereptum Scipionem consolandi causis omnem hunc sermonem, addita adhortatione de amicitia omnibus rebus, excepta virtute, anteponenda, concludit.

II.

DE CICERONIS ARTE ET ELEGANTIA IN LÆLII SERMONE EXPROMPTA.

QUUM T. Pomponius Atticus, ad quem senem senex Cicero de senectute conscripserat, sæpe cum eo ageret, ut de amicitia scriberet aliquid (vid. § 4); digna mihi, inquit, res quum omnium cognitione tum nostra familiaritate (1) visa est. Atque sic fecit Cicero, ut eodem sermonis genere uteretur, quo usus in libro de Senectute (2) fuerat, quod positum est in hominum veterum auctoritate et eorum illustrium. Quum autem Lælii persona idonea visa esset, quæ de amicitia dissereret, a C. Fannio et A. Mucio Scævola, Lælii soceri sui sapientiam admirantibus discendique cupidis, causa petenda erat, cur Lælius solus de amicitia loqueretur sic tamen, ut subinde novam novæ partis, tamquam fili orationis, ingrediendæ rogationem exspectaret. Utraque disputatio ad rem pertinet, quæ naturæ instituto necessitatis aliquid habet, ab ætatis quidem cursu senectus, a vitæ suavitate et utilitate amicitia, cujus veritas et firmitas pariter ac senectutis dignitas et gravitas in cujusque probitate et moribus posita est. Quare Cicero ut Catonem Maj. induxerat senem de senectute hac potissimum mente disputantem, ut adversus iniquiores vituperationes eam ætatem defenderet, sic amicitiæ majorem, quam vulgo existimant, vim ad beate vivendum, vcrioremque et graviorem a na-

(1) Præter eá, quæ de Attico ad Cat. Maj. § 1 monui, vide quæ nuperrime vir Cl. C. G. *Jacob* ad Luciani Toxaridem, quem prolegomenis, annotationibus et quæstionibus instructum edidit Halis Sax. ex lib. Hemmerdeana, 1825, p. xxv seqq. de Attici et Ciceronis familiaritate docte admodum disputavit.

(2) De hoc dialogi genere ab eo quidem, quo Xenophon et Plato in Socraticis sermonibus, pæne æquatis loquentium partibus, usi sunt, vid. quæ ad Cat. Maj. pag. xiv, in nota scripsi.

tura, quam ab imbecillitate, ortum aperiri ac legem colendæ amicitiæ in honestate positam, finesque diligendi constitui Lælii potissimum ope voluit, in quo conjunctam fuisse acceperat cum animi et naturæ hominis cognitione multarumque rerum usu (1) memorabilem cum P. Scipione amicitiæ gloriam. Nec vero Cicero hunc sermonem ipsi Lælio, ut M. Catoni, tribuit, sed Scævola augure, ad quem Cicero a patre erat deductus, utitur interprete sermonis habiti a Lælio secum et cum altero genero C. Fannio. Ita res plurimum habet probabilitatis, sive quamdam scenæ illusionem, sive historicam testimonii fidem quæris, quum memoriæ mandata exponuntur ea, quæ Scævola ab ipso Lælio de amicitia audiverit. Quamquam Lælii sententias sibi aliquando a Scævola augure expositas ipse Cicero fatetur, § 3, suo se arbitratu exposuisse.

Animadvertenda etiam cura et cautio illa est, quod quum Cic. hunc librum ad amicum amicissimus de amicitia (vid. § 5) scriberet, non tam quid ipse sentiret, quam quid Lælius disputasset, exponere videri voluit. Nam sui animi sensa, tamquam sua publice eloqui non carebat invidia; suæque cum Attico constanter servatæ amicitiæ causas et progressiones, cujus indicia quum omnes fere ad Atticum præ se ferunt epistolæ, tum libri I, ep. 17 et 18, et II, 20, 22 seq. quominus cum multis, quibus prodesse (vid. § 4) vellet, communicaret et honestus quidam pudor et ostentationis periculum videntur prohibuisse et suasisse, ut quæ ipse de amicitia sentiret, Lælio tribueret, qui cum utroque genero suo aperte posset de suæ ætatis erroribus et vitiis sine invidiæ metu disputare, hoc etiam facilius, quod suæ et Scipionis amicitiæ gloria florebat. Satis igitur habuit Cicero, cap. 1, fine, significare, Atticum se ipsum esse in

(1) De C. Lælio vid. Offic. II, 11, 40, « quem (Viriathum Lusitanum) C. Lælius, is, qui sapiens usurpatur, prætor fregit et comminuit; ferocitatemque ejus ita repressit, ut facile bellum reliquis traderet », et qui loci citantur ad Læl. cap. 2, 6.

hoc sermone cogniturum, si quæ Lælius de Scipionis sui laude dixisset, tamquam de se a Cicerone dicta acciperet.

Et quamquam Lælius (vid. Fin. II, 8, 24) Diogenem Stoicum adolescens, post autem Panætium audierat; non opus tamen doctrinæ specie vel eo genere splendoris erat, quod accurata de controversis locis disputatio præ se fert qualis est in Academicis, vel Tusculanis, vel in eis Quæstionibus, quæ sunt de finibus bonorum et malorum. Lælii enim ætatisque, cujus princeps erat, simplicitatem et sinceritatem, græcæque vanitatis contemptum decebat eorum aversari consuetudinem, qui magna loquebantur, et subtilius quidem si quid poneretur, de quo quamvis subito disputarent, sed ad utilitatem parum. Philosophorum igitur et scholarum argutiis facile Cicero, Lælio quidem interprete, supersedere potuit, veramque simplicitatem et humanitatem sequi, et cum liberalioris et cultioris ingenii sensu, amicissimi Scipionis memoriam recolendo, vivi Pomponii sui laudem celebrare. Hæc enim liberior faciliorque disputandi forma, qualem familiaris sermo fert, ut a doctrinæ ostentatione verborumque magnificentia longissime abest, ita Ciceroni maxime videtur placuisse seni: plurimumque non poterat non hoc sermonis genus referre et vigoris et ad animos eorum, qui philosophorum lites aut ignorarent, aut aspernarentur, jucunditatis et oblectationis. Ita missis illis Epicureorum vel Stoicorum (1) de amicitia ra-

(1) L. A. G. *Schreiber* vernaculæ hujus libri versioni Halæ 1799 editæ præfixit dissertationem, cujus pag. 7 seq. illud primum reprehendit, quod Cicero præcepta dederit cultioris generis hominibus, inferioris ordinis amicos prætermiserit, quum ex nobiliorum virorum ordine sumpta consulum, prætorum, magistratuum exempla repeteret. Quo loco V. D. et plebeiorum obscuritatem apud Romanos ignoravit, neque consideravit, qui librum de Amicitia legerent, non ad vulgares amicitias, mercedis spe plerumque junctas, ablegari debuisse, sed plus et utilitatis et delectationis virorum in clariore luce versantium exempla præbere potuisse. Nec vero Cicero magistratuum, sed virorum bonorum, quibus communis vita contenta est, amicitias intellexit, sive patriciorum, sive plebeiorum. Vide § 38. Sed altera ejusdem V. D. vituperatio eo

tiocinationibus et dialecticæ artis argutiis, contemptaque collectivæ disputationis ac testimoniorum vel exemplorum copia, ex Lælianæ, tamquam aureæ, ætatis castitate et simplicitate vel severitate et gravitate licebat ea, quæ suæ cum Attico familiaritatis usu vera et certa esse cognoverat, amicitiæ colendæ servandæque fundamenta sapientis Lælii ore constituere, spretaque fucata summorum virorum Pompeii, Cæsaris, Lentuli, aliorum, amicitia, in sinceri candidique animi moribus acquiescere, e quibus admirabilis quædam amicitiæ nascitur et gravitas, et suavitas, qua pauci illi apud Græcos vel Romanos floruere.

Recens etiam erat amicitiarum memoria vel contra rempublicam, mutatis moribus, conservatarum, ut Blossii cum Ti. Graccho, § 37, vel propter dissensionem de republica diruptarum, ut Q. Tuberonis, qui eumdem Gracchum causa reipublicæ dereliquerat. Tribunitii enim furores, ii quidem non a reipublicæ libertatisque studio sejuncti, medium lo-

pertinet, quod Ciceronem queritur Stoicorum de summo bono sententiam contempsisse, quorum disciplinam in libris de Officiis sequutus fuisset. At illa Stoicorum philosophia ad amicitiæ vim veram ostendendam ita erat minime apta, ut humanæ naturæ finibus neglectis, eam sapientiam et virtutem unam maxime idoneam ad amicitiam interpretabantur, quam, ut Cicero ait § 18, adhuc mortalis nemo est consequutus. Ne quis igitur Stoicorum nomen in hoc libro desideret, sed gaudeat Lælii disputatione, quæ ad animum erigendum, veræque virtutis studio imbuendum, ad mores emendandos, vitæque dignitatem expetendam in iis valebit plurimum, qui amicitiæ vim cognoscere mallent, quam philosophorum placitis argutiisque, neglecto rerum usu, delectari. Epicureorum autem disciplinam ut nullo loco sequutus est Cicero, sic non erat, cur Lælium voluptatis finibus circumscribendis et adversariorum refutatione occuparet. Satis erat eos errores et vitia ab Epicureorum perversitate non minus, quam ex communi utilitatis vel voluptatis studio, nata castigare, quæ Lælius in aliorum moribus et amicitiis animadvertisset : eoque pertinet § 32 et 45, 52, 56. Ceterum quid Epicurei de amicitia statuerint præter Cic. Fin. I, 20, vid. quæ *Jacob* ad Luciani Toxar. disputavit, pag. 15; item de Stoicis, pag. xxxv. Alia a Schreibero de hoc sermone male notata attigi in Dissertatione scholastica an. 1823 scripta, quæ ad Lælium pertinebat, pag. 11 et 12.

cum tenent Ciceronis ætatem inter et heroicæ ætatis fortitudinem, h. e. singulorum in periculis subeundis audaciam, qua Achillis et Patrocli, Thesei et Pirithoi, Orestis et Pyladis, Damonis et Phintiæ amicitiæ inclaruere. A factionum vero et gratiæ populi captandæ studio, quo multi viri fortes apud Romanos, Lælii æquales, commovebantur, ut majorum consuetudo jam aliquantum de spatio curriculoque deflexisse videretur (vid. § 40) res latius serpsit, casusque illi reip. inde a Sullæ tempore evenerunt, quos Lælius prospexerat futuros. Quamquam hac ferociore ætate adversus improborum consensionem ac temeritatem præcepta dari non frustra posse videbantur, qualia cap. 12 dedit Lælius. Quum autem civilium bellorum tempore pauci inter se de principatu et de opprimenda reip. libertate contendere cœpissent, et ab unius victoris arbitrio suam quisque fortunam lubentius suspensam videret, quam libertatem restituere conaretur communem; nullam magnopere vim habebat amicitia, sed utilitatis ac mercedis cupido, mercedis spes animos regebat gratiæque non populi, sed Marii, Sullæ, Cæsaris, Pompeii, conciliandæ spes vel metus potentiæ principis ab amicitia plerosque et a virtutis admiratione avocabat. Illa igitur Gracchorum ætate, uti honorum cum virtute frequens erat contentio et de reipublicæ commodis dissensio, amicitiæ ac familiaritatis vis in utramque partem factis expromi poterat, et operæ pretium erat de amicitiæ constituendis finibus disserere, quo adolescentium discendi cupidorum studium ad virtutem converteretur, quæ una verissimas et certissimas gignit et conservat amicitias. His Lælium præcepta dare magis decebat, quam Attico seni Ciceronem.

Tum etiam illud tempus egregie est ad hunc de amicitia habendum sermonem constitutum, quum Lælius Scipionis sui non ita multo ante anno Urbis conditæ 624, morte erepti desiderio moveretur, unoque cum illo, quod in repetenda præstantissimi viri memoria, et in immortalitatis spe

admodum certa (vid. § 14) erat, solatio deceret uti. Hæc justissima sane causa erat non modo de amicitia disputandi, sed etiam tenerioris amoris sensum cum ipso dolore ac desiderio aperte significandi; in primisque acerbissimus hic casus invitare poterat ad dolorem et mœstitiam jucundissimæ suæ cum Scipione amicitiæ recordatione leniendam, quum vel virtutes amici admiraretur, ut § 11, vel ex illis profectas causas diligendi (§ 32), vel opportunitates non quæsitas, sed ex consiliorum, voluntatum, studiorum similitudine et ex diuturna consuetudine consequutas animo repeteret, ut § 51, vel quantum sibi tali amico erepto de vitæ jucunditate detractum esset § 103 perpenderet. Ex hoc potissimum limpidissimo largissimoque fonte hauriendum Cicero putavit, quidquid esset ad ipsam disputationem et ad amicitiæ colendæ præcepta afferendum suavitatis. Hinc omnem sermonis varietatem et animos eorum, quibus prodesse volebat, erigendi, confirmandi et ad virtutis studium impellendi materiam petiit. Ex ipso igitur Lælii animo et sensu magis, quam ex mentis judicio et subtilitate, hæc de amicitia expositarum sententiarum, ac præceptorum promanavit copia. Nullus in hoc sermone aliunde, quam ex amicitiæ honestissimæ verissimæque admiratione, petitus ornatus, nullus vel doctrinæ, vel facetiarum, vel argutiarum splendor operose anquisitus, nihil eorum, quæ allicere animum lectoris possint, abunde effusum, aut cumulatum; sed tamquam in amœnissima regione et rerum et verborum concinnitate et gravitate retineris, quum vides naturam et vim amicitiæ reclusam, in perfectaque amicissimi viri imagine propositam; initia amoris natura duce in ipsa virtutis perspectæ admiratione investigata; benivolentiæ causas probe distinctas; opportunitatum cum fideli amore conjunctarum multitudinem et præstantiam descriptam; impedimentorum vel periculorum varietatem; cautionum denique in deligendis colendisque amicis adhibendarum rationem sic explicatam, ut ad id quod summum est, ut ad virtutem,

quæ veras amicitias conciliat et nutrit, ubique pateat reditus. Eaque per omnem sermonem diffusa et Scipionis laudati, et virtutis naturæque celebrandæ lumina cum admirabili elegantia extremo capite tamquam radios collegit, postquam a virorum bonorum amicitia in leves amicitias oratio deflexerat.

Præclare Cicero etiam illud instituit, ut Lælium fingeret § 14, 33-35, 59, 62, exponentem, quæ Scipionem de amicitia aliquando disserere meminisset. Atque quum ejus sententiæ indignationis et tristitiæ aliquid præ se ferant et querelas contineant vel de periculis, quæ amicitiis ex mutatis moribus ac studiis impenderent, vel de opinionum amicitiæ inimicarum perversitate, vel de hominum in amicis eligendis incuria; apparet quam scite et constanter ubique Scipionis vocem ejus ingenio accommodaverit, quod quale fuisset indicavit Offic. I, 30, 108, in his: «in C. Lælio multa hilaritas: in ejus familiari Scipione ambitio (quæ σεμνότης, Ernestio interprete, dicitur), vita tristior». Ex hac hilaritatis et tristitiæ oppositione quantum redit ad hunc sermonem et varietatis et suavitatis; quam egregium et quam verum vides ab ipso amico exstructum magni viri monumentum! Neque satis habuit Cicero Scipionis de amicitia sententias Lælii ore passim proferre, sed re et facto probatam ejus dignitatem, constantiamque in servandis amicitiæ virtutisque officiis declaravit § 73, 77, 96.

Itaque Lælii persona videbitur etiam propterea aptissima fuisse, cui Cicero hunc sermonem tribueret, quod, si ingenii hilaritatem, animi commovendi facilitatem, diligendique sensum natura teneriorem, ne dicam molliorem, quæris, nemo reperiri in antiquitate potest melius comparatus. Talem virum profecto decebat liberalior illa dicendi, vel paullulum a re proposita præ sermonis vigore deflectendi excurrendique varietas, illa perfectæ amicitiæ admiratio nunc, nunc vituperandæ humilitatis, levitatis, perversitatis vehementia, illa denique fides amicitiæ cum reipublicæ

amore et studio conjuncta. Multum etiam delectationis afferunt cum ipsa sententiarum et præceptorum gravitate mixta, Læliique ingenio dignissima proverbia et acute dicta, et ad orationis vigorem non minus, quam ad sententiarum veritatem confirmandam aptissima exempla e vita communi, vel e scena repetita, et poetarum, vel philosophorum antiquiorum recordationes. Eaque sic sunt in medio sermone interposita, ut et ordinem admireris relictum, restitutum, perfectum, et transgrediendi ad novam sententiam facilitatem. Quam artis elegantiam et dicendi varietatem et vigorem cum sententiarum simplicitate animadvertis quum sæpe alias in hoc sermone, tum cap. 8 et 9, qui locus ortum amicitiæ aperit. Sed hic ipse locus sic est comparatus, ut multum voluptatis afferat sententiarum diversitas, si aliorum benivolentiam et studia tibi conciliandi cupiditatem causarumque et modorum in jungendis amicitiis varietatem comparas cum illa Orestis et Pyladis, vel Damonis et Phintiæ familiaritate in summa morum similitudine et consiliorum communitate posita. A qua naturæ conciliatione probitatisque in altero perspecta significatione si discesseris; admodum late patet vel voluptatis, vel utilitatis per amicum expetendæ copia, et necessitatis vis ad eas res, quæ maxime expetuntur, per alterum, quum solus non possis, consequendas. Neque mirandum est, quum propter imbecillitatem multæ societates, quæ amicitiæ vulgo appellantur, jungi soleant, ipsius amicitiæ ortum ab imbecillitate repetitum esse ab aliis, ab aliis a voluptate, cujus appetitus quidam est hominum communis. Hæc sententiarum diversitas non modo de hoc loco, sed etiam de colendæ servandæque amicitiæ officiis et finibus, non erat cur a philosophis duceretur, quum communis vitæ usus et hominum dissentientium observatio magnam opinionum, errorum, vitiorum præberet multitudinem. Hinc hausisse Lælius videtur quæ de amicitiæ ortu et finibus ab aliis dissentientibus statui diceret.

Quamquam hoc loco Ciceronis artem admiraberis, qui ut Homeri, et Gnomicorum sententias novit, ita Pythagoræ, Euripidis, Aristotelis, Xenophontis, Platonis (1) disciplina et præceptis instructus, omnique philosophorum controversia de rebus, quæ ad mores pertinerent, cognita, Lælium suum ea eloqui jusserit, quæ ex schola in vitæ usum judicio et delectu sententiarum habito converterat, ut omnis hæc disputatio a colligendarum sententiarum et litium dirimendarum cura vel calliditatis specie non minus abesset, quam a circumspiciendi incuria, cogitandique et dicendi jejunitate. Sed ut antiquorum auctoritate potissimum delectatur, vel Pytha-

(1) Vid. Jacobi Commentatio supra l. qui vir D. variam amicitiæ notionem ex locis græcorum et romanorum scriptorum collectis, sæculorum ordinem sequutus, diligentissime inde a pag. 1, usque ad XXXVII explicuit. Quæ meo arbitratu contractius exposita nescio, an huc fere redeant: Prisca ætate amicitia fuit ad certaminis pericula armis conjunctisque viribus subeunda societas, cujus fides erat propria et in vitæ simplicitate verus et quasi fraternus amor, apud Homer. Iliad. X, 224, Odyss. XVII, 218, et hujus ætatis memoriam repetentes tragicos. Hinc apud Græcos cultiore ac molliore ætate, privatis belli et certaminum causis cessantibus, non raro in libidinem, vel masculum istum amorem apud Athenienses amicitiæ usus abiit. Quum autem communis quædam reipublicæ administrandæ cura et honoris contentionem, et factionis studium gigneret, ad suam cujusque potentiam augendam amicitiæ fœdere opus esse videbatur. Quare Thucyd. III, 82, τόλμα μὲν γὰρ, inquit, ἀλόγιστος, ἀνδρία φιλέταιρος ἐνομίσθη. Sed vindex virtutis veræque amicitiæ exstitit Pythagoras, cujus præcepta et instituta id spectabant, ut qui adolescentes reipublicæ periti evadere vellent, et animum suum quisque cum altero misceret, et divinorum bonorum (quam Jamblichus, vit. Pythag. cap. 33, sect. 240, dicit κοινωνίαν τῶν θείων ἀγαθῶν) magis, quam externarum rerum, communione jungerentur. Quam Socrates apud Xenoph. Memor. II, cap. 4-6, et Plat. in Phædro, pag. 240, Lys. p. 214, Sympos. cap. 18, ad virtutis studium morumque similitudinem revocavit; Aristoteles vero non passim, ut illi, sed ad Nicom. lib. VIII et IX, de amicitiæ ordine quodam distinctius et explicatius scripsit. Tum Epicurei amicitiam ad beate vivendum propter consuetudinis jucunditatem et utilitatem putarunt esse aptissimam. Stoici denique sapientium qui quidem nusquam inveniuntur, veram esse amicitiam existimarunt, ceterorum esse societatem.

goræ, vel Socratis, vel Empedoclis, quorum nomina, § 13 et 24, missa omni doctrinæ ostentatione circumscribit, vel Archytæ Tarentini, § 88; sic horum philosophorum, qui, quæ sunt in hominum animis excellentia, eorum prima elementa in rerum natura exquisiverunt, morem sequitur. Quare in amicitiæ ortu altius repetendo, naturæ indicia primum inesse, Agrigentino Empedocle præcinente, § 24, dicit in illa concordia, quæ in toto mundo res contrahit, discordia quidem, quæ dissipat, opposita. Bestiarum vero amorem naturæ impetu adversus natos ex sese commotum comparat, § 27. Easdem, § 81, primum dicit sese diligere, deinde appetere, ad quas se applicent.

Nec raro Lælius suæ sententiæ ex cognitione naturæ humanæ ardentique virtutis studio profectæ humiles adversariorum opiniones opponit, easque nunc sine negotio rejicit, nunc diligentius refutat. Qua vigoris et alacritatis ex contentione nata delectandi materia tam prudenter usus est, ut cuique fere disputationis parti aliquid tribueret. Quod apparet, si confers primæ partis § 18, de vera sapientiæ interpretatione, et § 20, de divitiarum, valitudinis, honoris, voluptatis cum amicitia comparatione : in altera parte § 32 disputat de eorum dissensu, qui amicitiam vel mercedis, vel voluptatis spe adducti jungi existiment : tertia denique sermonis parte, § 45 et 46, mirabiles quasdam sententias de diligendi finibus refutat, tum alias, § 52, et 56-59.

Ne vero Lælius uno Scipionis desiderio duci, nec omnia ad perfectæ illius et admodum raræ amicitiæ notionem referre videatur, quamquam, ut animi commotio suadebat, a summa illa amicitiæ pulchritudine et excellentia proficiscitur; quieta tamen mente deinceps ad alia frequentiora amicitiæ genera transgreditur. Quare perfectæ sapientium, qui viri boni appellantur, amicitiæ Lælius adjungit amicitiam mediocrem, § 22: «Neque ego nunc de vulgari, aut de mediocri (quæ tamen ipsa et delectat, et prodest), sed de vera et perfecta loquor, qualis eorum, qui pauci nominantur,

fuit.» In ipsa vero disputatione mediocritatis vocabulo uti Cicero noluit; neque alio l. *mediocris* amicitiæ nomen perfectæ, aut vulgari amicitiæ opposuit, sed eo loco, qui præcepta colendæ et servandæ amicitiæ inde a cap. 10 usque ad cap. 20 continet, hoc medium genus amicitiæ intelligendum esse apparet. Quamquam quum eam sapientiam, cap. 27, § 100, interpretetur, quæ in hominem cadere possit, ab ipsis sapientium familiaritatibus, cap. 21 init. ad vulgares amicitias dicit orationem suam delabi, quoniam calamitatem in amicitiis dimittendis nonnumquam necessariam commemorare cœperit. Sunt enim minus certi fines, quibus illa virorum bonorum sapientia, quæ non ita rara est, a vulgarium hominum levitate distinguatur. Atqué ab iis vitiis, quibus ne boni quidem viri carent omnibus, quæ periculum afferunt, et cautionem requirunt, ad ea vitia amicorum, cap. 21, § 76, pervenisse sibi videtur, quæ erumpunt. Est igitur mediocris amicitia eorum, quibus præcepta danda sunt, ne in alterutram partem peccent. Duo enim his vitanda pericula sunt : quorum alterum est, ne aut ea quæ non honesta sunt ab amicis petant, aut contra virtutem quidquam vel adversus rempublicam amici causa faciant. Eorum igitur causa, qui nimium tribuerent amicitiæ, lex illa scribenda erat, cap. 11, 12. Alterum, quod facile est committere, effecit, ut diligendi fines constituerentur inde a cap. 16, ne quis benivolentiæ et amoris quasi mensuram ab amici benivolentia erga ipsum peteret, neve exigue ad calculum vocaret amicitiam, aut in alios ejus generis errores, vel vitia incurreret. Quo altera illa amicitiæ definitio pertinet initio capitis 17 proposita, ea quidem ab illa prima, quæ initio cap. 6 legitur, probe distinguenda (1).

(1) Latissime patens et contractior amicitiæ definitio reperitur cap. 7, 23, « benivolentiæ conjunctio », εὔνοια ἐν ἀντιπεπονθόσι, sec. Aristotel. Eth. ad Nicom. VIII, 2, quæ varias ob causas fieri posse intelligitur. Tum Aristotel. lib. VIII, 3, triplex distinguit amicitiæ genus, quum tres possint esse amandi causæ in utilitate, aut jucunditate, aut honestate. Itaque amicitiæ junguntur

Sed quoniam non sapientes, perfectæque virtutis viri intelliguntur, quorum mediocris amicitia est; accidere posse

aut διὰ τὸ χρήσιμον, aut δι' ἡδονὴν, quo alterutro, quorum amicitia conglutinetur, φαύλους appellat. Eumdem Cicero, cap. 9, § 29, humilem dicit ortum amicitiæ. Digni igitur amicitia sunt ἀγαθοὶ δι' αὐτοὺς φίλοι, l. l. cap. 4. Quorum quum non perfectam sapientiam intelligeret, sed eam, qua communis vita (§ 21) contenta est, his viris bonis summam amicitiæ, vel ejus pulchritudinis, quam animorum concentus ferre possit speciem ostendit initio cap. 6, « omnium divinarum humanarumque rerum cum benivolentia et caritate summa consensio ». Sed quoniam eorum, qui emendati sunt, necdum omnibus partibus explorata virtute, mediocris esse intelligitur amicitia, quod obnoxia est constanter servandæ virtutis periculis; propterea hanc alteram definitionem constituit cap. 17 initio, quæ magis ad actionem et ad mores pertinet, « ut, quum emendati mores amicorum sint, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum, studiorum sine ulla exceptione communitas ». Qua cum definitione comparanda illa est, quæ cap. 4, § 15, ad vitæ usum et consuetudinem pertinet: « in quo est omnis vis amicitiæ, voluntatum, studiorum, sententiarum summa consensio ». Leves autem illæ, vel vulgares, cap. 21 init. amicitiæ propter erumpentia vitia non definiendæ, sed castigandæ erant, monendumque, ut dissuerentur. Sed utraque hæc amicitiæ definitio propria est Ciceronis, ut illud discrimen quod inter perfectam et mediocrem amicitiam esse dixit, non satis id quidem declaratum. Nec facile poterant discriminis fines accurate constitui; nisi vellet viros bonos in nullo peccandi periculo esse intelligi. Quare mente tantum utrumque genus amicitiæ distinxit conditione, quæ in definitione inest, « quum emendati mores amicorum sunt, tum », eoque quod præcepta danda putavit eis, qui etiamsi essent emendatis moribus, cavere tamen deberent, ne quid in sese admitterent vitii. Qua cautione superior videtur satis confirmata usu et perspecta virtus virorum sapientium. Recte vero Cicero prætermisit eas amicitias, quæ potius conjunctiones, vel societates appellandæ sunt, quæ exsistunt, prout quærunt, quod communiter prosit, aut quod particulatim, civiles (πολιτικαὶ) aliæ, aliæ nautarum, a quibus differunt sodalitiæ, ἑταιρικαὶ, ξενικαὶ, συγγενικαὶ, ἐρωτικαί. Quæ quum non stabiles sunt, sublata voluptate, aut utilitate, cujus causa junctæ sunt; ea sola manet amicitia, quæ in moribus posita, per se et propter se expetenda est. Reliqua Aristotelesæ disputationis capita, ut aliorum antiquiorum scriptorum sententias, quatenus Cicero in suum sermonem transtulerit, singulis locis in commentario indicavi. Hoc unum addam, suo ubique judicio usum esse Ciceronem, nec frustra operam dedisse, ut plus ferret suus liber de Amicitia elegantiæ, quam Aristotelis, qui in summa rerum utilissimarum copia non vacat quadam jejunitate elocutionis.

dicit § 61, ut minus justæ amicorum voluntates adjuvandæ sint. Qui locus quum multum offensionis habere videatur, præter ea, quæ in commentario annotavi, illud animadvertendum est, quod paullo ante, § 60, dixit: « Quin etiam si minus felices in deligendo fuissemus, ferendum id Scipio potius, quam inimicitiarum tempus cogitandum putabat ». Quid vero? ferre vitia amicorum putemusne esse minus justas eorum voluntates adjuvare et amicorum gratia declinare de virtutis via, modo ne summa turpitudo sequatur? Hoc quidem loco nescio, an Ciceronis magis quam Lælii judicium audiatur, et is verba faciat, qui ut in republica administranda petendisque honoribus eloquentiæ vi populi gratiam conciliandam et judicum sententias eloquentiæ vi flectendas esse existimat, sic in defendendis amicis tantum viro bono concesserit, quantum communis quidem vitæ usus et experientia, nostra quoque ætate, docet sæpe concedi, sed quantum in morum disciplina nec præcipi debet, nec permitti. Itaque humani aliquid, ne romanam dicam licentiam, accidisse videtur Ciceroni. Quamquam negari nequit hanc ipsam partem doctrinæ de amicorum officiis longe esse difficillimam, si quæritur, quatenus in amicitia dari venia possit; qui sint famæ non negligendæ causa amicorum fines; quantum ad salutem amici servandam facere liceat, quantumve prudentiæ et arti permitti in causis amicorum, juvandisque minus justis eorum voluntatibus, debeat. Hunc maxime lubricum locum quoniam Cicero paucissimis verbis, nec ullo exemplo declaratum, attigit; sic statuendum videtur, ut præcepta dari propterea non posse existimemus, quia honesta prudentiæ subsidia et adminicula, quibus quam maxime opus est, non possunt, nisi ipsa causa quaque cognita, exquiri et dijudicari. Eodem fere pertinent quæ § 57 dicit, quæ sic nude posita, nos nostra ætate vix possumus, quatenus recte fiant, certo judicare. « Quam multa enim, inquit, quæ nostra causa numquam faceremus, facimus causa amicorum! precari ab indigno, supplicare,

tum acerbius in aliquem invehi, insectarique vehementius: quæ in nostris rebus non satis honeste, in amicorum fiunt honestissime». Ad hoc controversiæ genus denique in amicitiæ præceptis illud pertinet, quod Scipio dicitur § 59, indignum Biante esse judicasse, «ita amare oportere, ut si aliquando esset osurus». Quo de loco quum quid sentirem in commentario exposuerim, hoc tantum monere liceat, Scipionis perfectam amicitiam non potuisse non hoc præceptum aversari, in jungendis vero amicitiis, antequam expertus amicum sis, prudentis viri magis, quam amoris pleni et caritate elati animi esse, ut cogitet fieri posse, ut amici mores aliquando mutentur: quod si acciderit, remissione usus dissuendam amicitiam esse, tamquam immissa quadam calamitate, Lælius, § 76, arbitratur. Neque prætermittenda vocis *odisse* asperitas, quæ in acute dicto minus vituperanda est, quam, quod recte Lælius, § 78, monet, cavendum, ne etiam in graves inimicitias convertant se amicitiæ. Adeo proclives hominum non emendatorum animi sunt ad odium, si amare desierint.

Hæc fere fuerunt quæ de hujus libri instituto et de imitandi familiaris sermonis arte et elegantia sentirem. Nam quæ vir doctus quidam præter istas vituperationes, quas elevare studui, desiderat, partim ejusmodi sunt, ut omnibus numeris absolutam de amicitia disputationem requirere videatur, partim sic sunt comparata, ut de eo adjumenti genere, quod in amicitia morum magistri dicunt esse ad animorum emendationem, vel confirmationem, vel consolationem, vel delectationem, ne possit quidem diputari, nisi animorum genera, mollitiem quidem aliorum et facilitatem, aliorum vel gravitatem, vel severitatem, vel tristitiam, vel asperitatem distinxeris. Omnino in eo genere, quod continetur rationibus de moribus et vitæ conditionibus disputandi et præcepta dandi ad varios fortunæ casus, ingeniorumque diversitates accommodata veterum philosophorum studium non magno opere versatum esse largiendum est.

Nec vero illud prætermitti debet, multa esse, quæ pluribus a Cicerone velis exposita, ut quæ de puerorum amicitiis dicuntur, vel de disparibus moribus et studiis monentur, cap. 20. Animorum vero dissimilitudo (immensa est enim indolis naturæque varietas), quatenus in eligendis amicis ferenda, vel expetenda sit, optime quisque prout sese cognoverit, vel id quod ipsi desit, ab altero exspectaverit, vel ea quæ in altero sunt excellentiora, admiratus fuerit, judicabit. Tum multa sunt in delectu amicorum, ut in amoris repentino impetu, diligentissima cognitione et ponderatione superiora, in sensu ea quidem sic posita, ut ab ea parte disputationis, quæ ad mores amicorum pertineat, distinguenda altera quædam sit, quam æstheticam dicunt. Quod disputandi genus in quodam animorum consensu cernitur, qui exsistit ex leniore contentione ac dissimilitudine, ut soni gravitatis gradu distantes ad quamdam concentus suavitatem conjunguntur, aut acerbitas dulcedine permixta temperari solet. De qua re quoniam certa quidem præcepta nulla dari possunt, Cicero satis habuit, cap. 20, et eos monere, qui se a suis ingenio, aut fortuna, aut dignitate superari sentirent, et eos qui amicum superarent. Sunt vero etiam, qui, quum voluptati plus tribuant, quam morum similitudini, amicos anquirant, excellentia aliqua, vel ludicra ornatos, quacum suas mentis dotes, vel artes possint conferre. Omnino cultiore nostra et molliore ætate cavendum, ne facta et civitatum et civium vel generis nobilitate, vel artis et honoris præstantia, vel divitiarum magnitudine disjunctorum mutatione, et multiplicata communis vitæ et usus et consuetudinis ratione, quibusvis artium præsidiis, adjumentis, suavitatibus, deliciisque stipata, antiquiorum hominum amicitias metiamur, Læliique simplicitatem carpamus, quem subito de amicitia sic disputantem finxerit Cicero, ut non omnes opportunitates amicitiæ, quas nostrates aut sperent, aut percipiant, nec omnes vitiorum varietates enumerarit, quas effeminata nostra ætas solet

gignere, nec eum in hoc sermone ordinem rerum ac sententiarum sequutus sit, quo brevissima via plurima posset describendo, præcipiendo, monendove complecti, quæ philosophi cura, vel historiarum et populorum cognitio, vel animorum, studiorum, generum, ætatum, conditionum, explorata ratio suppeditare possint nostræ ætatis scriptoribus. Familiari sermoni de rebus scitu, vel disceptatione dignissimis multi patent ad singulas causæ partes aditus et deflectendi rationes et reditus; quibus Cicero non temere et ad vulgarem consuetudinis ac sermonis similitudinem sine consilio et ratione usus est, sed tanta cum artis præstantia et prudentia, ut quæ libidinose, vel luxuriose, vel inconsiderate a multis sæpe ore et sermone expromuntur, ad liberalitatis speciem, et facilitatis suavitatem, et pulchritudinis artisque elegantiam utilissimarum rerum ac sententiarum copiam digereret et componeret largissimam. Itaque paucis abhinc annis verissime quid de Ciceronis Lælio sentiret, vir Perill. *de Gagern* in libri sui, quem inscripsit *Die Resultate der Sittengeschichte*, particula V, p. 22, his verbis exposuit: *Cicero in jener gehaltreichen Abhandlung wog, mit tiefem Blick in das menschliche Herz, den Werth der Freundschaft und ihre Grade ab, und wie es recht ist, mit vordringender Vaterlandsliebe;* ibid. p. 37, *Wie gross und erhaben, wie reich und voll, wie fein, wie tiefgedacht, wie belehrend, wie sittlich sind seine Ideen in jener Abhandlung.*

ARGUMENTUM

E SCHUTZII EDITIONE DESUMPTUM.

Hunc de Amicitia librum scripsit Cicero post Catonem majorem; atque ut in illo ad Atticum senem senex de senectute, sic hoc libro ad eumdem Atticum amicum amicissimus de amicitia scripsit. Fingit autem hanc disputationem habitam esse a Lælio sapiente, cum duobus generis, C. Fannio et Q. Mucio Scævola, qui eum paucis diebus post Scipionis Africani minoris mortem convenisse dicuntur. Cicero autem adolescens ad Q. Mucium Scævolam augurem a patre deductus, quoad posset et liceret, ab hujus senis latere numquam discessit, et quum multa alia ab eo prudenter disputata, multa etiam breviter et commode dicta memoriæ mandasset, tum etiam sermonem Lælii de amicitia cum eo et cum altero genero habitum, ab eo se accepisse refert, cap. 1. Ipsum igitur Lælii colloquium incipit a laudibus Africani nuper mortui, quem sperat etiam post mortem vivere, seque recordatione amicitiæ cum eo contractæ sic frui ostendit, ut beatus sibi vixisse videatur, qui cum Scipione vixerit. Itaque rogatur a Fannio et Scævola, ut quoniam amicitiæ mentionem fecerit, ipsis exponat quid de amicitia sentiat, qualem existimet, et quæ ejus præcepta esse putet, cap. 2-4.

Jam Lælius primum ostendit, amicitiam esse non posse nisi in bonis, eamque ipsa propinquitate præstare, cap. 5. Esse autem eam nihil aliud, nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benivolentia et caritate summam consensionem, qua, excepta sapientia, nihil quidquam melius homini sit a diis immortalibus datum; plurimas enim ejus esse commoditates tum in prosperis, tum in adversis rebus, cap. 6; illa autem omnibus præstare, quod bona spe præluceat in posterum, nec debilitari animos aut cadere patiatur, cap. 7. Amicitiam vero a natura potius quam ab indigentia ortam esse, et applicatione magis animi cum quodam sensu amandi, quam cogitatione, quantum illa res utilitatis sit habitura, cap. 8. Quod si verum

esset ab imbecillitate proficisci amicitiam, ut quisque minimum in se esse arbitraretur, ita ad amicitiam esset aptissimus, quod longe secus esse docetur, cap. 9. Difficile autem esse amicitiam usque ad extremum vitæ permanere. Nam vel ut non idem expediret amicis, incidere sæpe, vel ut de republica non idem sentirent; mutari etiam sæpe mores hominum alias adversis rebus, alias ætate ingravescente. Magna quoque dissidia et plerumque justa nasci, quum aliquid ab amicis, quod rectum non sit postuletur, cap. 10. Itaque cap. 11 explicatur quatenus amor in amicitia progredi debeat. Nullam enim esse excusationem peccati, si amici causa peccaveris. Hanc potius esse legem in amicitia sanciendam, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati, cap. 12; ut ab amicis honesta petamus, amicorum causa honesta faciamus, nec exspectemus quidem, dum rogemur; studium semper adsit, cunctatio absit; consilium vero dare gaudeamus libere; plurimum in amicitia amicorum bene suadentium valeat auctoritas; ut denique bonis amicorum rebus lætemur, doleamus contrariis, cap. 13. Bonis autem inter bonos quasi necessariam benivolentiam esse, qui sit amicitiæ fons a natura constitutus, cap. 14. Stultum vero esse cetera parare quæ parantur pecunia, amicos non parare, optimam et pulcherrimam vitæ supellectilem, cap. 15. In constituendis autem amicitiæ finibus tres vulgo sententias ferri; unam, ut eodem modo erga amicum affecti simus, quo erga nosmet ipsos; alteram, ut nostra in amicos benivolentia illorum erga nos benivolentiæ pariter æqualiterque respondeat; tertiam, ut quanti quisque se ipse faciat, tanti fiat ab amicis. Harum trium sententiarum Lælius ait se nulli prorsus assentiri. Reprehendit etiam Biantis quod ferebatur dictum, ita amare oportere, ut si aliquando sit osurus, cap. 16. His potius finibus in amicitia utendum esse, ut quum emendati mores amicorum sint, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum sine ulla exceptione communitas, ut etiam si qua fortuna acciderit, ut minus justæ amicorum voluntates adjuvandæ sint, in quibus eorum aut caput agatur, aut fama, declinandum sit de via, modo ne summa turpitudo sequatur. Eligendos autem esse amicos firmos et stabiles et constantes, cap. 17. Firmamentum autem hujus stabilitatis et constantiæ, quæ in amicitia quæratur, fidem esse.

Huc accedere oportere, ut ne criminibus aut inferendis delectetur amicus, aut credat oblatis; præterea suavitatem quamdam sermonum atque morum, haudquaquam mediocre condimentum amicitiæ, cap. 18. Veteres autem amicos novis anteponendos esse. Deinde eos, qui sint in amicitiæ necessitudine aliqua re superiores, exæquare se cum inferioribus debere; inferiores autem non debere graviter ferre, se ab amicis suis aut ingenio, aut fortuna, aut dignitate superari. Tantum autem cuique tribuendum, primum quantum ipse efficere possis; deinde etiam, quantum ille, quem diligas atque adjuves, sustinere. Recte etiam præcipi in amicitiis, ne intemperata quædam benivolentia impediat magnas utilitates amicorum. Omninoque considerandum esse et quid postules ab amico, et quid patiare a te impetrari, cap. 19, 20. Esse etiam quasi quamdam calamitatem in amicitiis dimittendis nonnumquam necessariam. Erumpere enim sæpe vitia amicorum tum in ipsos amicos, tum in alienos. Tales amicitias remissione usus eluendas, magisque dissuendas quam discindendas esse; nisi quædam intolerabilis injuria exarserit. Sin autem morum aut studiorum commutatio quædam facta sit, aut reipublicæ partibus dissensio intercesserit, cavendum esse, ne non solum amicitiæ depositæ, sed inimicitiæ etiam susceptæ videantur. Omnium horum incommodorum unam provisionem esse, ut ne nimis cito diligere incipiamus, neve non dignos. Dignos autem esse amicitia, quibus in ipsis causa sit, cur diligantur, cap. 21. Plerosque autem perverse, ac pæne impudenter amicum habere talem velle, quales ipsi esse non possint; quæque ipsi non tribuant amicis, hæc ab iis desiderare. Par esse autem primum ipsum esse virum bonum, tum alterum sui similem quærere. Virtutum enim amicitiam adjutricem esse a natura datam non vitiorum comitem, cap. 22. Sed quum multis in rebus negligentia homines plectantur, tum maxime in amicis et deligendis et colendis, quum tamen omnes fere in eo conveniant, ut sine amicitia vitam esse nullam sentiant, si modo velint aliqua ex parte liberaliter vivere. Naturam enim nihil solitarium amare, semperque ad aliquod tamquam adminiculum anniti, cap. 23. Esse autem et monere et moneri veræ proprium amicitiæ, et alterum libere facere, non aspere,

alterum patienter accipere, non repugnanter; nullam vero in amicitiis pestem esse majorem quam adulationem, blanditiam, assentationem, cap. 24-26. Denique solam virtutem et conciliare amicitias et conservare; quod exemplis adolescentium cum senibus benivolentia conjunctorum, et æqualium inter se, et senum in adolescentium caritate acquiescentium, postremo suæ et Scipionis amicitiæ confirmatur, cap. 27.

M. T. CICERONIS

LÆLIUS,

SIVE

DE AMICITIA*

DIALOGUS,

AD T. POMPONIUM ATTICUM.

I. Quintus Mucius augur[1] multa narrare de C. Lælio, socero suo[2], memoriter et jucunde solebat, nec dubitare, illum in omni sermone appellare[3] sapientem. 1

* Dialogus ad T. Pomponium Atticum scriptus, ut videtur anno ab U. C. 710, vel paullo ante. Facc. — Eodem anno, quo librum de Senectute, Ciceronem de Amicitia scripsisse, ut Facciolatus existimat (cf. annotata ad Cat. M. § 1), vix crediderit, qui de Div. II, 1, librum de Senectute ab ipso Cic. commemoratum viderit, non item hunc de Amicitia librum. Tum Cicero videtur § 4 Catonis sui memoriam non ita recentem repetere. Satis igitur sit cum Schützio monuisse Lælium post Catonem M. scriptum esse. De refutanda Car. Langii et Aldi Nep. opinione non an. Urb. 624, sed 630, fingi hunc sermonem habitum, vide not. ad cap. 11, 39 extr. comp. c. 1, 3. Gern.

I. 1. *Augur*. Auguris sacerdotium erat perpetuum, idcirco additur tamquam cognomen. Est autem hic Q. Mucius Scævola, de quo in Brut. cap. 26, qui consul fuit anno Urb. C. 637. Duxerat uxorem Læliam, paternæ eloquentiæ æmulam. Facc. — Consulatus, quem cum L. Cæcilio Metello Diademato gessit, annum Grævius et Schützius ponunt an. Urb. 635, Wetz. 636, ut in Fast. Capitol. Gern.

2. *Lælio, socero suo*. Duxerat enim ejus filiam Læliam, de qua Fabius et Cicero multis locis. Eam patris tinctam elegantia fuisse Cicero est auctor, Brut. 58, 211. Hæc fuit socrus Crassi oratoris, reddidisseque fertur paternam eloquentiam in dicendo elegantiorem, ut ait Fabius. Rogerius. — Cf. Orat. III, 12, 15.

3. *Appellare sapientem*. Ita appellatur in Offic. lib. III, cap. 4; in Tuscul. V, cap. 19, et de Fin. lib. II,

Ego autem a patre ita eram deductus[4] ad Scævolam[5],
sumpta virili[6] toga, ut, quoad possem, et liceret, a
senis latere numquam discederem. Itaque multa ab eo
prudenter disputata, multa etiam breviter et commode
dicta, memoriæ mandabam; fierique studebam ejus
prudentia doctior. Quo mortuo, me ad pontificem
Scævolam[7] contuli; quem unum nostræ civitatis et
ingenio et justitia præstantissimum audeo dicere : sed
2 de hoc alias; nunc redeo ad augurem. Quum sæpe
multa, tum memini, domi in hemicyclio[8] sedentem,
ut solebat, quum et ego essem una, et pauci admodum familiares, in eum sermonem illum incidere, qui tum fere omnibus erat in ore. Meministi enim profecto, Attice, et eo magis, quod P. Sulpicio[9] utebare multum, quum is tribunus plebis capitali odio a Q. Pompeio, qui tum erat consul, dissideret, quocum

cap. 8. Hinc Horatius, lib. II, sat. 1, « Mitis sapientia Læli ». Facc. — Compara cap. 2, et Plutarchum in Tib. Gracch. c. 8, et Cic. de Finibus, lib. II, cap. 8.

4. *A patre ita eram deductus*. De hujusmodi more vid. lib. II Offic. cap. 31. Facc. — Hunc morem Ciceronis ætate sexto et decimo anno pueris obtigisse Wetzel. ad h. l. docuit. Idem de ipso Marco Tullio tradit Corrad. in Quæst. Gern.

5. *Ad Scævolam*. « Qui studiosos audiendi docebat », ut est in Bruto, cap. 89. Facc. — Cf. Plut. Cic. c. 3.

6. *Sumpta virili*, etc. Anno ætatis XVII, ductus est ad principem in civitate virum; ex more eorum, qui foro et curiæ parabantur. Gern.

7. *Pontificem Scævolam* Jurisconsultum, qui consul fuit anno Urb. C. 658. Facc. — Cf. Orat. I, 39, 180; Brut. 39 et 40; Quint. XII, 3, 9. *Justitiæ* illustre specimen Scævola edidit Offic. III, 15 med.

8. *Hemicyclio*. Ἡμικύκλιον, hemicyclium, pars domus, ubi sedes in semicirculi figuram positæ ad excipiendos amicos et colloquendum. Tum vox, tum res ipsa a Græcis est. Plutarchus in Nicia : γέροντες ἐν ἡμικυκλίοις συγκαθεζόμενοι, « senes in hemicycliis simul sedentes ». Facc.

9. *P. Sulpicio*. Sulpicius disertus, acer, opibus, gratia, amicitiis, vigore ingenii atque animi celeberrimus... subito pravus et præceps, ut Vell. Pat. ait II, 18, auctore C. Mario, periculosis legibus promulgatis, Q. Pompeio cons. cum Corn. Sulla an. Urb. 662 consulatum, Sullæ exercitus adversus Mithridatem ducendi imperium ademptum Mario, tradidit; vid. Liv. Epit. LXXVII; Cic. Orat. III, 3; Plutarchus in vita Mar. 35, et Sull. 8—10. Gern.

conjunctissime et amantissime vixerat, quanta homi-
num esset vel admiratio, vel querela. Itaque tum Scæ- 3
vola, quum in eam ipsam mentionem incidisset, ex-
posuit nobis sermonem Lælii de amicitia, habitum ab
illo secum, et cum altero genero C. Fannio, M. F.
paucis diebus post mortem Africani[10]. Ejus disputationis
sententias memoriæ mandavi; quas hoc libro exposui
meo arbitratu : quasi enim ipsos induxi loquentes,
ne, *inquam*, et *inquit*[11], sæpius interponeretur; at-
que ut, tamquam a præsentibus, coram haberi sermo
videretur.

Quum enim sæpe mecum ageres, ut de amicitia 4
scriberem aliquid, digna mihi res quum omnium co-
gnitione, tum nostra familiaritate, visa est. Itaque feci
non invitus, ut prodessem multis tuo rogatu. Sed, ut
in Catone majore, qui est scriptus ad te de senectute,
Catonem induxi senem disputantem, quia nulla vide-
batur aptior persona, quæ de illa ætate loqueretur,
quam ejus, qui et diutissime senex[12] fuisset, et in ipsa
senectute præ ceteris[13] floruisset : sic, quum accepis-
semus a patribus, maxime memorabilem[14] C. Lælii

10. *Africani.* Minoris, qui Carthaginem ab Africano Majore victam delevit. Filius fuit L. Æmilii Paulli, sed adoptatus a P. Scipione, Africani Majoris filio. FACC. — An. Urb. 624, M? Aquillio, C. Sempronio coss. post duos consulatus, duosque triumphos, et bis excisos terrores reip. mane in lectulo repertus est mortuus. Cf. Vell. Pat. II, 4, 5; Liv. Ep. 59.

11. *Inquam, et inquit.* Hæ sunt sermonem narrantis formæ, quæ nimium repetitæ fastidium afferunt.

12. *Diutissime senex.* Vixit annos quinque supra octoginta. FACC. — Qui L. Marcio, M? Manilio consulibus mortuus est an. Urb. 604, quum natus esset an. Urb. 519, L. Posthumio Albino, Sp. Carvilio Maximo coss. Vid. quæ notav. ad Cat. M. 4, 10, et Brut. 15, 10. GERN.

13. *Præ ceteris.* Gern. dat « præter ceteros ». Quod si, inquit, Cato M. in ipsa senectute « præ ceteris » (h. e. si comparantur ceteri, obscuri illi), floruit, exigua hæc laus fuerit Catonis; sin « præter ceteros », quum ceteri, artibus dediti, floruerunt, tum ipse etiam claris viris præstat, unde sapientis nomen ei contigit; vid. cap. 2 pr.

14. *Memorabilem.* Duos Lælios duobus Scipionibus familiares facit Velleius, lib. II, cap. 27. Sed ce-

et P. Scipionis familiaritatem fuisse, idonea mihi Lælii persona visa est, quæ de amicitia ea ipsa dissereret, quæ disputata ab eo meminisset Scævola. Genus autem hoc sermonum, positum in hominum veterum auctoritate[15], et eorum illustrium, plus, nescio quo pacto, videtur habere gravitatis. Itaque ipse mea legens, sic afficior interdum, ut Catonem, non me
5 loqui existimem. Sed ut tum ad senem senex de senectute, sic hoc libro ad amicum amicissimus de amicitia scripsi. Tum est Cato loquutus, quo erat nemo fere senior temporibus illis, nemo prudentior : nunc Lælius, et sapiens (sic enim est habitus), et amicitiæ gloria excellens, de amicitia loquitur. Tu velim animum a me parumper avertas, Lælium loqui ipsum putes.

C. Fannius[16] et Q. Mucius ad socerum veniunt post mortem Africani : ab his sermo oritur. Respondet Lælius : cujus tota disputatio est de amicitia; quam legens tu te ipse cognosces.

6 II. — FANNIUS. Sunt ista, Læli. Nec enim melior vir fuit Africano quisquam, nec clarior. Sed existi-

leberrima est hujus Caii cum Africano Minore familiaritas, ut etiam exempli loco adduci soleat. FACC. — Cf. Cic. Orat. II, 6, 22; Val. Max. VIII, 2; Horat. Sat. II, 1, 72.

15. *Positum in hominum vet. auctoritate.* Quum sermo veteribus hom. tribuitur, quo majorem auctoritatem habeat oratio; conf. Cat. Maj. I, 3. GERN.

16. *C. Fannius*, etc. Verba hæc usque ad *quam legens*, videntur addita argumenti loco. Postea, ut Ciceronis ea esse apparerent, adjecta sunt illa quoque, « quam legens tu te ipsum cognosces »; quæ quidem in nonnullis codicibus desunt, in aliis variant. FACC. — Speciosa sane interpolationis suspicio, si confers § 3, quo loco cognoscitur, a quo, cum quibus et quando habitus sermo Lælii sit de amicitia, de qua quum § 4 et 5, et sese scripsisse et Lælium nunc loqui dixerit, pæne molesta sunt verba « cujus tota disputatio est de amicitia ». At observandum est, ipsam sermonis, tamquam scenæ, descriptionem § 3 inchoatam, multis de Lælii persona verbis, ad familiaris usus similitudinem interpositis, denique extremo hoc capite sic compleri, ut didascaliorum partes alias repetat, alias addat novas. Postrema vero blande dicta admodum suaviter opponuntur verbis superioribus « tu velim animum a me par. avertas ». GERN.

mare debes, omnium oculos in te esse conjectos: unum te sapientem et appellant, et existimant. Tribuebatur hoc modo M. Catoni[1]. Scimus L. Attilium apud patres nostros appellatum esse sapientem. Sed uterque alio quodam modo: Attilius, quia prudens esse in jure civili putabatur; Cato, quia multarum rerum usum habebat; multa ejus et in senatu, et in foro, vel provisa[2] prudenter, vel acta constanter, vel responsa acute, ferebantur: propterea quasi cognomen[3] jam habebat in senectute sapientis. Te autem[4] alio quodam modo, non solum natura et moribus[5], verum etiam studio et doctrina, esse sapientem[6]; nec sicut vulgus[7], sed ut eruditi solent appellare sapientem, qualem in tota Græcia neminem[8] (nam qui[9] septem 7

II. 1. *M. Catoni.* Est ille ipse, quem disputantem cum Lælio de senectute inducit Cicero. Obiit anno Urb. C. 606. Facc.— Errat V. D. Fuit enim is annus 604, L. Marcio Censorino, M'. Manilio coss. vid. c. 3, 11; Brut. c. 15, et quæ notavi ad Cat. M. c. 4, 10, ætatis anno 85; vid. Brut. c. 20. — De re vid. Cat. M. 2, 4 et 5; Offic. III, 4, 16, ubi in sapientum numero *Attilius* prætermittitur.

2. *Vel provisa.* Particula *vel* hoc loco non adhibetur ad excludendum, sed ad dividendum. Facc.

3. *Cognomen.* Appellari sapientem et cognomen habere sapientis probe distinguenda sunt. *Cognomen* proprium est ac perpetuum. Gern.

4. *Te autem.* Pendet a superiore verbo *existimant.* Nam quæ interjiciuntur, sunt veluti parenthesi conclusa. Scioli verba alia suffecerunt. Facc.

5. *Natura et moribus.* Cf. Offic. I, 26, 90; ibidem c. 30, 108. Gern.

6. *Esse sap.* Facc. post. Grut. delet *esse.*

7. *Nec sicut vulgus.* A quo temere nominantur sapientes. Facc.

8. *In tota Græcia neminem (nam qui ... habent) Athenis.* Gern. parenthesin producit usque ad v. *judicatum;* qui, quum Facc. dedisset « in reliqua Græcia », et notavisset, « Reliquam Græciam dicit, quia mente retinet Athenas, ubi Socrates floruit; de quo statim dicturus est », exclamat : non statim, sed interposita septem illorum sapientium mentione, quos non Athenæ solæ habuerunt. Excipiendæ vero statim erant Athenæ, ut vocem *reliquam* excusaret. At egregie Vir D. fallitur, qui dum *reliqua* defendere sibi videtur, causam monstrat, cur in lectione « in tota Græcia », vox *tota*, deleta ab aliis, ab aliis mutata sit in *reliqua*, quum vice versa, lectionem *reliqua* propter *Athenas*, paullo post commemoratas, mutare nemo ausus fuisset in *tota.*

9. *Septem.* Thales, Bias, Pittacus, Cleobulus, Solon, Chilo. Septimum locum alii Periandro, alii Anacharsidi, alii Epimenidi tribuunt. Facc.

appellantur, eos, qui ista subtilius quærunt, in numero sapientium non habent); Athenis unum [10] accepimus, et eum quidem etiam Apollinis oraculo sapientissimum judicatum. Hanc esse in te sapientiam existimant, ut omnia tua in te posita ducas, humanosque casus virtute inferiores putes. Itaque ex me quærunt, credo item ex te, Scævola, quonam pacto mortem Africani feras, eoque magis, quod his proximis nonis, quum in hortos D. Bruti auguris [11], commentandi causa, ut assolet [12], venissemus, tu non affuisti; qui diligentissime semper illum diem, et illud
8 munus [13] solitus esses obire. — Scævola. Quærunt quidem, C. Læli, multi, ut est a Fannio dictum : sed ego id respondeo, quod animadverti, te dolorem, quem acceperis quum summi viri, tum amicissimi morte, ferre moderate; nec potuisse non commoveri, nec fuisse id humanitatis tuæ : quod autem his nonis in nostro collegio non affuisses, valitudinem causam, non mœstitiam fuisse. — Lælius. Recte tu quidem,

— Vid. Plut. Solon. c. 4; Valer. M. IV, 1, extr. 7; Cic. Offic. III, 4, 17. De septem illorum numero quæ discordia fuerit, exponit Diog. Laert. I, 46. Gern.

10. *Athenis unum*. Id est, Socratem, qui tamen ad rempubl. non accessit; ideoque illius dicta, non facta laudantur. Facc. — De Apollinis oraculo a Chærephonte Delphis domum relato, vid. Plat. apolog. Socrat. c. 5, et quæ notavi ad Cat. M. 21, 78, quibus adde Xenoph. apol. § 14, et Valer. Max. III, 4, extr. 1. Gern.

11. *D. Bruti auguris*. Junius Brutus cos. fuit cum P. Scipione Nasica, Serapione an. Urb. 615; vid. de Leg. lib. III, cap. 9. Gern. — Videtur fuisse D. Brutus Callaicus a Gallæcis in Hispania victis cognominatus. Triumphavit enim e Gallæcia et Lusitania. Grævius.

12. *Ut assolet*. Apparet augures nonis adesse in collegio consuevisse, ut de rebus ad id munus pertinentibus commentarentur, non tamen certum habuisse locum, in quem convenirent. Facc. — Rogerius conferri jubet de Div. I, 41.

13. *Et illud munus*. Quod Lælius in Brut. c. 26, 101, dicitur Fannium, « quia cooptatus in augurum collegium non erat », præ Scævola non admodum dilexisse, nihil pertinet ad nostrum sermonem quo Cic. utrumque Lælii generum pæne parem fingere maluit et æque dilectum socero. Gern.

Scævola, et vere. Nec enim ab isto officio, quod sem-
per usurpavi, quum valerem, abduci incommodo meo
debui; nec ullo casu arbitror hoc constanti homini
posse contingere, ut ulla intermissio fiat officii. Tu 9
autem, Fanni, qui mihi tantum tribui dicis, quantum
ego nec agnosco, nec postulo, facis amice; sed, ut
mihi videris, non recte judicas de Catone. Aut enim
nemo, quod quidem magis credo, aut, si quisquam,
ille sapiens fuit. Quomodo enim, ut alia omittam,
mortem filii tulit? Memineram Paullum[14], videram
Gallum[15]: sed hi in pueris[16]; Cato in perfecto et spe-
ctato viro[17]. Quamobrem cave Catoni anteponas ne
istum quidem ipsum, quem Apollo, ut ais, sapien-
tissimum judicavit. Hujus enim facta, illius dicta lau-
dantur.

III. De me autem, ut jam cum utroque loquar, sic 10
habetote. Ego, si Scipionis desiderio me moveri ne-
gem, quam id recte faciam, viderint sapientes, sed
certe mentiar. Moveor enim tali amico orbatus, qua-
lis, ut arbitror, nemo umquam erit; et, ut confirmare
possum, nemo certe fuit. Sed non egeo[1] medicina:

14. *Paullum*. Paullus pater Africani, de quo hic sermo, in ipsa triumphi lætitia duos filios amisit. Aurel. Victor, cap. 56. Facc. — L. Æmilius Paullus consul an. Urb. 570, cum Cn. Bæbio Pamphilo; iterum an. Urb. 584, C. Licinio Crasso, ex victo Perseo Macedonici cognomen retulit. Liv. XLIV, 17—46, XLV, 1—9, 27—42; Vell. Pat. I, 10; Valer. Max. V, 10, 2; Plut. Æmil. P. c. 35. Gern.

15. *Gallum*. C. Sulpicius Gallus familiaris Macedonici, cujus in bello Maced. tribunus militum fuit. Vid. Epist. IV, 6, et not. ad Cat. M. 14, 49. Consul cum M. Claudio Marcello, an. Urb. 587, Ligures devicit. Gern.

16. *In pueris*. L. Æmilius Paullus Macedonicus et C. Sulpicius Gallus animi constantiam retinuerunt in filiis amissis, sed pueris; Cato in filio, qui ad firmam ætatem pervenerat, et prætor designatus fuerat: vide librum de Senect. sub finem. Facc.

17. *In perfecto et spectato viro*. Ab ipso patre laudatur in Cat. M. cap. 19 et 23 med. Cf. Plut. Cat. cap. 24. Prætor designatus fuerat an. Urb. 601, teste Cic. Tusc. III, 28. Gern.

III. 1. *Sed non egeo medicina.*

me ipse consolor, et maxime illo solatio, quod eo errore careo, quo, amicorum decessu, plerique angi solent. Nihil enim mali accidisse Scipioni puto. Mihi accidit, si quid accidit. Suis autem incommodis graviter angi, non amicum, sed se ipsum amantis est.

11 Cum illo vero quis neget actum esse præclare? Nisi enim, quod ille minime putabat, immortalitatem optare vellet, quid non est adeptus, quod homini fas esset optare? qui summam spem civium, quam de eo jam puero habuerant[2], continuo adolescens[3] incredibili virtute superavit; qui consulatum petivit numquam, factus est consul bis; primum ante tempus[4]; iterum sibi, suo tempore[5]; reipublicæ, pæne sero[6]; qui, duabus urbibus[7] eversis, inimicissimis huic imperio,

Tusc. Quæst. II, 49 pr. « talem enim medicinam philosophia profitetur », et paullo post ait, doloris *remedia* quærenda esse. Cf. ibid. III, 2 pr. Gern.

2. *Qui summam spem civium, quam de eo jam puero habuerant.* Causa, cur tantam de illo spem conceperit populus Romanus, fuit, quod pudore, quum mores juventutis tum essent corruptissimi, omnes æquales superaret. Cf. Polybius in excerptis Peirescianis, quæ Hadrianus Valesius edidit et latine vertit, lib. XXXI. Gr.

3. *Adolescens.* Vid. Liv. XLV, 44; Plut. Æmil. P. c. 22. Ibidem æt. anno xvii, an. U. 584, in bello Persico hostem fortiter insequitur: in Hispania ann. U. 602, L. Lucullo consule tribunus milit. provocatorem barbarum occidit, Intercatiæ urbis murum primus omnium transcendit. Vid. Liv. Epit. XLVIII. Gern.

4. *Ante tempus.* Aurel. Vict. c. 58. Quum ædilitatem peteret ann. U. C. 607, ætatis suæ xxxvi, « consul ante annos ultro factus ». Facc. — Teste Vell. Pat. I, 12, ædilitatem petens consul creatus in annum U. 606, cf. Liv. Ep. L, ante suum, h. e. justum tempus, quum non liceret ante annum xlii consulatum petere. Gern.

5. *Iterum suo tempore.* Hoc est, eo tempore quo licebat per legem Genutiam, eam quidem a L. Cornel. Sulla anno U. 673 repetitam et confirmatam: ne quis eumdem magistratum intra decem annos caperet; apud Liv. VII, 42, et Appian. de Bello civ. I, cap. 100, ann. U. 619, cum Fulvio Flacco; vid. Valer. Maximus, VIII, 15, 4. Gern.

6. *Pæne sero.* Compescuit populum furentem ex cæde Gracchi. Sed si antea consul fuisset, poterat compescere Gracchum ipsum. Facc. — Vir D. Aldi Man. sententiam temere sequitur, quum C. Langius *sero* recte interpretatus esset « propter Numantinum dedecus »; vid. Flor. II, 18. Gern.

7. *Duabus urbibus.* Carthagine anno U. 607, et Numantia anno U. 621. Facc. — Cf. Vell. Pat. II, 4, 3. Gern.

non modo præsentia, verum etiam futura bella delevit. Quid dicam de moribus facillimis? de pietate in matrem[8]? liberalitate in sorores? bonitate in[9] suos? justitia in omnes? Nota sunt vobis; quam autem civitati carus fuerit, mœrore funeris indicatum est. Quid igitur hunc paucorum annorum[10] accessio juvare potuisset? Senectus enim quamvis non sit gravis, ut memini Catonem anno ante, quam mortuus est, mecum et cum Scipione disserere, tamen aufert eam viridi-
tatem, in qua etiamnum erat Scipio. Quamobrem vita 12
quidem talis fuit, vel fortuna[11], vel gloria, ut nihil posset accedere. Moriendi autem sensum celeritas abstulit. Quo de genere mortis difficile dictu est; quid homines suspicentur[12], videtis. Hoc tamen vere licet dicere, P. Scipioni, ex multis diebus, quos in vita celeberrimos lætissimosque viderit, illum diem clarissimum fuisse, quum, senatu dimisso, domum reductus ad vesperum est a patribus conscriptis, a populi romani sociis et Latinis, pridie quam excessit e vita : ut

8. *In matrem*. Papiriam dimissam a patre juvit ex bonis suis : ejusque defunctæ hæreditatem ad sorores pervenire voluit. FACC. — Vid. Polybii reliq. libri XXXII, cap. 12 et 13. Sororum una M. Catoni, Censorii filio, nupserat, altera Q. Tuberoni. GERN.

9. *Bonitate in suos*. Scipionis bonitatem expertæ sunt patris adoptivi sorores apud Polyb. l. l. et Q. Fabius Max. frater; vid. Plut. Æmil. c. 39, et Parad. VI, 9. GERN.

10. *Paucorum annorum*. Vixit annos LVI. Obiit anno U. C. 624. Alii, 625. Vide Somnium Scip. c. 2. FACC. — Anno U. C. 624 (vid. Liv. XLV, 44, et Vell. Pat. II, 4, 7), M'. Aquilio, C. Sempronio coss. GERN.

11. *Vel fortuna*. *Talis* est tam insignis, nisi mavis cum Wetzelio interpretari : « Scipionis vita, sive fortunam spectas, sive gloriam, talis fuit ». GERN.

12. *Suspicentur*. Suspicabantur veneno sublatum, vel vi oppressum et necatum. Victor, cap. 58; Livii Epitome, LIX. FACC. — L. Licinius Crassus in C. Carbonem apud Ciceronem Orat. II, 40, 170 : « quod, inquit, P. Africani necis socius fuisti ». Coll. Epist. IX, 21 extr. ad Quint. Fr. II, 3. Appianus de Bell. civ. I, 20, de Scipione νεκρὸς ἄνευ τραύματος εὑρέθη. Corneliam idem Gracchi matrem cum Sempronia sorore suspectam de veneno dicit fuisse. Plut. in C. Gracch. c. 10, in C. Gracchum et M. Fulvium; Plin. Hist. Nat. VII, 44, in Metellum Maced. criminis suspicionem confert. GERN.

ex tam alto dignitatis gradu ad superos videatur potius, quam ad inferos pervenisse.

13 IV. Neque enim assentior iis, qui hæc nuper disserere[1] cœperunt, cum corporibus simul animos interire, atque omnia morte deleri[2]. Plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel nostrorum majorum, qui mortuis tam religiosa jura[3] tribuerunt; quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur; vel eorum, qui in hac terra[4] fuerunt, Magnamque Græciam[5] (quæ nunc quidem deleta est[6], tum florebat[7])

IV. 1. *Nuper disserere.* Hujusmodi quæstiones per otium et luxuriam excitari solent. Ineunte autem sæculo U. C. septimo ad nimiam quamdam felicitatem Roma pervenerat, excisa Carthagine. Facc.

2. *Atque omnia morte deleri.* Unus Ald. *et omn.* unus neutram particulam tenet. *Omnia* intelligenda sunt, quæ ad quemque, dum vivit, pertinent; vide mox opposita et Tuscul. Quæst. l. l. § 24. Gern.

3. *Religiosa jura.* Jura manium legibus constituta. Facc. — Rogerius et Manut. observant *jura* pro *justa* dici. Sunt autem *justa*, quæ jure præscripta sunt. Cf. de Leg. II, cap. 18, usque ad finem libri, « de manium jure »; cap. 22, 57, « religiosa jura », et cap. 9, ipsa lex est : « Deorum manium jura sancta sunto ». Huc pertinebat pontificium jus et cærimoniæ sepulturæ. De toto h. l. cf. Tuscul. Quæst. I, 13. Gern.

4. *In hac terra.* Significat sectam philosophorum Italicam, cujus parens Pythagoras. Facc. — Cat. M. c. 21, 78. Conf. Tuscul. Quæst. I, 16, 38 et 39. Gern.

5. *Magnamque Græciam.* « A Locris (vid. Plin. Hist. Natur. III, 10) Italiæ frons incipit, Magna Græcia appellata, in tres sinus recedens Ausonii maris ». Cf. Sen. ad Helv. c. 6, § 9: « Totum Italiæ latus, quod infero mari alluitur, Major Græcia fuit ». Verissime Jamblichus de Pythagorica vita, § 166 ed. Kiessl. hoc nomen a Pythagora et a philosophis, poetis et legislatoribus, qui ibi provenerint, repetit, quorum artes et leges in Græciam translatæ sint. Quocum non magnopere dissentit Plin. III, 5. Gern.

6. *Quæ nunc quidem deleta est.* Cf. de Orat. II, 37, 154. Oppressa autem urbs Croton. ab Agathocle anno U. 454, deinde (vid. Liv. XXIV, 3): « post vastitatem eo bello (Pyrrhi) factam vix pars dimidia habitabatur ». Tum ann. U. 537, ab Hannibale « deducti Crotoniatæ ad mare naves conscendunt. Locros omnis multitudo abeunt ». Denique ann. U. 558, teste Liv. XXXIV, cap. 45: « Tempsam et Crotonem civium roman. coloniæ deductæ ». Gern.

7. *Tum florebat.* Cum primaria urbe Crotone, quæ, Livio, XXIV, 3, et Strabone l. l. testibus muris bene cincta, civium frequentia, studiis bellicis et gymnicis, et Pythagoræ sapientia ac disciplina claruit, circa Olymp. LX usque LXVIII (v. *Meiners Geschichte der Wissenschaften in Griechen-*

institutis et præceptis[8] suis erudierunt; vel ejus, qui
Apollinis oraculo sapientissimus est judicatus; qui non
tum hoc[9], tum illud, ut in plerisque, sed idem di-
cebat semper, animos hominum esse divinos, iisque,
quum e corpore excessissent, reditum in cælum pa-
tere, optimoque et justissimo cuique expeditissimum.
Quod item Scipioni videbatur : qui quidem, quasi 14
præsagiret, perpaucis ante mortem diebus, quum et
Philus[10] et Manilius[11] adessent, et alii plures[12], tu-
que etiam, Scævola, mecum venisses, triduum disse-
ruit de republica; cujus disputationis fuit [13]extremum
fere de immortalitate animorum; quæ se in quiete per
visum ex Africano audisse dicebat. Id si ita est, ut opti-
mi cujusque animus in morte facillime evolet, tam-
quam e custodia vinculisque corporis[14] : cui censemus
cursum ad deos faciliorem fuisse, quam Scipioni?

land und Rom, I, pag. 370), omnis Græcia Magna floruisse existimanda est. Gern.

8. *Institutis et præceptis. Instituta* sunt, doctrinæ, virtutisque exercitationes, quibus animus et mores ad præcepta conformantur, ut de Offic. I, 1, 1 : « præceptis institutisque philosophiæ ». Nostro l. Pythagoræ instituta, ad erudiendum potiora habentur quum ad continentiam, moderationem, fidem, justitiam, humanitatem disciplina, usu et consuetudine sociorum pertinerent; vid. Meiners l. l. pag. 391 seqq. Gern.

9. *Tum hoc*, etc. Socrates nihil affirmabat, nihilque certi habebat, sed tum hoc, tum illud. In sola animorum divinitate asserenda constans visus est. De animorum divinitate vide Tuscul. Disp. I, cap. 26 et 27. Facc. — De Apollinis oraculo, vid. not. ad cap. 2, not. 10. Gern.

10. *Philus*. L. Furius Philus, qui cum S. Attilio Serrano consul fuit anno U. 617. In codice libb. de Rep. I, cap. 11, Maius adnotat scribi modo *Philus*, modo *Pilus*. Item apud August. C. D. II, 11. De ejus eloquentia Brut. cap. 28. Gern.

11. *Manilius*. M'. Manilius consul fuit cum L. Marcio Censorino, anno Urb. 604. Gern.

12. *Et alii plures*. Wetzel. Q. Tuberonem et P. Rutilium intelligit, sed Maius in prosopographia ad l. de Rep. pag. XLVI, addit etiam Sp. Mummium, L. Mummii Achaici fratrem. Cf. Rep. I, 12, et III, 34. Gern.

13. *Extremum*. Hoc est Somnium Scipionis. Vide ibi adnotationem primam. Facc. — Quæ extrema pars est libri VI de Rep. Gern.

14. *E custodia vinculisque corporis*. Præter Cat. M. 21, 77, vid. Tusc. Quæst. I, 31. Xenoph. Cyrop. VIII, 7, 21 : ἡ δὲ τοῦ ἀνθρώπου ψυχή... μάλιστα ἐλευθεροῦται. Gern.

Quocirca, mœrere hoc ejus eventu, vereor, ne invidi magis, quam amici sit. Sin autem illa veriora[15], ut idem interitus sit animorum et corporum, nec ullus sensus maneat: ut nihil boni est in morte, sic certe nihil mali. Sensu enim amisso, fit idem, quasi natus non esset omnino; quem tamen esse natum et nos gau-
15 demus, et hæc civitas, dum erit, lætabitur. Quamobrem cum illo quidem, ut supra dixi, actum optime est; mecum incommodius: quem fuerat æquius, ut prius introieram, sic prius exire de vita. Sed tamen recordatione nostræ amicitiæ sic fruor, ut beate vixisse videar, quia cum Scipione vixerim; quocum mihi conjuncta cura de re publica, et de privata fuit, quocum et domus[16], et militia communis; et id, in quo est omnis vis amicitiæ, voluntatum, studiorum, sententiarum summa consensio. Itaque non tam ista me sapientiæ, quam modo Fannius commemoravit, fama delectat, falsa præsertim, quam quod amicitiæ nostræ memoriam spero sempiternam fore. Idque mihi eo magis est cordi, quod ex omnibus sæculis vix tria, aut quatuor nominantur[17] paria amicorum; quo in genere sperare videor, Scipionis et Lælii amicitiam
16 notam posteritati fore. — FANNIUS. Istud quidem, Læli, ita necesse est[18]: sed, quoniam amicitiæ mentionem

15. *Illa veriora, ut.* Quæ quidem (§ 13) « disserere cœperunt, cum corp. simul animos interire »: quam sententiam h. l. repetit, structura in *ut... sit* mutata, ut cap. 16, 56: « tres video sententias ferri... unam, ut... simus ». GERN.

16. *Domus.* Vita domi acta. FACC.

17. *Vix tria, aut quatuor nominantur.* Wetzelius amicitias commemorat Thesei et Pirithoi; vid. Plutarch. Thes. c. 29, et Hor. Carm. IV, 7, 17, *Achillis* et *Patrocli* apud Hom. *Orestis* et *Pyladis*; vid. infra c. 7, 24. De Fin. I, 20, Cicero « tria vix, inquit, amicorum paria reperiuntur, ut ad Orestem pervenias, profectus a Theseo ». Quartum par, vel *Damonis* et *Phintiæ* (Offic. III, 40), amicitia certe non in fictis veterum fabulis habetur, quas l. l. repetit. GERN.

18. *Istud quidem ita necesse est.* Breviter sic Fannius loquitur, omisso *fore*, quæ proxima vox fuit Lælii. Comp. Philipp. IV, 4, 10: « Ita vero, Quirites, ut precamini, eveniat, atque

fecisti, et sumus otiosi, pergratum mihi feceris, spero item Scævolæ, si, quemadmodum soles, de ceteris rebus, quum ex te quæruntur, sic de amicitia disputaris, quid sentias[19], qualem existimes, quæ præcepta des. — Scævola. Mihi vero pergratum erit; atque, id ipsum quum tecum agere conarer, Fannius antevertit. Quamobrem utrique nostrum gratum admodum feceris.

V. — Lælius. Ego vero non gravarer, si mihi ipse 17
confiderem : nam et præclara res est; et sumus, ut dixit Fannius, otiosi. Sed quis ego sum? aut quæ in me est facultas? Doctorum est ista[1] consuetudo, eaque Græcorum[2], ut iis ponatur, de quo disputent quamvis subito[3]. Magnum opus est, egetque exercitatione non parva. Quamobrem quæ disputari de amicitia possunt, ab eis, censeo, petatis, qui ista[4] profitentur. Ego vos hortari tantum possum, ut amicitiam omnibus rebus humanis anteponatis. Nihil est enim tam

hujus amentiæ pœna in ipsum recidat, quod ita futurum esse confido ». Quod verbum ut deorum justitiæ et potentiæ convenit, sic *necesse est* posteritatis judicio, quæ, dum sana mente erit, tantorum amicorum memoriam conservabit. Gern.

19. *Quid sentias*. Scil. de amicitia, qua Lael. cap. 5 et 6, nihil melius esse sentit; qualem amicitiam hoc nomine dignam existimet esse, ipse exponit inde a cap. 8. Præcepta denique dedit inde a cap. 11, sed vide Proleg. Gern.

V. 1. *Doctorum est ista*. Wetzelius interpretatur philosophorum, ut Off. III, 1, 9. Sunt vero dialecticæ artis scientia et usu instructi, sed veri cognoscendi parum studiosi. Cf. Orat. I, 22, 102; eodem, I, § 105. Gern.

2. *Eaque Græcor*. In lib. II de Fin. cap. 1 : « Primus est ausus Leontinus Gorgias in conventu poscere quæstionem ». Idem postea professus est Hippias Eleus in ludis Olympicis, cuncta pæne audiente Græcia. Facc. — *Eaque Græcorum* pro *eorumque Græcorum*, qui casus pronominis pro *et quidem* hoc verborum ordine haberet aliquid ambigui. Gern.

3. *De quo disputent quamvis subito*. Interpres est Cicero, Orat. I, 33, 150. Gern.

4. *Qui ista profitentur*. De Orat. I, 22, 103. Longe acerbius sophistarum, in primis Leontini Gorgiæ, hanc impudentiam perstringens Crassus ait : « hodieque faciunt, ut nulla sit res, neque tanta, neque tam improvisa, neque tam nova, de qua se non omnia, quæ dici possunt, profiteantur esse dicturos ». Gern.

naturæ aptum[5], tam conveniens[6] ad res vel secundas,
18 vel adversas. Sed hoc primum sentio, nisi in[7] bonis amicitiam esse non posse : neque id ad vivum[8] reseco, ut illi, qui hæc subtilius disserunt[9], fortasse[10] vere, sed ad communem utilitatem parum. Negant enim, quemquam virum bonum esse, nisi sapientem. Sit ita sane : sed eam sapientiam interpretantur, quam adhuc mortalis nemo est consequutus. Nos autem ea, quæ sunt in usu, vitaque communi, non ea, quæ finguntur, aut optantur, spectare debemus. Numquam ego dicam, C. Fabricium, M'. Curium, Tib. Coruncanium[11], quos sapientes nostri majores judicabant, ad istorum normam fuisse sapientes. Quare sibi[12] habeant

5. *Naturæ aptum.* Non enim sine virtute esse ullo pacto potest, ut ait, cap. 6, 20, de amicitiæ fructu in prosperis vel adversis rebus. Conf. infra § 22. Gern.

6. *Tam conveniens ad res vel secundas, vel adversas.* Vim. *res secundas,* omisso *vel.* Servanda est autem hæc diversarum partium æquabilitas per duplex *vel* indicata. Gern.

7. *Nisi in bonis.* Cf. Plato in Lys. p. 214 et 222. Comp. de Republ. I, p. 335, A; Xenophon. Memorab. Socr. II, 6, 22; Aristotelis Ἠθικ. IX, 4 extr. Gern.

8. *Ad vivum reseco.* Proverbialis loquendi modus, ab iis ductus, qui pilos, aut ungues ad vivam cutem resecant. Quæ hic de sapientia et bono viro dicuntur, confer cum iis, quæ sunt in Off. lib. III, cap. 4. Facc.

9. *Subtilius disserunt.* Stoici, qui summam quamdam bonitatis et sapientiæ formam, quæ vix in hominem caderet, requirebant. Facc. — Intell. et quum *bonos* dico, non intelligo eos quos solos Stoici vocant *bonos :* nam nemo in terris hoc nomine dignus esset : et hæc subtilis Stoicorum doctrina, etiamsi vera esset, nihil omnino ad hominum utilitatem conferret.

10. *Fortasse vere... parum. Vere* est ad virtutis et sapientiæ perfectæ notionem convenienter, ut decet philosophum, quem sese Lælius negat esse. Ad *communem utilitatem* pertinent præcepta, quæ dantur iis, in quibus propter ingenii bonitatem similitudines honesti esse possunt, ut, quum aliquid actum est, in quo media officia compareant, id cumulate videatur esse perfectum. Vide Offic. III, 3, et I, 15 pr. « in quibus præclare agitur, si sunt simulacra virtutis ». Gern.

11. *C. Fabricium, M'. Curium, Tib. Coruncanium.* C. Fabricius consul fuit ann. U. 471, iterum ann. 475, ut M'. Curius Dentatus ann. U. 463. Tib. Coruncanius (Facciolatus, ut Cat. Maj. 9, 27, ubi vide not. *T. Corunc.* item Græv.), ann. U. 473, quos Cato Maj. cap. 6, 15, dicit rempubl. consilio et auctoritate defendisse. Gern.

12. *Sibi habeant.* De divortio Philipp. II, 28, 69, « suas res sibi ha-

sapientiæ nomen et invidiosum, et obscurum; concedantque, ut hi boni viri fuerint. Ne id quidem facient: negabunt, id [13], nisi sapienti, posse concedi. Agamus 19
igitur pingui Minerva, ut aiunt. Qui ita se gerunt, ita vivunt, ut eorum probetur fides, integritas, [14]æquitas, liberalitas, nec sit in illis ulla cupiditas, vel libido, vel audacia, sintque magna constantia, ut ii fuerunt, modo quos nominavi; hos viros bonos, ut habiti sunt, sic etiam appellandos putemus; quia sequantur, quantum homines possunt, naturam [15], optimam bene vivendi ducem. Sic enim mihi perspicere videor, ita natos esse nos, ut inter omnes esset societas quædam; major autem [16], ut quisque proxime accederet. Itaque cives,

bere jussit». Verr. II, 19 extr. «Clamare cœperunt, sibi ut haberet hæreditatem». Ita h. l. tamquam propria possessio conceditur nomen sapientiæ, quod invidiam movet apud alios, quasi sit virorum sapientium natura perfectior: hinc *invidiosum* appellatur; idemque *obscurum*, quum dici non possit, quid illud sit, quo eorum virtus a reliquorum virtute præstet, quoniam vivitur non cum perfectis hominibus planeque sapientibus, nec quisquam sic sapiens est, ut sapientem Stoici volunt intelligi. Vide Off. III, 4. Gern.

13. *Negabunt, id.* Ad pronomen *id*, quod sequitur, non, ut Wetzelius interpretatur, «nomen viri boni» intelligendum est, sed «ut vir bonus sit», quod suadent verba «ut hi boni viri fuerint», quo pronomen referendum est. Gern.

14. *Æquitas.* Mihi videtur illa *æquitas* intelligenda, quam Cic. Offic. I, 19, 64, dicit justitiæ maxime propriam, quam difficile sit servare, quum præstare omnibus concupieris: quæ non tam legibus præscripta est, ut justitia, quam humanitatis fructus, et tamquam inter justitiam et liberalitatem posita. Gern.

15. *Naturam... ducem.* Ita in Off. lib. I, cap. 7. Hoc summum bonum dicitur in Leg. lib. I, cap. 21. Ille autem naturam sequitur, qui ex lege naturæ vivit, nihilque prætermittit, quantum in ipso est, quominus ea, quæ natura postulat, consequatur. Facc.

16. *Major autem.* Scilic. societas. De societatis hominum gradibus conf. Offic. I, 17 pr. et III, 17, ubi tres societates sic distinguit: «latissime quæ pateat hominum inter homines; inferior eorum, qui ejusdem gentis sunt; propior eorum, qui ejusdem civitatis». Hanc nostro loco contractius dicere placuit *majorem*, prætermissa media illa, quum, ut ad amicitiam aditum aperiret, plus interesset eorum, qui ejusdem familiæ essent, seu propinquorum societatem cum civibus jungere. Gern. — Nobis h. l. Gern. errare videtur. Non hoc loco Cicero contraxit societatis gradus quos in l. l. Offic. dilataverat magis. Primum ge-

potiores, quam peregrini; et propinqui, quam alieni. Cum his[17] enim amicitiam natura ipsa peperit; sed ea non satis habet firmitatis. Namque hoc præstat amicitia propinquitati[18], quod ex propinquitate benivolentia tolli potest, ex amicitia non potest. Sublata enim benivolentia, amicitiæ nomen tollitur, propinquitatis manet[19]. Quanta autem vis amicitiæ[20] sit, ex hoc intelligi maxime potest, quod ex infinita societate generis humani, quam conciliavit ipsa natura, ita contracta res est, et adducta in angustum, ut omnis caritas aut inter duos[21], aut inter paucos jungeretur[22].

VI. Est autem amicitia nihil aliud, nisi omnium divinarum humanarumque rerum[1], cum benivolentia

nerale ponit principium sc. societatem majorem esse, prout homines propius inter se accedunt : deinde hoc probat et confirmat exemplis : *Itaque cives*, etc. in quibus eamdem fere sequitur divisionem, atque in loco laudato Off. Nam si nostro loco in exemplis non ponit societatem qua omnes homines terrarum incolæ conjunguntur, hunc gradum expressit, quum dixit supra « ita natos esse nos, ut inter omnes, etc. »

17. *Cum his*. Non alienis, sed propinquis, quamquam illud vocab. propius abest a pronomine. At sunt propinqui potiores colligatione. Cf. notata ad Cat. 19, 68. Gern.

18. *Propinquitati*. Vim. *propinquitate*. Sed cf. ad Attic. VII, 13. Gern.

19. *Propinquitatis manet*. Scil. nomen, quod rei, cujus illud tamquam nota est, natura mutata, tollitur, ut amicitiæ, sublata benivolentia, quæ est ejus pars necessaria, quum propinquitatis nomen, quo sanguinis tantum affinitas significatur, etiamsi propinqui non junguntur benivolentia, integrum tamen manet. Hæc notavi, quoniam speciosa est lectio « propinquitas manet ». Quæ si cui placuerit, sententia hæc erit : amicitiæ ne nomen quidem, sublata benivolentia, relinquitur ; propinquitatis nulla fit, mutatis animis et moribus, jactura, utpote quæ sit e sanguine, non ex benivolentia, oriunda. Gern.

20. *Vis amicitiæ*. Vis naturæ nos conciliat omnibus hominibus, vis amicitiæ vix uni, aut alteri nos conjungit.

21. *Inter duos*. Quæ a veteribus Græcis celebrantur amicitiæ, sunt inter duos tantum, Thesei et Pirithoi, Achillis et Patrocli, Orestis et Pyladis, Damonis et Phintiæ, Pelopidæ et Epaminondæ. Vid. Plutarch. περὶ πολυφιλίας. Facc. — Non posse autem veram amicitiam esse, nisi inter duos aut inter paucos, etiam Aristoteles defendit de Moribus, VIII, 7; IX, 10. Gern.

22. *Jungeretur*. Vim. *jungatur*. Non autem eventum, quem illa conciliatio etiamnum haberet, sed consilium naturæ par erat significari. Gern.

VI. 1. *Omnium divinarum humanarumque rerum*, etc. Hinc apparet,

et caritate, summa consensio: qua quidem haud scio, an, excepta sapientia, nihil quidquam melius homini sit a diis immortalibus datum. Divitias alii præponunt, bonam alii valitudinem, alii potentiam, alii honores, multi etiam voluptates. Belluarum hoc quidem extremum est; illa autem superiora, caduca et incerta, posita non tam in nostris consiliis, quam in fortunæ temeritate. Qui autem in virtute summum bonum ponunt, præclare illi quidem[2]: sed hæc[3] ipsa virtus amicitiam et gignit, et continet, nec sine virtute amicitia esse ullo pacto potest. Jam virtutem ex consue- 21
tudine vitæ sermonisque nostri interpretemur; nec eam, ut quidam docti, verborum magnificentia me-

inter heterodoxos veram amicitiam esse non posse. Facc. — Ernest. horum verb. interpretationem in Clav. ad v. *divinus* peti vult ex cap. 17 pr. quasi eadem utraque notio sit. Enimvero quum eruditorum amicitia in cognoscendi et agendi consensione cernitur, h. l. e sapientiæ, ejus quidem maxime illis expetendæ, definitione, quam Fin. II, 12, 37, et Offic. II, 2, 5, « divinarum et humanarum rerum scientiam » dixit, omnium rerum scitu dignissimarum h. e. rerum naturæ cognitionem et morum disciplinam amicorum studiis proposuit. Nam in voluntatum, studiorum et sententiarum consensione esse vim amicitiæ Lælius obiter dixit cap. 4, 15, et cap. 27, 103, ubi sua cum Scipione cognoscendi semper aliquid atque discendi studia præter consensum de rep. commemorat. Quibus nostro loco addit benivolentiam et caritatem in agendo exprimendam, quam modo dixerat necessariam esse in amicitia. Neque prætermittendum est h. l. Lælium, tamquam de divino munere, de vera et perfecta amicitia loqui (vid. § 22), non de mediocri vel eorum amicitia, quos novit vita communis (vid. c. 11, 38), quorum amicitiæ fines constituit cap. 17 pr. Hæc igitur definitio ad agendum potius et ad officiorum fines pertinet. Quare etiam *communitatis* vocabulo ibi usus est, non *consensionis*, quod ad rerum, ut victus, militiæ, peregrinationum, rusticationum, communem usum (vide 27, 103) minus convenit, quam ad sentiendi, statuendique rationem: cui quæ addenda erant tamquam tenerioris imaginis hujus lineamenta verbis « cum benivolentia et caritate » satis putavit significari. Gern. — *Haud scio, an*. Vide Excurs. ad calcem.

2. *Præclare illi quidem*. Intelliguntur autem Academici et Peripatetici, quos cum Stoicis, quibus honestum solum bonum est, Cic. comparat de Offic. III, 3, 11. Gern.

3. *Sed hæc ipsa virtus amicitiam et gignit, et continet*. Hæc contractius dicuntur pro: sed amicitiam non minus, quam virtutem, in bonis habere debent, quia ipsa virtus amicitiam et gignit, et continet. Gern.

tiamur, virosque bonos eos, qui habentur, numeremus, Paullos, Catones[4], Gallos, Scipiones, Philos (his communis vita contenta est); eos autem omittamus, qui omnino nusquam reperiuntur. Tales igitur inter viros amicitia tantas opportunitates habet, quantas
22 vix queo dicere. Principio, cui potest esse « vita vitalis », ut ait Ennius, qui non in amici mutua benivolentia conquiescat? quid dulcius, quam habere, quicum omnia audeas sic loqui, ut tecum? Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis æque, ac tu ipse, gauderet? Adversas vero ferre difficile esset sine eo, qui illas gravius etiam, quam tu, ferret. Denique ceteræ res, quæ expetuntur, opportunæ sunt singulæ rebus fere singulis : divitiæ[5], ut utare; opes, ut colare[6]; honores, ut laudere; voluptates, ut gaudeas; valitudo, ut dolore careas, et muneribus fungare corporis : amicitia res plurimas continet. Quoquo te verteris, præsto est; nullo loco excluditur; numquam intempestiva, numquam molesta est. Itaque non aqua, non igni, ut aiunt, pluribus locis utimur, quam amicitia. Neque ego nunc de vulgari, aut de mediocri, quæ tamen ipsa et delectat, et prodest, sed de vera et perfecta loquor, qualis eorum, qui pauci nominantur, fuit. Nam et secundas res splendidiores facit

4. *Paullos, Catones*, etc. L. Æmilius Paullus, et is, qui, Cat. Maj. cap. 20, 75, « morte luit collegæ in Cannensi ignominia temeritatem », et Macedonicus, illius filius, qui de Macedonia triumphavit. Vide Livium, XLIV, 17-46; Offic. II, 22. De Catone Maj. qui sapiens appellatus est, vide cap. 1, 4. C. Sulpicius Gallus dimetiundi cæli atque terræ studio insignis. Vide Cat. Maj. 14, 19; Liv. l. l. 37, et adnot. ad cap. 2, 9. P. Cornelius Scipio et Cn. Cornelius Scipio fratres « duo propugnacula belli Punici », vide Parad. I, 2, et Cat. Maj. 20, 75. De L. Furio Philo cf. adnot. ad c. 4, 14. Gern.

5. *Divitiæ, ut utare; opes*. Opes sumuntur hic pro potentia, auctoritate et gratia. Facc.

6. *Ut colare*. Hoc verbum pertinet ad observantiam patronis potissimum debitam. Cf. Cic. Inv. III, 53; Rosc. Am. 37, 106. Gern.

amicitia, et adversas partiens communicansque leviores.

VII. Quumque plurimas et maximas commoditates 23
amicitia contineat, tum illa nimirum præstat omnibus, quod bona spe prælucet in posterum; nec debilitari animos, aut cadere patitur. Verum etiam amicum qui intuetur, tamquam exemplar aliquod intuetur sui. Quocirca et absentes[1] adsunt, et egentes abundant[2], et imbecilles valent, et, quod difficilius dictu est, mortui vivunt: tantus eos honos, memoria, desiderium prosequitur amicorum. Ex quo illorum beata mors videtur; horum vita laudabilis. Quod si exemeris ex natura rerum benivolentiæ conjunctionem, nec domus ulla, nec urbs stare poterit; ne agri quidem cultus permanebit. Id si minus intelligitur, quanta vis amicitiæ concordiæque[3] sit; ex dissensionibus atque discordiis percipi potest. Quæ enim domus tam stabilis, quæ tam firma civitas est, quæ non odiis atque dissidiis funditus possit everti? ex quo,
quantum boni sit in amicitia, judicari potest. Agri- 24
gentinum[4] quidem, doctum quemdam virum, carmi-

VII. 1. *Absentes.* Bonus vir amicos etiam absentes colit; ac ne mortuos quidem obliviscitur. Facc. — Oxymoron hoc est, quale in Catil. I, 8, 21: « quum tacent, clamant ». Cf. Læl. c. extr. « Mihi quidem Scipio... ereptus vivit tamen »; et Eurip. Hippol. 1003.

2. *Egentes abundant.* Benivolentiam enim et consuetudinem utilitates multæ et magnæ consequuntur, ut c. 9, 30 et 31. Gern.

3. *Concordiæque.* Amicitiæ similitudinem veteres philosophi, ut, quæcumque sunt in hominum animis excellentia, eorum prima indicia vel elementa in natura rerum quærunt, ut fiat quædam necessitatis ex communitate significatio, apparere et in bestiis, c. 8, et in illa latius patente concordia vident inesse, qua domi et urbes conserventur, totusque mundus constet, ut Aristot. Eth. VIII, 1: ἡ γὰρ ὁμόνοια ὁμοῖόν τι τῇ φιλίᾳ ἔοικεν εἶναι. Sallust. b. Jug. c. 10: « Nam concordia parvæ res crescunt, discordia maxumæ dilabuntur ». Gern.

4. *Agrigentinum.* Empedoclem, qui duo principia rerum posuit, litem et amicitiam. Facc. — De Empedocle Schützius videre jubet Sext. Empir. IX, 10; Diog. Laert. VIII, 76, et Sturzii doctissimum opus, quod inscriptum est « Empedocles Agrigenti-

nibus græcis vaticinatum ferunt, quæ in rerum natura, totoque mundo constarent, quæque moverentur, ea contrahere amicitiam, dissipare discordiam. Atque hoc quidem omnes mortales et intelligunt, et re probant. Itaque, si quando aliquod officium exstitit amici in periculis aut adeundis, aut communicandis[5], quis est, qui id non maximis efferat laudibus? qui clamores tota cavea nuper in hospitis et amici mei M. Pacuvii nova fabula[6], quum, ignorante rege[7], uter eorum esset Orestes, Pylades Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur; Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret[8]? Stantes plaudebant in re ficta: quid arbitramur in vera fuisse facturos? Facile indicabat ipsa natura vim suam: quum homines[9], quod facere ipsi non possent, id recte fieri in altero judicarent. Hactenus mihi videor, de amicitia quid sentirem, potuisse dicere. Si qua præterea sunt, credo autem esse multa, ab iis, si videbitur, qui ista disputant, quæritote. — FANNIUS. Nos autem a te potius: quamquam etiam ab istis sæpe

nus ». Lips. 1806, t. I, § 10, pag. 214—256. Add. Plutarch. de plac. philosoph. I, 3, et Plat. Conv. c. 12 et 13, qui duplicem Ἔρωτα fingit. Latissimam hanc amicitiæ notionem Pythagoras videtur in philosophiam induxisse apud Jamblichum de vita Pythag. c. 33. GERN.

5. *Adeundis, aut comm. Adire* pericula amicus intelligitur solus pro altero; *communicat* vero pericula qui comitem se præbet alteri adeunti. Vid. § 22 extr. GERN.

6. *Mei M. Pacuvii nova fabula.* De hoc poeta tragico, Brundusii nato, vid. Quint. X, 2, 97. GERN.

7. *Rege.* Voci *rege* C. præponit *Telepho*, qui Thoas apud Euripidem appellatur. De Tauricæ Chersonesi more naufragos immolandi vid. Herod. IV, 103. Certamen amoris vide præter Eurip. Iphig. Taur. 673 seqq. Ovid. ex Pont. III, 2, qui inde a v. 45—100, totam hanc fabulam narrat. GERN.

8. *Perseveraret.* Constanter asseveraret.

9. *Quum homines ... judicarent.* Observandum est, hoc hominum judicium ad naturæ incorruptæ vim revocari, quod vacat invidia præsertim in re ficta. Namque vere facta cum suis moribus comparantes ad invidiam aut ad aliquam suspicionem sæpe multi impelluntur. Vide Lucian. Toxaris, vel de amicitia. GERN.

quæsivi, et audivi, non invitus equidem; sed aliud quoddam expetimus filum orationis tuæ. — SCÆVOLA. Tum magis id diceres, Fanni, si nuper in hortis Scipionis, quum est de republica disputatum, affuisses. Qualis tum patronus justitiæ fuit contra accuratam orationem Phili[10]! — FANNIUS. Facile id quidem fuit, justitiam justissimo viro defendere. — SCÆVOLA. Quid amicitiam? nonne facile ei, qui ob eam summa fide, constantia, justitiaque servatam, maximam gloriam ceperit? — LÆLIUS. Vim hoc quidem est afferre. Quid 26
enim refert, qua me rogatione cogatis? cogitis certe. Studiis enim generorum, præsertim in re bona, quum difficile est, tum ne æquum quidem obsistere.

VIII. Sæpissime igitur mihi de amicitia cogitanti, maxime illud considerandum videri solet, num propter imbecillitatem atque inopiam desiderata sit amicitia; ut dandis, recipiendisque meritis, quod quisque minus per se ipse posset, id acciperet ab alio, vicissimque redderet : an esset[1] hoc quidem proprium amicitiæ; sed antiquior[2], et pulchrior, et magis a natura ipsa profecta alia causa. Amor enim, ex quo amicitia nominata, princeps est[3] ad benivolentiam conjungendam. Nam utilitates quidem etiam ab iis percipiuntur sæpe, qui simulatione amicitiæ coluntur, et observantur causa temporis. In amicitia autem nihil fictum, nihil simulatum; et, quidquid in ea est, id est verum et voluntarium. Quapropter a natura mihi 27
videtur potius, quam ab indigentia, orta amicitia, et

10. *Phili*. L. Furii Phili, vel Pili, ut in cod. Vaticano scribitur. Vid. not. ad c. 4, 14. GERN.

VIII. 1. *An esset hoc quidem*, etc. Id est, an esset hæc proprietas amicitiæ, sed causa alia ipsius amicitiæ foret. FACC.

2. *Antiquior*. Credibile est enim, primas amicitias ab amore cœpisse. FACC.

3. *Princeps est ad benivolentiam*. Pro « gignit beniv. » Rariorem hunc v. *princeps* usum comp. cum Orat. II, 87, 356. GERN

applicatione[4] magis animi cum quodam sensu amandi, quam cogitatione, quantum illa res utilitatis esset habitura. Quod quidem quale sit, etiam in bestiis quibusdam animadverti potest : quæ ex se natos ita amant àd quoddam tempus, et ab eis ita amantur, ut facile earum sensus appareat. Quod in homine multo est evidentius. Primum ex ea caritate, quæ est inter natos et parentes; quæ dirimi, nisi detestabili scelere[5], non potest. Deinde, quum similis sensus exstitit amoris, si aliquem nacti sumus, cujus cum moribus et natura congruamus, quod in eo quasi lumen aliquod probitatis et virtutis perspicere videamur.
28 Nihil est enim amabilius virtute; nihil, quod magis alliciat ad diligendum : quippe quum propter virtutem et probitatem, eos etiam, quos numquam vidimus, quodam modo diligamus. Quis est, qui C. Fabricii[6], M'. Curii[7] non cum caritate aliqua et benivolentia memoriam usurpet, quos nusquam viderit? quis autem est, qui Tarquinium Superbum[8], qui

4. *Applicatione.* Applicatio animi cum sensu motum naturæ exprimit cum ratione. Facc.

5. *Quæ dirimi, nisi detestabili scelere.* Perduellionis, majestatis : ut Sp. Cassius pater filium, regni affectatorem accusavit, sec. Dion. Hal. VIII, 78, 79, et Liv. II, 41. Brutus filios, Liv. II, 5, proditores patriæ, hostes judicavit. Orestes matrem occidit ob id, quod ipsa occiderat patrem. Sic Hippolytus a Phædra apud Theseum patrem, falso incestus delatus, in gravissimum patris odium venit. Sic Cluentii in matrem odium. Vide Ciceronis orationem pro Cluentio. Beturlius. — Sed nonne potest etiam locus intelligi hoc sensu : quam dirimere scelus est detestabile?

6. *C. Fabricii.* C. Luscinus Fabricius consul iterum an. Urb. 475, perfugam ad Pyrrhum reducendum curavit, idque factum ejus a senatu laudatum est. De Offic. III, 22, 86, idem justus appellatur ibid. 4, 16, consilio et auctoritate remp. defendit. Cat. M. 6, 15. Cf. infr. c. 11, 39. Gern.

7. *M'. Curii.* M'. Curius Dentatus cons. an. Urb. 468, ad focum sedens, magnum auri pondus Samnites quum attulissent, repudiavit. Vid. Cat. Maj. 16, 55. De Republ. III, c. 3, « quem nemo ferro potuit superare, nec auro ». Gern.

8. *Quis autem est, qui Tarquinium Superbum*, etc. Hujus regis, de quo Liv. I, 57 seq. superbiam et

Sp. Cassium[9], Sp. Mælium[10] non oderit? Cum duobus ducibus de imperio in Italia decertatum, Pyrrho et Hannibale[11]: ab altero, propter probitatem ejus[12], non nimis alienos animos habemus; alterum, propter crudelitatem[13], semper hæc civitas oderit.

IX. Quod si tanta vis probitatis est, ut eam vel in 29
eis, quos numquam vidimus, vel, quod majus est, in hoste etiam diligamus: quid mirum, si animi hominum moveantur, quum eorum, quibuscum usu conjuncti esse possunt, virtutem et bonitatem perspicere videantur? Quamquam confirmatur amor et beneficio accepto, et studio perspecto, et consuetudine adjuncta; quibus rebus ad illum primum motum animi et amoris adhibitis, admirabilis quædam exardescit benivolentiæ magnitudo: quam si qui putant ab imbecillitate proficisci, ut sit, per quem quisque assequatur, quod desideret; humilem sane relinquunt, et minime generosum, ut ita dicam[1], ortum amicitiæ, quam ex inopia atque indigentia natam volunt. Quod si ita esset, ut quisque minimum in se esse arbitraretur, ita ad amicitiam esset aptissimus: quod longe secus est. Ut 30

importunitatem Cic. notat cap. 15, 53. Gern.

9. *Sp. Cassium.* Viscellini cognomine præditus an. Urb. C. 268, ubi primum magistratu abiit, regni affectati damnatus necatusque est. Vid. Liv. II, 44. Gern.

10. *Sp. Mælium.* In Goth. a. additur «regnum appetentem» ex Cat. M. 16, 56. Nam quum ex equestri ordine, prædives largitionibus frumenti, plebem secum trahere et de regno agitare instituisset, Servil. Ahala eum obtruncavit. Vid. Liv. IV, 13 et 14. Gern.

11. *Pyrrho et Hannibale.* Vide lib. I de Offic. c. 12. Facc.

12. *Probitatem.* De Pyrrhi probitate, grative animi significatione in captivis sine pretio reddendis, quum ipse servatus a Fabricio esset, vid. Plut. in primis c. 21, sexto anno vel an. Urb. 478. Gern.

13. *Crudelitatem.* Hannibal *crudelissimus* appellatur Cat. M. 20, 75; Valer. Max. IX, extr. 2, 2. Apud Liv. XXII, 58, ipse Hann. dicit: «Non internecinum sibi esse cum Romanis bellum: de dignitate atque imperio certare». Gern.

IX. 1. *Generosum, ut ita dicam.* Vocem, quæ stirpi nobilissimæ tribui solet, ut Divin. I, 12, similiter excusat Cic. Tusc. II, 6, 16. Gern.

enim quisque sibi plurimum confidit, et ut quisque maxime virtute et sapientia sic munitus est, ut nullo egeat, suaque omnia in se ipso posita judicet: ita in amicitiis expetendis colendisque maxime excellit. Quid enim Africanus indigens mei[2]? Minime hercle; ac ne ego quidem illius : sed ego admiratione quadam virtutis ejus, ille vicissim opinione fortasse nonnulla, quam de meis moribus habebat, me dilexit; auxit benivolentiam consuetudo. Sed quamquam utilitates multæ et magnæ consequutæ sunt, non sunt[3] tamen
31 ab earum spe causæ diligendi profectæ. Ut enim benefici[4] liberalesque sumus, non ut exigamus gratiam (neque enim beneficium fœneramur), sed natura propensi ad liberalitatem sumus : sic amicitiam, non spe mercedis adducti, sed quod omnis ejus fructus in ipso
32 amore inest, expetendam putamus. Ab iis, qui pecudum ritu ad voluptatem omnia referunt, longe dissentiunt. Nec mirum: nihil enim altum, nihil magnificum ac divinum suspicere possunt, qui suas omnes cogitationes abjecerunt in rem tam humilem, tamque contemptam. Quamobrem hos quidem ab hoc sermone removeamus : ipsi autem intelligamus, natura gigni sensum diligendi, et benivolentiæ caritatem, facta significatione probitatis : quam qui appetiverunt, applicant sese, et propius admovent, ut et usu ejus, quem diligere cœperunt, fruantur, et moribus; sint-

2. *Quid enim Afric. ind. mei?* Gern. interpungit: « Quid enim? Afric. ind. mei? » Hæc, inquit, sejungenda sunt a verbis seq. Ad hanc enim interrogationem : « Quid enim Afric. indigens mei? » ut Græv. Ern. Wetz. Sch. ediderunt, responderi non potuit *minime*.

3. *Non sunt ... profectæ.* « Jamais nous ne vivons dans une telle indépendance, que nous puissions nous passer les uns des autres, mais les services doivent être à la suite de l'amitié, et non pas l'amitié à la suite des services ». *Madame de Lambert.*

4. *Ut enim benefici*, etc. Argumentum hoc a comparatione amicitiæ cum libertate reprehenditur tamquam ambiguum apud Gellium, I, 17, c. 5, et defenditur. Facc.

que pares in amore, et æquales; propensioresque ad bene merendum, quam ad reposcendum. Atque hæc inter eos sit honesta certatio. Sic et utilitates ex amicitia maximæ capientur; et erit ejus ortus a natura, quam ab imbecillitate, et gravior, et verior. Nam si utilitas amicitias conglutinaret[5], eadem commutata dissolveret. Sed quia natura mutari non potest, idcirco veræ amicitiæ sempiternæ sunt. Ortum quidem amicitiæ videtis[6], nisi quid ad hæc forte vultis. — FANNIUS.
Tu vero perge, Læli : pro hoc enim, qui minor est 33
natu, meo jure respondeo. — SCÆVOLA. Recte tu quidem. Quamobrem audiamus.

X. — LÆLIUS. Audite ergo, optimi viri, ea, quæ sæpissime inter me et Scipionem de amicitia disserebantur. Quamquam[1] ille quidem nihil difficilius esse dicebat, quam amicitiam usque ad extremum vitæ permanere. Nam, vel ut non idem expediret utrique, incidere sæpe; vel ut de republica non idem sentirent; mutari etiam mores hominum sæpe dicebat, alias adversis rebus, alias ætate ingravescente. Atque earum rerum exemplum ex similitudine capiebat ineuntis ætatis, quod summi puerorum amores
sæpe una cum prætexta ponerentur. Sin autem ad 34
adolescentiam perduxissent, dirimi tamen interdum contentione, vel uxoriæ[2] conditionis, vel commodi

5. *Conglutinaret.* Cf. Epist. ad Fam. XI, 27. Eidem verbo Cat. M. 20, 72, *dissolvere* opponitur. GERN.

6. *Ortum quidem amicitiæ videtis, nisi quid ad hæc,* etc. H. e. qualis ortus amicitiæ sit, et confectum esse de eo sermonem, videtis. GERN.

X. 1. *Quamquam ille quidem.* Intelligit Lælius amicitiæ diuturnitatem, de qua sit dicturus, quam raro perpetuam esse Scipio dixerat. Hinc *Quamquam.* GERN.

2. *Vel uxoriæ conditionis, vel commodi alicujus.* Cupiditate ejusdem uxoris. Ante Turnebum legebatur « vel luxuriæ, vel conditionis ». Fortasse ipsa quoque vox *uxoriæ* addita est ad explicandum. Nam *conditio* satis significat uxorem, ut est apud Plautum in Truculento, act. IV, scen. 4, vs. 75. FACC.

alicujus, quod idem adipisci uterque non posset. Quod si qui longius in amicitia[3] provecti essent, tamen sæpe labefactari, si in honoris contentionem incidissent: pestem enim majorem esse nullam amicitiis, quam in plerisque pecuniæ cupiditatem, in optimis quibusque honoris certamen, et gloriæ : ex quo inimicitias maxi-
35 mas sæpe inter amicissimos exstitisse. Magna enim dissidia, et plerumque justa nasci, quum aliquid ab amicis, quod rectum non esset[4], postularetur : ut aut libidinis ministri, aut adjutores essent ad injuriam. Quod qui recusarent, quamvis honeste id facerent, jus tamen amicitiæ deserere arguerentur ab iis, quibus obsequi nollent; illos autem, qui quidvis ab amico auderent postulare, postulatione ipsa profiteri, omnia se amici causa esse facturos. Eorum querela inveteratas non modo familiaritates exstingui solere, sed etiam odia gigni sempiterna. Hæc ita multa, quasi fata, impendere amicitiis, ut omnia subterfugere non modo sapientiæ, sed etiam felicitatis[5] diceret sibi videri.

36 XI. Quamobrem id primum videamus, si placet, quatenus amor[1] in amicitia progredi debeat. Num, si Coriolanus[2] habuit amicos, ferre contra patriam arma illi cum Coriolano debuere? num Viscellinum[3]

3. *In amicitia.* De re comp. Horat. A. P. 166 : « Conversis studiis, ætas animusque virilis Quærit opes et amicitias, inservit honori ». Gern.

4. *Quod rectum non esset.* Comp. Offic. III, 10, 43. Gern.

5. *Felicitatis.* In C. est *felicitati.* Int. ut non modo sapientia, sed etiam felicitate opus sit, ad tot et tanta obstacula amicitiæ servandæ opposita evitanda.

XI. 1. *Quatenus amor ... debeat.* Vide lib. III de Offic. cap. 10. Facc. — Ab hoc igitur inde loco præcepta dat, quæ ad sapientiam pertinent, in fugiendis amicitiæ periculis. Reliqua felicitati vel fortunæ sunt permittenda. Gern.

2. *Coriolanus ... debuere?* Q. Marcius Coriolanus patria pulsus, eidem bellum intulit an. Urb. C. 265. Facc. — Vid. Liv. II, 34—40.

3. *Viscellinum.* Sp. Cassius Viscellinus post tertium consulatum de saxo

amici regnum appetentem, num Sp. Mælium[4] debuerunt juvare? Tib. quidem Gracchum[5] rempublicam 37
vexantem, a Q. Tuberone, æqualibusque amicis derelictum videbamus. At C. Blossius[6], Cumanus, hospes familiæ vestræ, Scævola, quum ad me, qui aderam Lænati et Rupilio consulibus in consilio[7], deprecatum venisset, hanc, ut sibi ignoscerem, causam afferebat, quod tanti Tib. Gracchum fecisset, ut, quidquid ille vellet, sibi faciendum putaret. Tum ego, Etiamne, si te in Capitolium faces ferre vellet? Numquam, inquit, voluisset id quidem. Sed, si voluisset? Paruissem. Videtis, quam nefaria vox. Et hercle ita fecit; vel plus etiam, quam dixit. Non enim paruit ille Tib. Gracchi temeritati, sed præfuit; nec se comitem illius furoris[8], sed ducem præbuit. Itaque hac amentia[9], quæstione nova perterritus, in Asiam profugit, ad hostes[10] se contulit,

Tarpeio præcipitatus est ob crimen regni affectati. FACC. — Varie scribitur hoc nomen: quo modo recte, quis dixerit? Nos sequimur Sigonium, et ita est in Fastis Cuspinianis. Vide ad ann. 251. OLIV.

4. *Sp. Mælium ... juvare?* Vid. not. 10 ad c. 8, 28, et Cat. M. 16, med. GERN.

5. *Tib. Gracchum.* Tiberius Gracchus, Africani ex filia nepos, oppressus est in Capitolio. Ei Q. Tubero non modo non favit, sed molestus etiam fuit, ut est in Bruto, c. 31. FACC. — De Gracchis præter Plutarch. Cic. pro Mil. 38, 83; Brut. 26 et 27; Offic. II, 12; Vell. Pat. II, 2, coll. Flor. III, 14.

6. *C. Blossius.* Fuit Antipatri Tarsensis discipulus. Elapsus quæstiones de Tiberii Gracchi amicis habitas, ad Aristonicum, Eumenis filium, Pergami regem, fugit; cujus rebus afflictis, mortem sibi conscivit. Hic notandum Nasicæ attribui a Plutarcho, quod Lælius se narrat fecisse. Ciceronem Valer. sequitur, lib. IV. LANG. — Vid. Plut. in Tib. 16, C. Gracch. c. 8 et 20.

7. *Lænati et Rup. cons. in consilio.* Nova quæstione constituta, adfuit in consilio Lælius, ut cognosceret de crimine Gracchi. FACC. — Consules fuerunt P. Popilius Lænas et P. Rupilius anno Urb. cond. 621. Vid. Vell. Paterc. II, 7, 4.

8. *Illius furoris.* Sch. *furori* cum Pal. sec. Ut Cicero nobilitatis erat studiosissimus, ita Gracchos contra optimates nitentes pro Mil. 3, 8, dixit jure cæsos, Offic. II, 12 extr. GERN.

9. *Hac amentia, quæst. nova.* De sociis Gracchi. FACC.

10. *Ad hostes se contulit.* Ad Aristonicum, regis Eumenis filium. Vide quæ modo dicta sunt, hoc capite, not. 6. — Hæc tradit Plutarch. Tib. Gracch. c. 20 extr. GERN.

pœnas reipublicæ graves, justasque persolvit. Nulla est igitur excusatio peccati, si amici causa peccaveris: nam, quum conciliatrix amicitiæ virtutis opinio fuerit, difficile est amicitiam manere, si a virtute defeceris.
38 Quod si rectum statuerimus, vel concedere amicis, quidquid velint, vel impetrare ab iis, quidquid velimus, perfecta quidem sapientia simus, si nihil habeat res vitii; sed loquimur de iis amicis, qui ante oculos sunt, quos videmus, aut de quibus memoriam accepimus, aut quos novit vita communis. Ex hoc numero nobis exempla sumenda sunt; et eorum quidem
39 maxime, qui ad sapientiam proxime accedunt. Videmus Papum[11] Æmilium C. Luscino familiarem fuisse (sic a patribus accepimus), bis una consules, et collegas in censura[12]; tum et cum iis, et inter se, conjunctissimos fuisse M'. Curium et Tib. Coruncanium, memoriæ proditum est. Igitur ne suspicari quidem possumus, quemquam horum ab amico quippiam contendisse, quod contra fidem, contra jusjurandum, contra rempublicam esset. Nam hoc quidem in talibus viris quid attinet dicere? si contendisset, scio impetraturum non fuisse: quum illi sanctissimi viri fuerint; æque autem nefas sit, tale aliquid et facere rogatum, et rogare. At vero Tib. Gracchum[13] sequebantur

11. *Papum.* Q. Æmilius Papus, C. Fabricius Luscinus coss. anno Urb. C. 471 et 474 (vel potius 475, sec. Fastos consul. Sigonii; sic etiam Wetzel.). De Luscini porro virtute et Curii habes in Paradoxis. Facc. — Parad. I, 2, 12, et VI, 2, 48.

12. *Et collegas in censura.* An. Urb. 478, severitatem Luscini expertum esse Cornelium Rufinum, qui bis cons. et dictator fuerat, quod decem pondo vasa argentea comparasset, narrat Valer. Maxim. lib. II, cap. 9, 4. Gern.

13. *At vero Tib. Gracchum.* Martialis Rogerius censet hæc verba hic non convenire, sed collocanda esse post « derelictum videbamus », init. hujus cap. § 37. Itaque sic legit: « derelictum videbamus: Sequebatur, C. Carbo, C. Cato, minime tunc quidem C. fratri, nunc idem acerrimus inimicus. At vero C. Blossius, etc. » Gaut.

C. Carbo[14], C. Cato[15], minime tum quidem Caius frater[16], nunc idem acerrimus.

XII. Hæc igitur prima lex in amicitia sanciatur, ut 40
neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati. Turpis enim excusatio est, et minime accipienda, quum in ceteris peccatis, tum si quis contra rempublicam se amici causa fecisse fateatur. Etenim eo loco, Fanni, et Scævola, locati sumus, ut nos longe prospicere oporteat futuros casus reipublicæ. Deflexit enim jam aliquantulum de spatio curriculoque consuetudo[1] majorum. Tib. Gracchus regnum occupare conatus
est, vel regnavit is quidem[2] paucos menses. Num 41
quid simile populus romanus audierat, aut viderat? Hunc etiam post mortem sequuti amici et propinqui, quid in P. Scipionem effecerint, sine lacrymis non queo dicere. Nam Carbonem quoquo modo potuimus, propter recentem pœnam Tib. Gracchi, susti-

14. *C. Carbo*. C. Papirius Carbo, de quo Cic. Ep. ad Fam. IX, extr. Cf. c. 25, 96. Gern.

15. *C. Cato*. Duxerat, ut Wetzel. ad Brut. c. 28, adnot. M. Catonis Censorini filius in matrimonium Tertiam, L. Paulli Macedonici filiam, Africani junioris sororem, ex qua hunc Catonem suscepit. Vid. Vell. Paterculus, II, 8. Gern.

16. *Minime tum quidem Caius frater, nunc idem acerrimus*. Quia hoc anno tribunus pl. erat, et causam cæsi fratris, quam antea neglexerat, palam suscipiebat. Hic ipse occisus est ob turbas in rep. excitatas anno Urb. C. 632. Vid. Epitome Liv. lib. LX et LXI. Facc. — Appianus, B. C. lib. I, narrat Caium post fratris necem quievisse diu, atque ad petitionem tribunatus venisse demum, postea quam se intellexit ab optimatibus et senatu negligi. Quievit sane, *diu*, ut græce dicit Appianus; non *aliquantisper*, ut latinus reddidit interpres. Si quidem tribunatum petiit anno Urb. 629, quum Tiberius periisset 620. Odinus. — De his viris vide quæ doctissime et acutissime exposuit vir cl. *Michelet, Histoire romaine*, t. II, p. 127.

XII. 1. *Consuetudo*. Deflexit consuetudo de curriculo majorum. Facc.

2. *Vel regnavit is quidem*. Plutarch. Ti. Gracch. cap. 19. Scipio Nasica, quo duce interfectus est Tib. quum in senatu nuntiatum esset, quia tangens caput, periculum sibi imminere significarat, maligna quidem hujus signi interpretatione, αἰτεῖν διάδημα τὸν Τιβέριον... ἠξίου τὸν ὕπατον τῇ πόλει βοηθεῖν καὶ καταλύειν τὸν τύραννον. Cf. Flor. III, 14. In Goth. a. leg. *is quidem Romæ*. Gern.

nuimus[3]. De C. Gracchi autem tribunatu, quid exspectem, non libet augurari. Serpit enim deinde res; quæ proclivius ad perniciem, quum semel cœpit, labitur. Videtis, in tabella[4] jam ante quanta sit facta labes, primo Gabinia[5] lege, biennio autem post, Cassia. Videre jam videor populum a senatu disjunctum, multitudinisque[6] arbitrio res maximas agi. Plures enim discent, quemadmodum hæc fiant, quam quemadmo-
42 dum his resistatur. Quorsum hæc? quia sine sociis nemo quidquam tale conatur. Præcipiendum est igitur bonis, ut, si in ejusmodi amicitias ignari casu aliquo inciderint, ne existiment, ita se alligatos, ut ab amicis in magna aliqua re peccantibus non discedant. Improbis autem pœna statuenda est; nec vero minor iis, qui sequuti erunt alterum, quam iis, qui ipsi fuerint impietatis duces. Quis clarior in Græcia Themistocle[7]? quis potentior? qui quum imperator bello Persico servitute Græciam liberasset, propterque invidiam in exsilium missus esset, ingratæ pa-

3. *Sustinuimus*. Ad vitandam majorem invidiam et indignationem plebis. Facc. — Tribunus enim ann. U. 622 Tib. Gracchi mortem deplorarat, populumque turbulentis concionibus contra Africanum sollicitarat. Gern.

4. *Tabella*. Ante annum U. C. 614 suffragia voce ferebantur. Postea legibus Gabinia, Cassia, aliisque constitutum est, ut per tabellam tacite ferrentur. Leges istæ tabellariæ libertati faventes optimatium auctoritatem infirmarunt. Vide lib. III de Leg. c. 15, 16. Facc.

5. *Gabinia lege*. Lata hæc lex ann. U. C. 614, a Q. Gabinio trib. pleb. homine ignoto et sordido (vid. Cic. l. c. cap. 16), ut in magistratibus non voce, sed tabellis uterentur cives. Ad h. l. Cic. in ed. Moseri Wyttenbachius annum posuit 615. Mox idem Cassiæ legi, quam ipse Cicero biennio post latam dicit, ann. U. C. 617 assignavit. In Fastis vero Consul. M. Æmil. Lepidus auctore Cicer. Brut. 25, extr. Cassiæ legis adversarium adjuvit ann. U. C. 616. Ita recte Ernest. in Cl. Cic. et Wetzel. annos 614 et 616 indicarunt. Gern.

6. *Multitudinisque arbitrio*. Vel fracta, vel elusa principum auctoritate, rempubl. ad apertam democratiam devenire. Facc.

7. *Themistocle*. Reprehenditur, quia ad hostem se contulit: ceterum patriæ bellum, quum posset, inferre noluit. Facc. — Cf. Acad. II, 1; Tuscul. I, 46; Offic. I, 22. Gern.

triæ injuriam non tulit, quam ferre debuit. Fecit idem, quod xx annis ante apud nos fecerat Coriolanus[8]. His adjutor contra patriam inventus est nemo; itaque mortem sibi uterque conscivit[9]. Quare talis 43
improborum consensio non modo excusatione amicitiæ tegenda non est, sed potius omni supplicio vindicanda: ut ne quis sibi concessum putet, amicum, vel bellum patriæ inferentem, sequi. Quod quidem, ut res cœpit ire, haud scio[10], an aliquando futurum sit: mihi autem non minori curæ est, qualis respublica post mortem meam futura sit, quam qualis hodie sit.

XIII. Hæc igitur prima[1] lex amicitiæ sanciatur, ut 44
ab amicis honesta petamus, amicorum causa honesta faciamus; ne exspectemus quidem, dum rogemur; studium semper adsit, cunctatio absit; consilium vero

8. *Coriolanus*. Themistoclem Coriolano comparat Cic. in Bruto, cap. 10. Vide Livium, II, 34—40. Damnatus C. Marcius Coriolanus, quod in summa annonæ caritate ne frumentum ex Sicilia advectum plebi divideretur, summa ope contenderat: damnatus absens in Volscos abiit, ann. U. C. 262; vid. Fastos consul. (Wetzelius ad Livii rationem 263), a. Ch. n. 492. Ab urbis oppugnatione materna pietate deterritus, moritur quatuor annis postquam pulsus erat. Themistocles vero ad Salamina vicit Persas; v. Herod. VIII, 56—96; Ol. 75, 1, seu a. U. C. 274, h. e. an. Chr. n. 480, xx annis post Coriolanum pulsus Ol. 77, 2, a. U. C. 282, h. e. a. Chr. n. 472 moritur Ol. 82, 4. Vid. Wetz. ad Corn. Nep. Themist. extr. Gern.

9. *Mortem sibi uterque conscivit*. De Themistocle Thucyd. I, 138. De Coriolano Liv. II, 40: «Abductis deinde legionibus ex agro Romano, invidia rei oppressum periisse tradunt; alii alio leto; apud Fabium longe antiquiss. auctorem, usque ad senectutem vixisse eumdem invenio». Sententiarum discrepantiam notavit etiam Cic. Brut. cap. 10 extr. et cap. 11. Gern.

10. *Haud scio, an aliquando*, etc. Significat tempora Sullæ et Marii, Cæsaris et Pompeii. Facc.

XIII. 1. *Hæc igitur prima*. Paullo superius hanc ipsam legem constituerat, nunc idem repetit, et primam legem facit, ex qua aliæ manant. Facc. —*Prima*, h. l. ubi proximo capite exposita colliguntur, aptior est, quam cap. 12, et in duobus tantùm Manutii libris abest; in uno ejusdem pro *prima* legitur *ipsa*. F. Ursini nota, qua *prima* in suo cod. abesse dicit, in Grævii edit. per errorem a superiore cap. huc translata videtur. Reliqua præcepta ex hujus legis fundamento ducuntur. Quo statim pertinent, quæ sequuntur post *faciamus*. Facc.

dare gaudeamus libere; plurimum in amicitia amicorum bene suadentium valeat auctoritas; eaque et adhibeatur ad monendum non modo aperte, sed etiam acriter, si res postulabit; et adhibitæ pareatur.

45 Nam quibusdam, quos audio[2] sapientes habitos in Græcia, placuisse opinor mirabilia quædam; sed nihil est, quod illi non persequantur argutius: partim fugiendas esse nimias amicitias[3], ne necesse sit unum sollicitum esse pro pluribus; satis superque esse suarum cuique rerum; alienis nimis implicari molestum esse; commodissimum esse, quam laxissimas[4] habenas habere amicitiæ; quas vel adducas, quum velis, vel remittas. Caput enim esse ad beate vivendum, securitatem[5]; qua frui non possit animus, si tamquam par-
46 turiat[6] unus pro pluribus. Alios autem dicere aiunt multo etiam inhumanius (quem locum breviter perstrinxi paullo ante), præsidii adjumentique causa, non benivolentiæ, neque caritatis, amicitias esse expetendas. Itaque ut quisque minimum firmitatis habeat, minimumque virium, ita amicitias appetere maxime. Ex eo fieri, ut mulierculæ magis amicitiarum præsidia quærant, quam viri; et inopes, quam opu-

2. *Quos audio.* Quo tempore Lælius loquitur, græcæ disciplinæ nondum erant Romæ pervagatæ: ideo ad servandam sermonis verisimilitudinem inducitur a Cic. Lælius dicens *audio.*

3. *Fugiendas esse amicitias.* Notare voluit Cicero Euripidem, Hippol. 253 seqq. ubi vide quæ nutrix ait. Gern.

4. *Quam laxissimas habenas.* Plutarchus de amicorum multitudine, cap. 6. Euripidei loci supra laud. verba ἀπό τ' ὤσασθαι, καὶ ξυντεῖναι illustrat verbis his additis : καθάπερ πόδα νεὼς, ἐπιδιδόντα καὶ προσάγοντα ταῖς χρείαις τὴν φιλίαν. Ab equorum potius tractatione translata locutio est. Gern.

5. *Securitatem.* Tranquillitatem animi, quam amici res adversæ turbent, qua in sententia videntur fuisse Cyrenaici. Græv.

6. *Parturiat.* Sollicitus sit, curasque et molestias suscipiat. Facc. — Tres Oxx. *pariat*, sed ipse Cicero distinguit Philipp. II, 46 extr. « ut aliquando dolor populi rom. pariat, quod jam diu parturit », et pro Mur. 30 : « quod conceptum resp. periculum parturit ». Gern.

lenti; et calamitosi, quam ii, qui putentur beati. O 47
præclaram sapientiam! Solem enim e mundo[7] tollere
videntur, qui amicitiam e vita tollunt; qua a diis im-
mortalibus nihil melius habemus, nihil jucundius.
Quæ est enim[8] ista securitas? specie quidem, blanda,
sed reapse multis locis repudianda. Neque enim est
consentaneum, ullam honestam rem actionemve,
ne sollicitus sis, aut non suscipere, aut susceptam
deponere. Quod si curam fugimus, virtus fugienda
est; quæ necesse est cum aliqua cura res sibi con-
trarias aspernetur atque oderit, ut bonitas malitiam,
temperantia libidinem, ignaviam fortitudo. Itaque
videas rebus injustis justos maxime dolere, imbecilli-
bus fortes, flagitiosis modestos. Ergo hoc proprium
est animi bene constituti, et lætari bonis rebus, et
dolere contrariis. Quamobrem si cadit in sapientem 48
animi dolor[9] (qui profecto cadit, nisi ex ejus animo
exstirpatam humanitatem arbitremur), quæ causa est,
cur amicitiam funditus tollamus e vita, ne aliquas
propter eam suscipiamus molestias? Quid enim inter-
est, motu animi sublato[10], non dico inter hominem
et pecudem, sed inter hominem, et saxum, aut trun-
cum[11], aut quidvis generis ejusdem? Neque enim

7. *Solem enim e mundo.* Simili proverbio, quam vim res nec opinata habuerit, dicit ad Att. IX, 10: « Sol, ut est in tua quadam epistola, excidisse mihi e mundo videtur ». Comp. de communi amicitiæ necessitate, cap. 6, 22. Gern.

8. *Quæ est enim*, etc. Nunc iis respondet, qui ad bene vivendum caput esse dicunt securitatem. Facc.

9. *Animi dolor.* Sumit enim sapientem, ut est in vita communi.

10. *Motu animi sublato.* Motus animi significat varias affectiones: hoc est contra Stoicos, qui laudabant apathiam, ut summum sapientiæ.

11. *Et saxum, aut truncum.* Sedecim libri Man. cum Vim. Dr. b. utroque Goth. Erf. b. A. B. et C. « et truncum aut saxum »; unus Manutius exhibet « et truncum vel saxum ». Apparet, cur maluerint minus durum truncum præferri saxo. Decebat vero, missa pecude, id vocare in comparationem, quod esset a sensu alienissimum. Ab hoc extremo, quod indignationi satisfecit, ad leniora communis sermo solet regredi. Gern.

sunt isti audiendi[12], qui virtutem duram, et quasi ferream esse volunt : quæ quidem est quum multis in rebus, tum in amicitia, tenera, atque tractabilis; ut et bonis amici[13] quasi diffundantur[14], et incommodis contrahantur. Quamobrem angor iste, qui pro amico sæpe capiundus[15] est, non tantum valet, ut tollat e vita amicitiam; non plus, quam ut virtutes, quia nonnullas curas et molestias afferunt, repudientur[16].

XIV. Quum autem contrahat amicitiam[1] (ut supra dixi[2]), si qua significatio virtutis eluceat[3], ad quam

12. *Sunt isti audiendi.* Stoici, qui nullam animi commotionem admittunt, virtutemque sibi fingunt plane ferream. Facc.

13. *Ut et bonis amici.* Alii libri *in bonis*, plures *ex bonis*.

14. *Diffundantur.* Lambinus et Victor. cum uno Manut. libro et septem modo dictis edd. *diffundatur... contrahatur*, ed. Wolfg. Colon. 1663, *distrahatur*, scilicet amicitia. Aptius vero est amicos dicere diffundi, hoc est, lætitia efferri, quam virtutem, quam neque diffundi, neque contrahi decet. Neque recte C. Lang. quem sequitur Wetzelius, *bonis amici* interpretatur *bonis amico obtingentibus;* tum idem V. D. ad *diffundantur* intelligit *amici* vel *homines*. Ita vero Cic. scripsisset *bonis amicorum*, qui genitivus Schützio videtur ante *amici* omissus. Amici vero, alter alterius bonis, lætantur, ut in gnom. apud Brunk. ἅπασιν εὖ πράττουσιν ἥδομαι φίλοις pro quo Wetzel. animadvertit Diogenem Laert. VII, 26 dicere, διακεχύσθαι et Plut. Cic. c. 4, διαχυθῆναι. Idem Tuscul. IV, 31 : « eodem enim vitio est effusio animi in lætitia, quo in dolore contractio ». Ovid. Met. III, 318 : « diffusum nectare »; IV, 763 : « munere Bacchi diffudere animos »; ut Hor. Ep. I, 5, 19 : « calices... quem non fecere... in paupertate solutum? » Gern.

15. *Capiundus.* B. C. et Dr. b. cum impress. *capiendus*. In Lælii sermone antiquior forma non repudianda est, atque recentt. editt. placuit. Gern.

16. *Non plus, quam ut... repudientur.* Concinnitatem hujus loci sic explico ad superioris similitudinem : « non plus tantum valet, ut tollat amicitiam, quam curæ et molestiæ, quas nonnullas virtus affert (vid. § 47), tantum valent, ut virtutes repudientur ». Gern.

XIV. 1. *Amicitiam.* Ita curis et molestiis amicitiæ opponit hoc et seq. capite ejus jucunditatem, necessitatem, et utilitatem cum fortunæ donis comparatam. Gern.—Quum virtus contrahat amicitiam, significatio quæque virtutis parere debet amorem, quod est amicitiæ principium. Facc.

2. *Ut supra dixi.* Non modo ut Wetz. adnotat cap. 11, 7 (§ 37 extr.), sed cap. 8, 27 et 28, cap. 9, 32. Gern.

3. *Si qua significatio virtutis eluceat.* Non satis accurate Wetzel. hæc verba ut ad *contrahat* referantur, in-

se similis animus applicet, et adjungat; id quum con-
tingit, amor exoriatur necesse est. Quid enim tam 49
absurdum, quam delectari multis inanibus rebus, ut
honore, ut gloria, ut ædificio, ut vestitu, cultuque
corporis; animo autem virtute prædito eo, qui vel
amare, vel (ut ita dicam) redamare[4] possit, non ad-
modum delectari? Nihil est enim remuneratione be-
nivolentiæ, nihil vicissitudine studiorum officiorum-
que jucundius. Quod si etiam illud addimus, quod 50
recte addi potest, nihil esse, quod ad se rem ullam
tam alliciat, et tam attrahat[5], quam ad amicitiam si-
militudo: concedetur profecto verum esse[6], ut bonos
boni diligant, adsciscantque sibi, quasi propinquitate
conjunctos atque natura. Nihil est enim appetentius
similium sui, nihil rapacius, quam natura[7]. Quam-
obrem hoc quidem, Fanni et Scævola, constat (ut
opinor), bonis inter bonos quasi necessariam[8] beni-
volentiam esse; qui est amicitiæ fons a natura consti-

terpretatur « significatio aliqua virtutis, quæ elucet »; scribere debebat, « significatio virtutis, si qua eluceat ». Comp. cap. 16 pr. ubi relativa, quæ sequitur, enuntiatio substantivum *fines* adsciscit, cui etiam forma verbi *constituendi sunt* accommodatum est. Gern.

4. *Redamare.* Excusat novitatem verbi hujus. Al. *redamari.* Gern.

5. *Alliciat, et tam attrahat.* Græviua edidit *illiciat*, non animadvertens indignam vocem hanc esse amicitia. Imprudentes enim illiciuntur tamquam in laqueos. Ernestius, qui *alliciat* in plerisque libris et edd. pr. ut Rom. Ven. 1740, Mediol. reperit, et Schütz. recep. *alliciat.* Per errorem Sch. in nota scripsit: « *illiciat* est in plerisque MSS edd. vett. » est enim in paucis. Idem V. D. de verb. *et tam attrahat* hæc recte notavit: « Si Cicero illa scripsit, defendenda sunt sic, ut addita sint per figuram αὐξήσεως. Plus enim est in *attrahere*, quam in *allicere.* Similiter paullo post « nihil est enim appetentius similium sui, nihil rapacius, quam natura ». Denique de verbo *allicere* cf. Offic. II, 14, 48. Gern.

6. *Verum esse.* Id est, æquum. Facc. — Vel potius naturæ aptum. Vid. not. ad c. 4, 15. Gern.

7. *Quam natura.* Hic *natura* nobis videtur pro *indole* posita.

8. *Quasi necessariam. Quasi* duræ necessitatis notionem quodammodo mitigat, ut paullo ante cavebat, ne propinquitatis vis omnis tribueretur amicitiæ. Gern.

tutus. Sed eadem bonitas[9] etiam ad multitudinem pertinet. Non est enim inhumana virtus, neque immunis[10], neque superba; quæ etiam populos universos tueri, eisque optime consulere soleat : quod non faceret profecto, si a caritate vulgi abhorreret.
51 Atque etiam mihi quidem videntur, qui utilitatis causa fingunt amicitias, amabilissimum nodum[11] amicitiæ tollere. Non enim tam utilitas parta per amicum, quam amici amor ipse delectat; tumque illud fit, quod ab amico est profectum, jucundum, si cum studio est profectum : tantumque abest, ut amicitiæ propter indigentiam colantur, ut ii, qui opibus, et copiis, maximeque virtute præditi (in qua plurimum est præsidii), minime alterius indigeant, liberalissimi sint,

9. *Eadem bonitas etiam ad*, etc. Late funditur ad multitudinem, et ad omnem generis humani conjunctionem. Facc.

10. *Neque immunis*. Non popularium munerum expers, non sui dumtaxat suorumque studiosa, sed omnium. Facc. — Pro *immunis*, *neque superba* quæ constans omnium librorum scriptorum et impress. lectio est, in uno tantum cod. Ox. 1 legitur *immanis superbia*. Vehementer erravit Ernestius, qui cum Corrado in Quæst. p. 316, post *inhumana* non dubitavit recipere *immanis*. Wetzelium vero Schelleri certe observatio monere debebat. Post Car. Langium, Turnebum (Advers. XIII, 7), Lambinum, qui, melius utrum esset, intellexit, sed ut Suffridus *immanis* edidit, post Camerarium et Grævium *immunis* defendit Schützius, qui « Quum enim, inquit, Cicero causam reddere vellet, cur bonitas illa etiam ad multitudinem pertineat, nec abhorreat a caritate vulgi, « non est enim, inquit, inhumana virtus », h. e. nihil humani a se alienum esse putat, *neque immunis*, h. e. neque inofficiosa (ut recte explicat Schellerus), seu ita animata, ut nolit esse munifica, neque superba, h. e. non ea, quæ despiciat et fastidiat homines de plebe. Ut enim *immunis* proprie est qui liber est ab onere publico, sic h. l. ponitur pro *immunifico* : qui se ipse quasi exsolvit officiis et muneribus, quibus posset multitudinem tueri ». Non. Marc. scribit : *munes* apud veteres dicebantur non a largitione, quæ ignota erat, sed consentientes ad ea, quæ amici velint. Idem *munia* interpretatur officia : unde *communis*, atque *immunis*, qui nullum affert munus, sive ad aram, ut Horat. III, 23, 17, sive ad epulas, ibid. IV, 12, 23 sive ad solvenda debita, ut Cic. Leg. agr. III, 2, sive ad viarum munitionem, Fonteius, cap. 4 pr. « quum immunis nemo fuerit »; sive ad communem salutem ut h. l. Gern.

11. *Nodum amicitiæ*. Cf. de Univ. 4 extr. Comp. Arati phænomena ap. Cicer. V, 14. Gern.

et beneficentissimi. Atque haud scio, an ne opus sit quidem, nihil umquam omnino deesse amicis. Ubi enim studia nostra viguissent, si numquam consilio, numquam opera nostra nec domi, nec militiæ Scipio eguisset? Non igitur[12] utilitatem amicitia, sed utilitas amicitiam consequuta est.

XV. Non ergo erunt homines deliciis[1] diffluentes 52
audiendi, si quando de amicitia, quam nec usu, nec ratione habent cognitam, disputabunt. Nam quis est, pro deum fidem[2], atque hominum! qui velit, ut neque diligat quemquam, nec ipse ab ullo diligatur, circumfluere omnibus copiis, atque in omnium rerum abundantia vivere? Hæc enim est tyrannorum vita; in qua nimirum nulla fides, nulla caritas, nulla stabilis benivolentiæ potest esse[3] fiducia; omnia semper suspecta, atque sollicita; nullus locus amicitiæ. Quis 53

12. *Non igitur*, etc. Amicitia est velut antecedens, utilitas veluti consequens : et amicus ergo utilis. Eodem modo de honestate et utilitate loquitur in lib. de Offic. III, c. 4. Facc. — Vim. *ergo* pro *igitur*, quod aptius est ad hanc brevioris argumentationis conclusionem. Statim seq. cap. *ergo* id aperit, quod tota superioris capitis disputatione effectum videtur. Gern.

XV. 1. *Deliciis diffluentes*. Quædam edd. *divitiis affluentes :* reliqui libri scripti *deliciis diffluentes*, quo verbo copia et abundantia tantum significatur, quum *diffluere* animi mollitiem et depravationem indicat, id quod h. l. aptissimum est, ut Offic. I, 30, 106; Orat. III, 32 extr. Terent. Heaut. V, 1, 73. Gern.

2. *Nam quis est, pro deum fidem, atque hominum !* etc. Rara est nostro l. sedes vocis *fidem*, ut *atque hominum* videri possit significare « atque etiam hominum », qui quidem omnes expetunt amicitiam. Interdum enim soli dii implorantur, ut Ter. L. I. I, 5, 2, « pro deum fidem, quid est, etc. » Sed Græv. in Var. Lect. dicit MSS aliquot habere : « Proh deum atque hominum fidem ». Nihil tamen muto. Gern.

3. *Potest esse*. Gruterus hæc verba, quæ in nullo codice non leguntur, glossatoris esse existimat. Speciem probabilitatis hæc habet suspicio, quia ad seqq. « omnia semper suspecta » intelligendum est *sunt*, quod addunt decem l. Man. ut ad *sollicita* cod. B. et alii *est* ad *nullus locus*. Accedit quod Cicer. Off. I, 8, 26, Ennio auctore ait : « Nulla sancta societas nec fides regni est ». Schützius judicat nos his duobus verbis facile carere. Gravitatis vero aliquid addunt. Gern.

enim aut eum diligat, quem metuit[4]; aut eum, a quo se metui putat? Côluntur tamen simulatione dumtaxat ad tempus. Quod si forte (ut fit plerumque) ceciderint, tum intelligitur, quam fuerint inopes amicorum. Quod Tarquinium dixisse ferunt, exsulantem se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, quos infidos,
54 quum jam neutris gratiam referre posset. Quamquam miror, illa superbia et importunitate, si quemquam habere potuit. Atque ut hujus, quem dixi, mores veros amicos parare non potuere, sic multorum opes præpotentium excludunt amicitias fideles. Non enim solum ipsa fortuna cæca[5] est, sed eos etiam plerumque efficit cæcos, quos complexa est. Itaque efferuntur illi fere fastidio[6], et contumacia; neque quidquam insipiente fortunato intolerabilius fieri potest[7]. Atque hoc quidem videre licet, eos, qui antea commodis fuerunt moribus, imperio, potestate, prosperis rebus immutari, spernique[8] ab iis veteres amicitias, indulgeri
55 novis. Quid autem stultius, quam, quum plurimum copiis, facultatibus, opibus possint, cetera parare, quæ parantur pecunia, equos, famulos, vestem egre-

4. *Quem metuit*. P. Syrus : « Amor misceri cum timore non potest ». Facc. — Cf. Off. I, 28, ubi ex L. Attii Atreo : « Oderint dum metuant »; comp. Philipp. I, 14, et Off. II, 7. Ennii illud : « Quem metuunt odere ». Gern.

5. *Fortuna cæca*. Vide ad Herenn. II, 23, 36; Pacuvii locum citatum. Menandri illud ὁ πλοῦτος τυφλὸν et Plin. II, 7, cum Ovidii locis de re notissima Wetzelius suppeditat. Gern.

6. *Itaque efferuntur illi fere fast.* Ex uno vetustissimo libro C. Langius edidit *efferantur*, scil. exstirpata ex eorum animis humanitate. Nec tamen quisquam præter Suffridum sequutus est, quod, ut Gulielmius ait, crudelitatis est et sævitiæ, de qua hic non agit. *Efferri fastidio* idem V. D. interpretatur jactare se et inculcare opes, ac præ se contemnere ceteros. Conf. Offic. I, 26 pr. Est fastidium eorum qui nimis arroganter aut curiose personarum et rerum delectum habent. Vid. Gron. Observv. IV, 10. Gern.

7. *Neque quidquam fieri potest.* Erasmus animadvertit : « *fieri* dictum videtur pro *esse*, Græcorum more γίνεσθαι pro γενέσθαι ». Gern.

8. *Spernique ab iis veteres*, etc. Nam veteres amicos non putant amplius pares sibi. Facc.

giam, vasa pretiosa; amicos non parare, optimam et pulcherrimam vitæ, ut ita dicam, supellectilem[9]? Etenim cetera quum parant, cui parent, nesciunt, nec cujus causa laborent: ejus enim est istorum quodque, qui vincit viribus[10]; amicitiarum sua cuique permanet stabilis et certa possessio: ut, etiam si illa maneant, quæ sunt quasi dona fortunæ, tamen vita inculta, et deserta ab amicis, non possit esse jucunda. Sed hæc hactenus.

XVI. Constituendi autem sunt, qui sint in amicitia 56
fines, et quasi termini diligendi[1]: de quibus tres video sententias ferri; quarum nullam probo: unam, ut eodem modo erga amicum affecti simus, quo erga nosmet ipsos; alteram, ut nostra in amicos benivolentia illorum erga nos benivolentiæ pariter æqualiterque[2] respondeat; tertiam, ut, quanti quisque se ipse facit, tanti fiat ab amicis. Harum trium sententiarum nulli prorsus assentior. Nec enim illa prima vèra est, ut[3], quemadmodum in se quisque, sic in

9. *Supellectilem.* Ut in illo gnomici poetæ versu: Οὐκ ἔστιν οὐδὲν κτῆμα κάλλιον φίλου; et Xenoph. Memor. Socr. II, 4, 1: ὡς πάντων κτημάτων κράτιστον ἂν εἴη φίλος σαφὴς καὶ ἀγαθὸς, et quæ seq. § 2. Gern.

10. *Vincit viribus.* Hæc auferri possunt a potentiore: amicitiæ auferri non possunt. Facc.

XVI. 1. *Diligendi* est in Pith. et omnibus libr. scr. et ed. Goth. « Ita enim, Gruterus animadvertit, veteres scribebant: ita infra *amicos, tamquam pecudes, eos potissimum diligunt;* hinc translatione a re pecuaria *diligere* pro amare. Pecudem enim selectam plerumque pastor peculiarem habet, et amat. Guilielmius contra Erasmum qui malebat *dirigendi*, et vere infra istius cap. ubi volgatur *felices in deligendo* Pall. omnes et Guilielm. habent *diligendo* ». At nihilominus Cicero intelligendus est *diligere* amare, a *deligere* pro eligere distinxisse. Neque debebat Schütz. in notula dicere *diligendi* h. l. id q. *deligendi;* immo est h. l. i. q. amandi, ut Græv. recte interpretatur. Ceterum cavendum, ne benivolentiæ fines hos jam constitutos putes esse sup. cap. 11 pr. ubi dixit, quantum non concedendum amicis esset peccantibus. Nostro autem loco dicit quantum deceat amare amicum emendatum. Gern.

2. *Pariter æqualiterque. Pariter* crescit et decrescit benivolentia; *æqualiter*, h. e. æqua portione referenda sunt quæ acceperis. Gern.

3. *Illa prima vera est, ut.* Ne putes *ut* a *vera* pendere. Sententia illa

57 amicum[4] sit animatus. Quam multa enim, quæ nostra causa numquam faceremus, facimus causa amicorum? precari ab indigno, supplicare; tum acerbius in aliquem invehi, insectarique vehementius; quæ in nostris rebus non satis honeste, in amicorum fiunt honestissime: multæque res sunt, in quibus de suis commodis viri boni multa detrahunt, detrahique patiuntur, ut
58 iis amici potius, quam ipsi fruantur. Altera sententia est, quæ definit amicitiam paribus officiis ac voluntatibus. Hoc quidem est nimis exigue[5] et exiliter ad calculos[6] vocare amicitiam, ut par sit ratio acceptorum et datorum[7]. Ditior mihi et affluentior videtur esse vera amicitia; nec observare restricte, ne plus reddat, quam acceperit. Neque enim verendum est,

prima præceptum continet, hinc ut repetendum. Gern.

4. *In amicum*. Grævius comp. Tusc. III, 29 extr. « Præclarum illud est, et, si quæris, rectum quoque et verum, ut eos, qui nobis carissimi esse debeant, æque ac nosmet ipsos amemus: ut vero plus, fieri nullo pacto potest: ne optandum quidem est in amicitia, ut me ille plus quam se; ego illum plus, quam me: perturbatio vitæ si ita sit, atque officiorum omnium consequatur ». Hanc sententiam Grævius veriorem dicit, nec ei obstare, quæ Cic. mox afferat. At illo (Tuscul.) loco de luctu ex amissione amicorum amatorium sermonem refutat, «ut quisquam plus alterum diligat, quam se »: hic autem caveri vult, ne quis, illud præceptum sequutus, quidquam amici causa non licere putet facere, quod sua causa non facturus sit, id quidem non, quo se minus diligat, sed quod non vult videri cupide quidquam facere. Ne igitur ista benivolentiæ norma teneatur in amicorum officiis. Ceterum ille amatorius sermo non vana loquitur, si honestatis studium suadet modestiam, ut facilius in altero admireris, quod tibi deesse sentias, tum amico grata esse scimus multa, quibus nos commodius caremus. Denique ipsorum officiorum fructus prælucet quidam ex aucto alterius amore. Wetzelius recte cf. Xenoph. Memor. II, 2, 7. Gern.

5. *Nimis exigue*. Gern. delet v. *nimis*. In plerisque, inquit, libris script. et in editis omnibus *nimis exigue*. Pro quo quum duo Manut. haberent *minus exigue*, in vetere autem libro Manutius notatum vidisset *exigue*; istud interpretamentum delevi. Item *nimis* rejicere debebat Gœrenz. Leg. I, 19, 50 extr. recte vero delevit Schütz. Orat. II, 71, 288, unius cod. Guil. auctoritate. Gern.

6. *Ad calculos vocare amicitiam*. Fin. II, 19 pr. « Quid fortes viri? voluptatumne calculis subductis, prælium ineunt...? » Gern.

7. *Acceptorum et datorum*. Cf. Off. I, 17, 56. Gern.

ne quid excidat, aut ne quid in terram defluat[8], aut ne plus æquo quid in amicitiam congeratur. Tertius 59
vero ille finis deterrimus, ut, quanti quisque se ipse faciat, tanti fiat ab amicis. Sæpe enim in quibusdam aut animus abjectior est, aut spes amplificandæ fortunæ fractior. Non est igitur amici, talem esse in eum, qualis ille in se est; sed potius eniti, et efficere, ut amici jacentem animum excitet, inducatque spem, cogitationemque meliorem.

Alius igitur finis veræ amicitiæ constituendus est, si prius, quid maxime reprehendere Scipio solitus sit, edixero[9]. Negabat ullam vocem inimiciorem amicitiæ potuisse reperiri, quam ejus, qui dixisset, ita amare oportere[10], ut si aliquando esset osurus[11]. Nec vero

8. *Aut ne quid in terram defluat.* Sine gratia sit. Facc. — Schützius hæc annotavit: « Grutero verba *ne quid in terram defluat* de glossa suspecta fuerunt. Mihi, si quid mutandum sit, videntur potius expungenda esse verba *ne quid excidat, aut...* Quum enim tropica sit locutio *ne quid in terram defluat* (h. e. *ne quid inutiliter profundatur*) credibilius est aliquem voluisse eam verbis *ne quid excidat* interpretari ». At *excidunt* res de manibus improviso, quum tenere velles: *defluunt* præ abundantia quæ continere non possis, ut hoc loco, aut præ languore ac mollitie, ut Philipp. XII, 3, 8; Catil. I, 6 extr. Ita quæ oratori concedenda sunt non miraberis, ubi exilis illa æqualitatis cura in reddendis beneficiis perstringitur. Gern.

9. *Edixero.* Alii ut Manut. tradit *dissero*, vel *edissero*. Ernest. hæc annotavit: « *dixero* pro *edixero* scripsit Cicero, ut libri vulgo habent. Nam id verbum h. l. aptum non est ». Cui Scheller. in Observv. opposuit, *edicere* idem esse, quod *dicere*, patefacere (ut h. l. ubi non suam, sed Scipionis sententiam communicat, quasi publice eloquitur quæ ille privatim dixerat). Ter. Eun. V, 5, 20: « dico, edico, nostrum esse illum herilem filium ». Liv. lib. VII, cap. 14, circa med. Gern.

10. *Ita amare oportere.* Apparet vero, viros bonos invicem sese non sic amare posse, ut odium inde aliquando oriturum cogitent. Quamobrem, qui fidum certumque amicum vere diligit, hoc præceptum, ut Scipio, detestabitur: vulgaris vero amicitiæ initia cautionem habere debent eam, quam affert illa cogitatio, fieri posse, ut dissuenda sit amicitia, præsertim quum vita communis non raro ostendat in inimicitiam mutatam amicitiam, quale exemplum vid. cap. 1, 2. Gern.

11. *Ut si aliquando esset osurus.* Lenitatis aliquid ad illud præceptum accedit e conditionali particula, cui *aliquando* non *quando* adjungitur, ubi major vis inest in hoc adverbio

se adduci posse, ut hoc, quemadmodum putaretur, a Biante[12] esse dictum crederet, qui sapiens habitus esset unus e septem, sed impuri cujusdam, aut ambitiosi, aut omnia ad suam potentiam revocantis esse sententiam. Quonam enim modo quisquam amicus esse poterit, cui se putabit inimicum esse posse? Quin etiam necesse erit cupere et optare[13], ut quam sæpis-

v. pronomine *aliquis*, quam in particula *si*, ut Cat. M. 13, 44: « Sed si aliquid dandum voluptati »; Philipp. XIII, 1 extr. et Offic. I, 39, 139: « si aliquando (domus) alio domino solita est frequentari ». Ipsius vero Ciceronis interpretatio petenda est e verbis seqq. « cui se putabit inimicum esse posse » non *fore*. Stultum etiam sit eo consilio amare, ut aliquando osurus sis. Gern. — Publius Syrus: « Ita amicum habeas, posse ut facile fieri hunc inimicum putes. Ita inimicum habeas, posse ut fieri hunc facile amicum putes ». Cf. Sophocl. in Ajace, vers. 687 seqq. contra hoc præceptum egregia est Cæsaris vox, « se malle semel perire, quam diffidere semper ».

12. *Biante*. Gellius, lib. I, cap. 3, id tribuit Chiloni, qui ipse quoque unus ex septem habitus est. Sed multis tribuitur dictum hoc ex veteribus et poetis, et philosophis. Refertur etiam ab Aristotele in Rhet. I, 2, 13. Facc. — Bianti, cujus patria Priene, vid. Parad. I, 1, 8, hoc tribuit Aristoteles, et Diog. Laert. vit. Biantis, 1, ἔλεγε... καὶ φιλεῖν ὡς μισήσοντας, τοὺς γὰρ πλείστους εἶναι κακούς. Item Valer. M. VII, 3, extr. 3, qui « hoc quidem præceptum, inquit, prima specie nimis fortasse callidum videatur inimicumque simplicitati, qua præcipue familiaritas gaudet, sed si altioribus animis cogitatio demissa fuerit, perquam utile reperietur ». Gernhard.

13. *Quin etiam necesse erit cupere et optare*, etc. Scilicet dictum hoc ejus est, qui mutare amicos velit, et causas quærat solvendi vinculi. Itaque necesse erit cupere et optare, etc. Facc. — Hanc Facciolati verborum interpretationem ego quidem veram esse negaverim; Grævii vero nota ad Biantem defendendum pertinet, non ad interpretanda Ciceronis verba. Grævius, « Hæc Ciceronis ratio, inquit, non facit ad Biantem impugnandum. Negabit Bias se optare, ut amicus, quem sic amat, tamquam accidere posset ut odio aliquando prosequatur, peccet, et occasionem habeat eum reprehendendi : immo hoc non optabit, sed ut amicus sic vivat ut semper cum illo possit amicitiam initam colere sine querela et reprehensione : sed tamen semper cogitabit eum, tamquam hominem non perfectum posse immutari, itaque nihil ei committendum esse, quod, si alienetur a te, tibi aut noxium, aut turpe possit esse ». Scipio quidem vera amicitia, quæ est inter bonos, indignum esse illud præceptum recte censuit, ad eumque potissimum pertinere, qui, ut ait §. 63, honores, magistratus, imperia, opes amicitiæ anteponit, nec multum abest quin (vid. § 65) criminibus inferendis delectetur. In quo utroque vitio qui sunt, eos quidni denique, ut quæstui ha-

sime peccet amicus, quo plures det sibi tamquam ansas ad reprehendendum; rursum autem recte factis, commodisque amicorum necesse erit angi[14], dolere, invidere. Quare hoc quidem præceptum, cujuscum- 60
que est, ad tollendam amicitiam valet. Illud potius præcipiendum fuit, ut eam diligentiam adhiberemus in amicitiis[15] comparandis, ut ne quando amare inciperemus eum, quem aliquando odisse possemus. Quin etiam si minus felices in diligendo fuissemus, ferendum id Scipio potius, quam inimicitiarum tempus cogitandum, putabat.

XVII. His igitur finibus utendum arbitror, ut, quum 61
emendati mores amicorum sint[1], tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum[2], sine ulla exceptione communitas: ut, etiam si qua fortuna ac-

bent amicitiam, amici rebus prosperis dolere, iisque invidere putemus? Ceterum tristior hæc vel severior præcepti interpretatio admodum decere videtur Scipionis naturam, quam Cicero describit Off. I, 30, 108: « in C. Lælio multa hilaritas; in ejus familiari Scipione ambitio major, vita tristior ». Gern.

14. *Necesse erit angi*. Gern. delet vv. *necesse erit*, qui notat: Interpretis manum hæc verborum *necesse erit* repetitio ostendit hoc indigniorem Cicerone, quod ad utriusque affectus æquabilitatem *rursum* interposuerat. Atque expunxi verba *necesse erit*. Sunt enim infinitivi *cupere* et *optare* in recenti memoria. Accedit quod *necesse erit* prioris sententiæ infinitivis præmissum fuit, altera autem vice eodem loco repetere non decebat.

15. *In amicitiis*. Quatuor Manut. et A. habent *in amicis*. Non opus esse correctione docet Fin. I, 20, 63: « Ratio ipsa monet, amicitias comparare », et Læl. cap. 21, pr. « in amicitiis dimittendis ». Wetzelius de ipso hoc præcepto, quo illud Biantis corrigitur, comparat Solonem ap. Diog. Laert. lib. I: φίλους μὴ ταχὺ κτῶ· οὓς δ' ἂν κτήσῃ, μὴ ἀποδοκίμαζε. Gern.

XVII. 1. *Emendati mores amicorum sint*. Manutius ab iis vitiis alienos mores intelligit, quæ amicitiæ adversantur, ut perfidia, levitas, avaritia, ambitio et similes pravi effectus: quos qui exstirpare non possunt, moderari saltem, et velare studeant. Gern.

2. *Consiliorum*, *voluntatum*. Hos amicitiæ fines si cum ejus definitione, cap. 6 pr. comparas, ad agendum potius pertinere senties. Vide quæ ad illum locum notata sunt. Neque prætermittenda emendatorum morum conditio est, qua hæc communitas esse possit. Cf. pro Plancio, cap. 2, 5; Sallust. Cat. cap. 20; Thucydid. III, 10. Gern.

ciderit, ut minus justæ amicorum voluntates adjuvandæ sint, in quibus eorum aut caput agatur[3], aut fama, declinandum sit de via[4], modo ne summa turpitudo[5] sequatur. Est enim quatenus amicitiæ dari

3. *Aut caput agatur.* Quum caput, res, fortuna, honor in discrimen adducta sint, ut Lambinus interpretatur. Sic in vetustioribus libris. Reliqui libri scripti et editi « aut de capite agatur », h. e. de capite, re, fortunis, honore consultetur, aut sermo habeatur.

4. *Declinandum sit de via.* « Sic Cicero declinavit de via, quum Milonem amicum suum defendit, quem sciebat ea voluntate fuisse, ut Clodium occideret, si se Lanuvium ad prodendum Flaminem ituro in via offerret: eum tamen probavit insidias non fecisse. Sic M. Antonius orator C. Norbanum, qui tribunus plebis seditionem excitarat, contra P. Sulpicium, qui majestatis eum accusavit, defendit, quia amicus ejus erat. Vide et Ciceronem in orat. pro Murena, cap. 3, copiose de hac amicitiæ lege et jure disputantem ». GRÆV. — Cf. Off. III, 10, 43-46, ubi hoc præceptum justis terminis continetur: « At neque contra rempublicam, neque contra jusjurandum et fidem, etc. »

5. *Ne summa turpitudo.* De communibus h. l. ut de Offic. l. l. § 45, sic disputat, ut aliquid concedat amicitiæ, si minus justæ sint (non sapientium, non perfectorum) amicorum voluntates. Quamobrem summa turpitudo l. l. definita videbitur verbis his: « At neque contra rempubl. neque contra jusjurandum ac fidem amici causa vir bonus faciet », et q. s. Prima enim officia (Offic. I extr.) debentur diis immortal. secunda patriæ, tertia parentibus, deinceps gradatim reliquis. Tum communitas (vide ibid. cap. 45 pr.) moderationi non anteponenda, neque utilia amicitiæ, quæ, ut justitia, ipsa per se expetenda est (vide Fin. III, 21, 70). Plus concessit amicitiæ Pericles apud Gell. I, 3, qui tantum pejerare amici causa noluit his verbis usus: Δεῖ με συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι θεῶν. Quid? quod Chilo ille sapiens falsum pro amici salute consilium dedit. Hinc facile fuit judicare, leve damnum delibatæ honestatis majore alia gravioreque in adjuvando amico honestate compensari, sicuti, ut ad Theophrasti Peripatetici sententiam Gellius ait, « magnum pondus æris parva lamina auri sit pretiosius ». Denique ut Favorinus apud Gellium l. l. loquitur: Ἡ καλουμένη χάρις (indulgentia gratiæ) παρὰ τοῖς ἀνθρώποις ἐστὶν ὕφεσις ἀκριβείας ἐν δέοντι. Postremo Theophrastus, relicta honestatis dignitate, eo deflexit, ut officiorum existimationes nunc ratas nunc irritas effici diceret personarum, et causarum, et temporum, et necessitatum momentis. Hac honestatis et utilitatis (non propriæ, sed amicorum) contentione et comparatione si Cicero in communis amicitiæ officiis uti plerosque dixisset; experientia edoctis foret consentiendum: præcipientem vero, amici causa declinandum esse de via, modo ne summa turpitudo sequatur, non putamus audiendum. Sed nescio, an inconsideratius, quam turpius dixisse videatur. Opposuit autem h. l. amici discrimini defensoris famam. Hoc enim revocandum potissimum videtur illud « ut minus justæ amicorum voluntates adjuvandæ sint ». De quo defendendi officio cf. Cicero pro Murena, cap. 3 pr.

venia possit. Nec vero[6] negligenda est fama : nec mediocre telum[7] ad res gerendas existimare oportet benivolentiam civium; quam blanditiis, et assentando colligere turpe est. Virtus, quam sequitur[8] caritas, minime repudianda est.

Sed sæpe (etenim redeo ad Scipionem, cujus omnis 62
sermo erat de amicitia) querebatur, quod omnibus in rebus homines diligentiores essent; ut capras et oves quot quisque haberet, dicere posset; amicos quot haberet, non posset dicere : et in illis quidem parandis adhibere[9] curam, in amicis eligendis negligentes esse; nec habere quasi signa quædam, et notas[10], quibus eos, qui ad amicitiam essent idonei, judicarent. Sunt igitur firmi, et stabiles, et constantes eligendi; cujus generis est magna penuria : et judicare difficile est sane, nisi expertum. Experiendum autem

Gern. — Vide pro Sulla, cap. 3, 8; ibid. 6, ibid. 4 extr.

6. *Nec vero*. Totum hoc continet excusationem ejus, qui omnia facit, ne dissolvat amicitiam, ut famam sibi comparet caritatis et constantiæ. Facc. — Conf. Offic. I, 28, 99. Gern. — Nobis hoc loco in interpr. Facciolatus errare videtur. Fama hic dicitur de ea opinione mala quæ nos consectari posset, si nimis injusta esset voluntas amici quam defendimus : ideo bene Gern. ante « nec vero » minore puncto distinxit, non maximo. Totius loci, ni fallimur, hic tenor est : Est enim quousque amici studium in defendenda amici causa minus justa progredi possit : sed hunc modum transilire non licet : nam fama non est negligenda; quia si hanc famam negligimus, etiam amittenda erit civium erga nos benivolentia : quam quidem benivolentiam, si turpe est assentationibus colligere, non tamen est boni civis repudiare, quum virtutis, i. e. probitatis, æquitatis præmium est.

7. *Telum*. Instrumentum. Facc. — Cf. Liv. IV, 28 med. ibid. V, 29 extr. De benivolentia civium præcepta dat Cic. Offic. II, 9. Gern.

8. *Virtus, quam sequitur caritas*. Causam affert Cic. Offic. II, 9, 32 : « Etenim illud ipsum, quod honestum decorumque dicimus, quia per se nobis placet animosque omnium natura et specie sua commovet, maximeque quasi perlucet ex eis, quas commemoravi, virtutibus, idcirco illos, in quibus eas virtutes esse remur, a natura ipsa diligere cogimur ».

9. *Adhibere*. Subaudi verb. *aiebat*; nisi vis, infinitum hoc pendere a *querebatur*. Gern.

10. *Quasi signa quædam et notas*. Ut Eurip. Med. 519, et Hippol. 925. *Quasi* deest in Goth. a. in ψ. *quædam* omissum. Vimar. mox habet *ad amicitias*. Gern.

est in ipsa amicitia : ita præcurrit amicitia judicium,
63 tollitque experiendi potestatem. Est igitur prudentis, sustinere ut currum [11], sic impetum benivolentiæ: quo utamur, quasi equis tentatis [12], sic amicitiis, aliqua parte periclitatis moribus amicorum. Quidam sæpe in parva pecunia perspiciuntur [13], quam sint leves; quidam, quos parva movere non potuit, cognoscuntur in magna. Sin vero erunt aliqui reperti, qui pecuniam præferre amicitiæ, sordidum existiment : ubi eos inveniemus, qui honores, magistratus, imperia, potestates, opes amicitiæ non anteponant? ut, quum ex altera parte proposita hæc sint, ex altera jus amicitiæ, non multo illa malint? Imbecilla enim natura est ad contemnendam potentiam; quam etiam si neglecta amicitia consequuti sunt, obscuratum [14] iri arbitran-

11. *Currum*. Alii leg. *cursum*. Infra vero non *equis*, sed *aquis*; ut sit metaphora ducta a cursu navigationis. Vid. not. seq. Facc.

12. *Equis tentatis*. Quidam *aquis tentatis* legunt contra omnium vet. exempl. auctoritatem : quamquam non magnopere pugno. *Equum* certe *tentamus*, id est, ad cursum et alia submittimus, ac periclitamur, si sessorem patitur, si ore contumaci non est, si succussor non est, si versuras faciles præbet, si valet cursu : et alia ejusmodi, quibus cognitis, vel eo utamur, vel repudiemus : sic amicorum mores periclitandi. Lang.

13. *Quidam... perspiciuntur*. Pro « perspicitur, quam leves sint ». Hanc subjecti vim in attrahendo verbo vide Orat. 20, 68; Orat. II, 60 pr. pro lege Manil. 12, 34, et quæ not. Matthiæ. Græcis usitatiorem hanc esse constructionem notum est. In *parva pecunia* autem significat ubi parva pecunia, quam neglecto amicitiæ officio adipisci possis, proposita est, ut Aristides in orat. de amicitia : ἐπειδὰν δὲ ὀλίγα κέρματα μεταξὺ τύχη τις βάλῃ ὥσπερ τὰ κυνάρια μεταβαλλόμενοι δάκνουσί τε ἀλλήλους καὶ σπαράττουσι. Graev.

14. *Obscuratum iri se arbitrantur*. Hæc (ut Grævius edidit e Pal. sexto et Pith. in quibus tamen *se* abest) sine dubio, Ernestius inquit, vitiosa sunt; nam constructio non constat, nec sensus. Wetzelius et Schützius ediderunt « excusatum iri se ». At C. Langius ait : « In nonnullis libris *obscurari*, in pluribus *obscuratum iri*, q. d. emolumenti magnitudinem facile obtentui futuram accusationi neglectæ amicitiæ ». Sententiam vidit Langius. Comp. Verr. III, 57, 131 : « potuisse... perferre; quod magnitudo lucri obscuraret periculi magnitudinem, etc. » Fin. III, 14, 45; ibid. IV, 12, 29. Subjecti autem locum ad *obscuratum iri* non sustinet *quam* (potentiam), sed totum illud « quam si neglecta amicitia consequuti sunt », h. e. con-

tur, quia non sine magna causa sit neglecta amicitia. Itaque veræ amicitiæ difficillime reperiuntur in iis, 64
qui in honoribus, reque publica versantur. Ubi enim istum invenias, qui honorem amici anteponat suo? Quid? hæc ut omittam, quam graves, quam difficiles plerisque videntur calamitatum societates[15]? ad quas non est facile inventu qui descendat. Quamquam Ennius recte:

Amicus certus in re incerta[16] cernitur:

tamen hæc duo levitatis et infirmitatis plerosque convincunt, aut si in bonis rebus contemnunt, aut si in malis deserunt[17]. Qui igitur utraque in re[18] gravem, constantem, stabilem se in amicitia præstiterit, hunc ex maxime raro hominum genere judicare debemus, et pæne divino.

XVIII. Firmamentum autem stabilitatis, constan- 65
tiæque ejus, quam in amicitia quærimus, fides est: nihil enim stabile est, quod infidum est. Simplicem[1]

sequendæ potentiæ turpem rationem. Scheller. Observv. mihi non persuasit, *quam* non minus ad *excusatum iri*, quod præfert, pertinere, quam ad *consequuti sunt*. Gern.

15. *Calamitatum societates.* H. e. adversam amici fortunam sibi communem facere, partem miseriarum, quibus affictatur suscipere et sustinere.

16. *In re incerta.* « Vet. libri fere habent *in re certa*. Nam rebus medio loco stantibus, et donec spes est etiam meliores fore, nemo non vult amicus videri: lapsis et afflictis, qui ex animo amicus sit, cernitur. Plautus tamen dicit *in re dubia cognosci amicum* (simil. Epidic. I, 2, 10: *Is est amicus, qui in re dubia re juvat, ubi re est opus*). Sed et *dubiæ res* sæpe vocantur tantum non desperatæ ». C. Lang. — Nobis videtur non opus fuisse in vv. « in re incerta » laborare: ea « res incerta » dicitur per hypallagen, in qua nos incerti sumus quid agamus, qua ratione periculum fortunæ aut capitis dimoveamus.

17. *Aut si... contemnunt... deserunt.* Amici *in bonis* colendi, *in malis* adjuvandi. Facc. — Manutius *in bonis rebus* intelligit suis; *in malis* amicorum. Gern. — Prorsus absurda est Facciolati interpretatio: nam non metuendum est ne amicus ideo contemnatur, quod prospera utitur fortuna; sed ne ille qui feliciter crevit, amicum adhuc jacentem despiciat et contemnat.

18. *Utraque in re.* Comp. Plutarch. de amicorum multitudine, cap. extr. Gern.

XVIII. 1. *Simplicem.* Wetzel. recte

præterea, et communem, et consentientem[2], qui rebus iisdem moveatur, eligi par est; quæ omnia pertinent ad fidelitatem : neque enim fidum potest esse multiplex ingenium, et tortuosum[3]. Neque vero, qui non iisdem rebus movetur, et natura consentit, aut fidus, aut stabilis potest esse. Addendum eodem est, ut ne criminibus, aut inferendis delectetur, aut credat oblatis; quæ omnia pertinent ad eam, quam jamdudum tracto, constantiam. Ita fit verum illud, quod initio dixi, amicitiam, nisi inter bonos, esse non posse. Est enim boni viri (quem eumdem sapientem[4] licet dicere), hæc duo tenere in amicitia : primum, ne quid fictum sit, neve simulatum[5]; aperte enim vel odisse, magis ingenui est, quam fronte occultare sententiam. Deinde, non solum ab aliquo allatas criminationes repellere, sed ne ipsum quidem esse[6] suspiciosum, semper aliquid existimantem ab amico esse violatum.
66 Accedat huc suavitas quædam oportet sermonum atque morum, haudquaquam mediocre condimentum

interpretatur veritatis amantem, a fuco et mendacio alienum : opponitur huic « multiplex et tortuosum ingenium ». Cf. Offic. I, 30, 129. Gern.

2. *Communem, et consentientem, qui*, etc. *Communem* Itali dicunt *uomo alla mano*, *conversevole*. Vide de Senect. cap. 17, in adnot. (§ 59, et quæ nos ibi addidimus). Facc.—Grævius hæc adnotavit : « *Communis* est benevolus et non arrogans, ut superius notatum ad Catonis cap. 17 : *Consentientem* autem, quia *idem velle et idem nolle firma demum amicitia est.* Nam similitudo ingenii et morum amicitiam parit, et munit ac firmat, ut superius vidimus ». Gern.

3. *Tortuosum*. Opponitur v. *simplicem*. Ut Aristoteles πολύμορφον opposito ἁπλοῦς. Gern.

4. *Quem eumdem sapientem*. Conf. cap. 5, 19, ubi Lælius satis habebat *viros bonos* dicere, et cap. 26, 100. Gern.

5. *Ne quid fictum sit, neve simulatum*. Recte Græv. interpretatur : « Sine fuco et fallacia vera amicitia colitur : qualis fuit Achilles apud Ennium : *Eo ego*, inquit, *ingenio natus sum*, *amicitiam atque inimicitiam in fronte promptam gerere* ». Gern.

6. *Esse suspiciosum*. De toto h. l. cf. M. Anton. lib. XI, cap. 15. Gern. — Seneca alicubi dixit, « amicum si fidelem putaveris, facies ». Cf. idem Senec. Epist. 3, 6, 9, 48, etc. qui forsan de amicitia opus quoddam speciale scripserat, ut conjicere licet ex fragmentis nuper Romæ inventis a *Niebuhr*.

amicitiæ. Tristitia autem, et in omni re severitas[7], habet illa quidem[8] gravitatem; sed amicitia [9]remissior esse debet, et liberior, et dulcior, et ad omnem comitatem facilitatemque proclivior.

XIX. Exsistit autem hoc loco quædam quæstio sub- 67
difficilis: num quando amici novi, digni amicitia, veteribus sint anteponendi, ut equis vetulis teneros anteponere solemus. Indigna homine dubitatio. Non enim amicitiarum esse debent, sicut aliarum rerum, satietates. Veterrima quæque (ut ea vina, quæ vetustatem ferunt[1]) esse debent suavissima; verumque illud est, quod dicitur, multos modios[2] salis simul edendos esse, ut amicitiæ munus expletum sit[3]. Novitates au- 68
tem, si spem afferunt, ut, tamquam in herbis non fallacibus, fructus appareat, non sunt illæ quidem repudiandæ: vetustas tamen suo loco conservanda est. Maxima est enim vis vetustatis et consuetudinis: ut in ipso equo, cujus modo mentionem feci, si nulla res impediat, nemo est, qui non eo, quo consuevit, libentius utatur, quam intractato et novo; nec modo in hoc, quod est animal, sed in iis etiam, quæ sunt

7. *In omni severitas.* Severitas quum in omni re gravitatem habeat, in amicitia tamen debet esse remissior. Lang.

8. *Habet illa quidem.* Pronominis *illa* cum *quidem* postpositi gravitatem vide cap. 19, 68 pr. et Brut. 37, 140. Gern.

9. *Remissior.* Manut. recte interpretatur non rigida aut intenta, sed laxo magis vinculo colligata. Comp. Cat. Maj. 9, 28; Offic. I, 30, 108; Orat. III, 7 extr. Gern.

XIX. 1. *Quæ vetustatem ferunt.* Quæ non acescunt senescendo, sed succum servant suum, qualia non sunt omnia vina.

2. *Modios.* Affert dictum hoc etiam Plutarchus περὶ πολυφιλίας, cap. 3. Facc. — Modius (Plin. XVIII, 7) frumenti mensura erat xxv librarum. Servi quaternos modios frumenti in mensem accipiebant, etc. Non tamen proverbii vox premenda. Gern.

3. *Ut amicitiæ munus expletum sit.* *Munus* intellige jungendæ amicitiæ, aut, ut Manutius dicit, ut amicitia perficiatur, certaque constet, neque de fide mutua dubitetur. Gern. — Hæc altera interpretatio nihil valet: nam hic agitur, quamdiu amici servandi sint, et Lælius respondet allato proverbio, quod per hyperbolen notat omnem ævi longitudinem.

inanimata, consuetudo valet, quum locis etiam ipsis
montuosis[4] delectemur et silvestribus, in quibus diu-
69 tius commorati sumus. Sed maximum est in amicitia,
superiorem parem esse inferiori. Sæpe enim excel-
lentiæ[5] quædam sunt: qualis erat Scipionis in nostro,
ut ita dicam, grege. Numquam se ille Philo[6], num-
quam Rupilio[7], numquam Mummio anteposuit, num-
quam inferioris ordinis amicis. Q. vero Maximum[8]
fratrem, egregium virum, omnino sibi nequaquam
parem, quod is anteibat ætate, tamquam superiorem
colebat; suosque omnes per se esse ampliores volebat.
70 Quod faciendum, imitandumque est omnibus; ut, si
quam præstantiam virtutis, ingenii, fortunæ conse-
quuti sunt, impertiant ea suis, communicentque cum
proximis; ut, si parentibus nati sint humilibus, si pro-
pinquos habeant imbecilliores vel animo, vel fortuna,
eorum augeant opes, eisque honori sint, et dignitati:
ut in fabulis, qui aliquandiu propter ignorationem
stirpis et generis in famulatu fuerint, quum cogniti

4. *Quum locis etiam ipsis montuosis*. C. Langius notavit hæc: « Emphasis et gratia orationi restituta est ». Hanc gratiam in eo esse apparet, quod inepto illo *etiam* ante *ipsis* deleto, si legis quod edidimus, « quum locis ipsis delectemur, montuosis etiam et silvestribus », hoc delectationis genus, quod oppositis animalibus, ex locis percipitur, subjectos habet montes et silvas. *Locis ipsis* autem (sc. in quibus diutius commorati sumus) per se excludit aliarum suavitatum accessionem; præsertim si sunt ab hominum et voluptatum frequentia remotiora loca, ut montuosa et silvestria. Hoc addam, Manutium edidisse *delectetur*, quod ad *consuetudo* relatum nemini placebit: tum etiam *montosis* Lambinum et Suff. cum Erasmo et tribus al. edd. apud Lenzium male retinuisse. Cf. pro Planc. cap. 9, 22, « aspera et montuosa regio ». Gern.

5. *Excellentiæ quædam sunt. Excellentias* appellat ὑπερβολὰς καὶ ὑπεροχὰς, ut eorum, qui pares sunt, ἰσότητα. Gern.

6. *Ille Philo*. De quo sup. cap. 4, 14. Gern.

7. *Rupilio*. Conf. cap. 11, 37. — *Mummio*. Qui, frater L. Mummii, Achaici, cap. 27, 101, cum Rupilio in æqualibus Lælii habetur.

8. *Q. Maximum*. Hic quoque Æmilii Paulli filius fuit, adoptatus a Q. Fabio Maximo. Facc. — De quo Africani Min. fratre vide not. ad Parad. VI, 2, 48, et infra cap. 25, 96: cons. a. U. C. 608: adversus Viriatum res bene gessit. Gern.

sunt, et aut deorum, aut regum filii inventi, retinent tamen caritatem in pastores, quos patres multos annos esse duxerunt[9]. Quod quidem est multo profecto magis in veris patribus certisque faciendum. Fructus enim ingenii, et virtutis, omnisque præstantiæ, tum maximus capitur, quum in proximum quemque confertur.

XX. Ut igitur ii, qui sunt in amicitiæ conjunctio- 71
nisque necessitudine[1] superiores, exæquare se cum inferioribus debent: sic inferiores non dolere, se a suis[2] aut ingenio, aut fortuna, aut dignitate superari. Quorum plerique aut queruntur semper aliquid, aut etiam exprobrant; eoque magis, si habere se putant, quod officiose, et amice, et cum labore aliquo suo factum queant dicere. Odiosum sane genus hominum, officia exprobrantium[3]: quæ meminisse[4] debet is, in quem collata sunt; non commemorare, qui contulit.
Quamobrem ut ii, qui superiores sunt, summittere se 72
debent in amicitia, sic quodam modo inferiores ex-

9. *Esse duxerunt*. Alii *esse posse*, quod est contemnendum. Facciol. cui Gern. assentitur. — *Duxerunt*. Exemplo esse possunt apud Romanos Romulus et Remus, apud Græcos Ægisthus et alii. Sunt qui leg. *patres*... *dixerunt*. Facc.

XX. 1. *In amicitiæ conjunctionisque necessitudine*. Lamb. et duæ vett. edd. «in amicitia conjunctionisque nec.» Amicitiæ vero in voluntate et benivolentia positæ jus quoddam necessitudinis voce, non minus par erat significari, quam conjunctionis, h. e. contubernii, hospitii, collegii, affinitatis, sanguinis, al. quod totum genus naturæ aut fortunæ debetur. Goth. b. habet «qui sint... vicissitudine», qua non mutui officii necessitas, sed acceptæ benivolentiæ remuneratio indicatur. Vide supra cap. 14, § 49. Gern.

2. *Se a suis*. Ven. 1487, et al. «a suis amicis», quod recentiores merito correxerunt; nam hoc præceptum non solum ad amicos pertinet, sed etiam ad cognatos et consanguineos: nam in fine sup. cap. auctor egit de officiis filiorum erga patres; et init. hujus cap. dicit, «amicitiæ *conjunctionisque* necessitudine».

3. *Officia exprobrantium*. Cf. Demosthen. de Cor. p. 316 ed. Reisk. et Terent. Andr. I, 1, 16: «Nam isthæc commemoratio quasi exprobratio est immemoris beneficii». Gern. —Adde versum gallici poetæ: «Un bienfait reproché tient toujours lieu d'offense».

4. *Meminisse*... *contulit*. Ursinus proverbium affert χάριν λαβὼν μέμνησο, καὶ δοὺς ἐπιλάθου. Gern.

tollere. Sunt enim quidam, qui molestas amicitias faciunt, quum ipsi se contemni putant: quod non fere contingit, nisi iis, qui etiam contemnendos se arbitrantur[5]; qui hac opinione non modo verbis, sed etiam
73 opere levandi sunt. Tantum autem cuique tribuendum, primum, quantum ipse efficere possis[6]; deinde etiam, quantum ille, quem diligas atque adjuves, sustinere. Non enim tu possis, quantumvis licet excellas, omnes tuos ad honores amplissimos perducere: ut Scipio P. Rupilium[7] potuit consulem efficere, fratrem ejus Lucium non potuit. Quod si etiam possis quidvis deferre ad alterum, videndum est tamen, quid ille possit sustinere.

74 Omnino amicitiæ, corroboratis jam confirmatisque et ingeniis, et ætatibus, judicandæ sunt; nec, si qui ineunte ætate venandi, aut pilæ studiosi fuerint, eos habere necessarios oportet, quos tum eodem studio præditos dilexerunt. Isto enim modo nutrices et pædagogi[8] jure vetustatis plurimum benivolentiæ postulabunt: qui negligendi quidem non sunt, sed alio quodam modo colendi; aliter[9] amicitiæ stabiles per-

5. *Etiam contemnendos se arbitrantur*. Nimis demisse de se ipsi sentiunt. FACC. — Istius querelæ in moribus esse culpam dicit Cato apud Ciceronem loc. laud. GERN.

6. *Efficere possis*. *Efficere* Wetzel. referre videtur ad unam illam benignitatem, quæ Cic. Offic. I, 14, 44, caveri vult, ne major sit *quam facultates*. Nostro loco opera levandus amicus est maxime in honoribus. GERN.

7. *P. Rupilium*. Hoc quoque loco, ut § 60, libri scripti plerique (excepto Gothofr. b. et edd. Plant. Suffridi et Antw.) habent *P. Rutilium*, pro quo Wetzel. post Ernest. in Clavi *P. Rupilium* restituit, qui consul fuit cum P. Popilio Lænate a. U. C. 621. Vide cap. 11, 37. GERN.

8. *Pædagogi*. J. G. Lenz. videre jubet Pignorium de Servis, p. 254 sqq. et 378 sqq. Valer. Maxim. VI, 1, 3 (ubi *pædagogus*... mox servus appellatur), et suam dissertationem de Pædagogis veterum Rom. Ienæ 1765. GERN.

9. *Aliter*, etc. Nisi judicentur ingeniis confirmatis, in quæ morum mutatio cadere nequeat. FACC. — Respicit præcedentem illam sententiam, «Omnino amicitiæ, corroboratis jam, etc.» GERN.

manere non possunt. Dispares enim mores disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias : nec ob aliam causam ullam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt, nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima potest esse, morum studiorumque distantia[10]. Recte etiam præcipi 75
potest in amicitiis, ne intemperata quædam benivolentia (quod persæpe fit) impediat magnas utilitates amicorum. Nec enim, ut ad fabulas redeam, Trojam Neoptolemus[11] capere potuisset, si Lycomedem, apud quem erat educatus[12], multis cum lacrymis iter suum impedientem, audire voluisset. Et sæpe incidunt magnæ res, ut discedendum sit ab amicis : quas qui impedire vult, quod desiderium non facile ferat, is et

10. *Distantia.* Durius Ernestio hoc loc. dicta esse videtur *distantia.* « Semper, inquit, suspicatus sum legendum esse *dissensio*, quo verbo Cicero in hac re uti solet ». Contra Schellerus, Obs. et Wetz. tentandum locum negant esse, citantque Offic. III, 17, 71. Adde Orat. X, 34 : « Quid enim tam distans, quam a severitate comitas? » Substantivo Cicero quidem non alias utitur, sed Gell. II, 26, dicit *distantias coloris*. Gern.

11. *Ut ad fabulas redeam... Neoptolemus capere*, etc. Achilles cum filio Neoptolemo abductus est a Lycomede Ulyssis artibus. Sed fortasse scripsit Cicero *Neoptolemi p.* id est, Neoptolemi pater. Id librarii non intelligentes ex *ip* fecerunt *us*. Ceterum Neoptolemus dumtaxat inter eos fuit, qui Trojam cepere : nam Achilles antea perierat. Facc. — Frustra V. D. laborat, ut Achilli reddat sua, quod omnes Veteres de Achille narrant, hic vero de Neoptolemo traditur. Langius et Manutius errorem per memoriam excusant, Ciceronis : vel, quod potius (inquit Lang.) credo, de industria Lælio, ut illa ætate, Græcanicarum fabularum ignorationem concedit : at recte Wetzel. Sophoclem adhibet interpretem Philoctet. 68, ubi Ulyssis fallacia Neoptolemo persuadet, ut Philocteti fraude eripiat tela Herculis : Εἰ γὰρ τὰ τοῦδε τόξα μὴ ληφθήσεται, Οὐκ ἔστι πέρσαι σοι τὸ Δαρδάνου πέδον. Cf. V, 113, 347, 920 et 1423. Gern. — J. V. L. dicit conjici posse Neoptolemum in aula Lycomedis mansisse usque ad mortem Achillis : quo exstincto, quum ipse ad bellum Trojanum abduceretur, non sine multis lacrymis a sene jam Achillem deplorante, divulsus est. Addit et forsan hic a Lælio induci fabulam Ennii, Neoptolemi nomine inscriptam, de qua Cic. Tuscul. lib. II, cap. 1.

12. *Lycomedem, apud quem erat educatus.* Regem in insula Scyro, vide Homer. Iliad. XIX, 236, ubi Achilles de Neoptolemo, Deidamia regis filia nato, ὃς Σκύρῳ μοι ἔνι τρέφεται φίλος υἱός. Ad quem loc. et ad Il. IX, 664, vide Eustath. Gern.

infirmus est, mollisque natura, et ob eam ipsam cau-
76 sam in amicitia parum justus. Atque in omni re considerandum est[13], et quid postules ab amico, et quid patiare a te impetrari.

XXI. Est etiam quasi quædam calamitas in amicitiis dimittendis nonnumquam necessaria: jam enim a sapientium familiaritatibus ad vulgares amicitias oratio nostra delabitur. Erumpunt sæpe[1] vitia amicorum quum in ipsos amicos, tum in alienos; quorum tamen ad amicos redundet infamia. Tales igitur amicitiæ sunt remissione usus eluendæ[2], et (ut Catonem dicere audivi) dissuendæ magis, quam discindendæ: nisi quædam admodum intolerabilis injuria exarserit, ut neque rectum, neque honestum sit, neque fieri possit, ut non
77 statim alienatio disjunctioque facienda sit.† Sin autem morum, aut studiorum commutatio quædam, ut fieri solet, facta erit, aut in reipublicæ partibus dissensio intercesserit (loquor enim jam, ut paullo ante dixi, non de sapientium, sed de communibus amicitiis), cavendum erit, ne non solum amicitiæ depositæ, sed inimicitiæ etiam susceptæ videantur. Nihil enim est turpius, quam cum eo bellum gerere, quicum familiariter vixeris[3]. Ab amicitia Q. Pompeii[4] meo nomine se removerat, ut scitis, Scipio; propter dissensionem

13. *Considerandum est.* Ita Lælius paucis repetit quæ dixerat c. 12 init. Gern.

XXI. 1. *Erumpunt sæpe vitia*, etc. Hæc est causa cur amicitiæ dimittendæ sint.

2. *Eluendæ.* Al. *elevandæ*; al. *diluendæ*. Vid. Offic. lib. I, cap. 33. Gellius, lib. XII, cap. 2, dixit *vinculum diluere*. Facc.

3. *Quicum familiariter vixeris.* A. hab. *cum quo*. Uterque Goth. uterque Dresd. A. et B. *quocum*. *Quicum* latine dici in communi sententia, in qua non certus quidam intelligitur, ut h. l. tum inprimis in proverbiis supra monui. Cf. Fin. II, 26, 85. Gern.

4. *Q. Pompeii meo nomine*, etc. Q. Pompeii Nepotis, qui consul fuit cum Cn. Cæpione a. U.C. 612, et censor cum Q. Metello Macedonico, ut Wetz. annotavit. Ceterum *meo nomine* est propter meam a Pomp. dissensionem. Cf. p. Muren. 38, 82. Gern.

autem, quæ erat in republica, alienatus est a collega
nostro Metello[5]. Utrumque egit graviter, auctoritate,
et offensione animi[6] non acerba. Quamobrem primum 78
danda opera est, ne qua amicorum discidia fiant; sin
tale aliquid evenerit, ut exstinctæ[7] potius amicitiæ,
quam oppressæ esse videantur. Cavendum vero est,
ne etiam in graves inimicitias convertant se amicitiæ;
e quibus jurgia, maledicta, contumeliæ gignantur. Quæ
tamen si tolerabiles erunt, ferendæ sunt; et hic honos

5. *Collega nostro Metello.* C. Langii nota hæc est: Q. Cæcilius Macedonicus cum « Q. Pompeio Rufo inimicitias acerrimas gessit. Rebus itaque in Hispania pæne a se confectis, quum audisset, Q. Pompeium successorem sibi mitti, victoriæ jam propemodum adeptæ palmam atque gloriam sibi prærepturum, omnes commeatum missionemque petentes dimisit, nec causis excussis: horreis custodes ademit, arcus Cretenses frangi abjicique jussit, elephantis cibaria dari vetuit, inquit Valer. (IX, 3, 7, coll. ibid. IV, 1, 12). Id factum Scipionem, opinor, offendit studiosissimum reip. quod privatam simultatem in necem reip. derivasset. A Pompeii vero amicitia recessit Lælii gratia, ut hic dicitur. Quum esset enim Scipioni perfamiliaris, eique promisisset pro Lælio consulatus candidato prensaturum, pro se ipse prensavit. Refert Plutarchus in Apophth. (Scip. Min. VIII). Id Scipio ægre habuit, ut est simile veri. Collegam autem et Scipionis et suum vocat *Metellum*, quia augur erat ». Cf. Off. I, 25, 87. Ad quem l. vide quæ annotavit Beierus contra Wetzelium, qui e Bruto, 21, 4, aliam offensionis causam fuisse suspicatus est. Gern.

6. *Graviter, auctoritate, et offensione amici.* Unus l. Man. *gravi auctoritate*, quod Schützio videtur esse verius. Eidem Viro D. legendum videtur *offensione amici* (pro *animi*) *non acerba*. In quo equidem non assentior. De adverbio *graviter* juxta substantivum posito cf. quæ notavi ad Cic. Off. I, 15, 49, et 18, 61. *Animi* vero *offensionem* pariter dici licuit atque ad Att. I, 7, 5 et 17 med. « Atque in ista incommoditate alienati illius animi et offensi, illud inest tamen commodi, etc. » Manutius *graviter* interpretatur: ratione in consilium adhibita. Gern.

7. *Ut exstinctæ potius amicitiæ, quam oppressæ.* Res exstinguuntur natura sua, opprimuntur vi. Similitudo ducitur ab igne; eaque usus est etiam in cap. 19, § 71; orat. pro Rosc. Amerino, cap. 13, 36; dial. de Senectute. Facc. — Nonius Marc. s. v. *exstinguere* et *opprimere* non recte nostrum locum interpretatur, quum addit: « quasi quod exstinguitur, possit renovari; quod opprimitur, non queat ». Immo *exstincta* res est apud Cic. deleta, nunc lenitatis, nunc exitii notione spectata, ut pro Cœl. 30, 71: « Audetisne excitare tanti flagitii memoriam, non exstinctam illam quidem, sed repressam vetustate », et sup. cap. 10, 35. Gern.

veteri amicitiæ tribuendus est, ut is in culpa[8] sit, qui faciat, non qui patiatur injuriam. Omnino omnium horum vitiorum atque incommodorum una cautio est atque una provisio, ut ne nimis cito diligere incipiamus, neve non dignos.

79 Digni autem sunt amicitia, quibus in ipsis inest causa, cur diligantur. Rarum genus[9] (et quidem omnia præclara rara), nec quidquam difficilius, quam reperire, quod sit omni ex parte in suo genere perfectum[10]. Sed plerique neque in rebus humanis quidquam[11] bonum norunt, nisi quod fructuosum[12] sit; et amicos, tamquam pecudes, eos potissimum diligunt, ex quibus
80 sperant se maximum fructum[13] esse capturos. Ita pulcherrima illa, et maxime naturali carent amicitia, per se, et propter se expetenda[14]; nec ipsi sibi exemplo

8. *In culpa.* Tota reprehensio cadit in unum. Facc. — Ne igitur par pari referatur, non ut amico parcas, sed ut amicitia ne ab utroque violata sit. Gern. — Nobis sensus esse videtur: ut turpe ducere debeamus injuriam facere veteri amico, non autem a vetere amico acceptam injuriam pati.

9. *Rarum genus (et q. omnia præclara rara), nec.* Gern. int. « rarum genus! et quidem omnia præclara rara; nec ». Hæc posteriora verba, inquit, Ernestius, Wetz. Schütz. parenthesin esse voluere. At sequentia « nec quidquam difficilius... perfectum » negando idem significant, quod illa affirmant. Neque debebant hæc omnia « et quidem... perfectum », ut in ed. Lips. apud Hinrichsium prostante, parenthesis notis includi, quia præparant eam sententiam, quæ sequitur *Sed plerique,* etc. in qua est altera causa, cur plerique minus felices sunt in jungendis amicitiis. Quo loco observandum est *neque... et*, ut paullo post vice versa *et... nec.* De re vid. Arist. ad Nicom. VIII, 2.

10. *Parte in suo genere perfectum.* C. Lang. etiam adversantibus omnibus libris verba *in suo genere* expunxit tamquam adulterina, sed non meminit V. D. Tusc. Quæst. V, 13, 37, de natura dici « quidquid genuit... in suo quodque genere perfectum esse voluit ». Gern.

11. *Quidquam bonum.* Quidquam, quod bonum est, existimant esse bonum.

12. *Fructuosum.* Sc. ad rem familiarem aut honores, etc. Sic et mox *fructus* dicitur. Ern. — Conf. § 32. Gern.

13. *Maximum fructum.* Gravis erat per ea tempora controversia, multorum sermonibus agitata, quam tangit Horatius, lib. II, Sat. vi, vers. 75. Facc.

14. *Expetenda.* Goth. b. Pith. B. et edd. Lang. Colon. Suffridi et Gryph.

sunt[15], hæc vis amicitiæ qualis et quanta sit. Ipse enim se quisque diligit, non ut aliquam a se ipse mercedem exigat caritatis suæ, sed quod per se sibi quisque carus est. Quod nisi idem in amicitiam transferatur, verus amicus numquam reperietur : est enim is quidem tamquam alter idem[16]. Quod si hoc 81
apparet in bestiis, volucribus, nantibus, agrestibus, cicuribus, feris, primum ut se ipsæ diligant (id enim pariter cum omni animante nascitur); deinde, ut requirant atque appetant, ad quas se applicent, ejusdem generis animantes; idque faciunt[17] cum desiderio, et cum quadam similitudine amoris humani : quanto id magis in homine fit natura[18], qui et se ipse diligit, et alterum anquirit; cujus animum ita cum suo misceat, ut efficiat pæne unum ex duobus?

XXII. Sed plerique perverse, ne dicam impudenter, 82
amicum habere talem volunt, quales ipsi esse non possunt; quæque ipsi non tribuunt amicis, hæc ab iis desiderant. Par est autem, primum ipsum esse virum bonum, tum alterum similem sui quærere. In talibus

expetita, h. e. tali amicitia, qualem viri boni expetierunt et quali fruuntur : quæ naturalis et pulcherrima est, si honestissime juncta est. Sed nihil mutandum. GERN.

15. *Nec ipsi sibi exemplo sunt.* « Hoc est, nec ipsi se intuentes et considerantes vident, quæ sit vera amicitia. Nemo enim se amat propter utilitatem, sed per se ipsum. Hoc Aristoteles ad Nicom. VIII, cap. 8, ostendit ex matrum amore, quæ natum infantem nec beneficia, nec benivolentiam intelligentem (Wetz. citat Xenoph. Memor. II, 2, 5) amant propter se, ut jam notavit S. Betuleius; vide et lib. IX, cap. 4 ». GERN.

16. *Alter idem.* Ex Zenonis dicto « Amicus est alter ego ». FACC. — Cf. Diog. Laert. VII, 63. Grævius conferri jubet Aristot. lib. IX, 4, med. ἔστι γὰρ ὁ φίλος ἄλλος αὐτός : quod primus Hesiodus dixerit. Adde Aristot. IX, 9 : Ὡς δὲ πρὸς ἑαυτὸν ἔχει ὁ σπουδαῖος, καὶ πρὸς τὸν φίλον· ἕτερος γὰρ αὐτὸς ὁ φίλος ἐστί. Quod proverbii loco etiam contractius dixit ibid. cap. 8 : τὸ μία ψυχή. Cf. Cic. de Fin. I, 20, et Beier. ad Offic. I, 17, 56. GERN.

17. *Idque faciunt.* Intellige *si*, e super. ne cui in mentem veniat « idque faciant », quam conjecturam in ed. Lip. apud Hinrichs. prostante notatam vidi. GERN.

18. *In homine fit natura.* Manutius *natura* interpretatur : non opinione, non ex inopia, aut necessitate, aut spe commodorum. GERN.

ea, quam jamdudum tractamus[1], stabilitas amicitiæ confirmari potest: quum homines benivolentia conjuncti, primum cupiditatibus iis, quibus ceteri serviunt, imperabunt, deinde æquitate justitiaque gaudebunt, omniaque alter pro altero suscipiet, neque quidquam umquam nisi honestum et rectum alter ab altero postulabit; neque solum se colent inter se, ac diligent, sed etiam verebuntur. Nam maximum ornamentum amicitiæ tollit, qui ex ea tollit verecundiam.
83 Itaque in iis perniciosus est error, qui existimant, libidinum peccatorumque omnium patere in amicitia licentiam. Virtutum amicitia adjutrix a natura data est, non vitiorum comes: ut, quoniam solitaria non posset virtus ad ea, quæ summa sunt, pervenire, conjuncta et consociata cum altera perveniret; quæ si quos inter societas aut est, aut fuit, aut futura est, eorum est habendus ad summum naturæ[2] bonum optimus beatissimusque comitatus.

84 Hæc est, inquam, societas, in qua omnia insunt, quæ putant homines expetenda, honestas, gloria, tranquillitas animi, atque jucunditas: ut, quum hæc adsint, beata vita sit, et sine his esse non possit. Quod quum optimum, maximumque sit; si id volumus adipisci, virtuti opera danda est: sine qua neque amicitiam, neque ullam rem expetendam consequi possumus. Ea vero neglecta, qui se amicos habere arbitrantur, tum se denique errasse sentiunt, quum
85 eos gravis aliquis casus experiri cogit. Quocirca (dicendum est enim sæpius) quum judicaveris, diligere

XXII. 1. *Jamdudum tractamus*.. Quatuor Oxx. A. et Dresd. b. cum quinque Man. *tractavimus;* duo Man. Dr. a. et multæ edd. vett. *tractabamus*. Nondum vero desiit tractare, inde a cap. 17, 62. De stabilitate amicitiæ cf. Aristot. ad Nicom. VIII, 10. Gern.

2. *Summum naturæ bonum*. Finem bonorum alibi vocat. Facc.

oportet[3]; non quum dilexeris, judicare. Sed quum multis in rebus negligentia plectimur, tum maxime in amicis et deligendis, et colendis. Præposteris enim utimur consiliis, et acta agimus[4], quod vetamur veteri proverbio. Nam implicati ultro et citro, vel usu diuturno, vel etiam officiis, repente in medio cursu amicitias, exorta aliqua offensione, dirumpimus[5]. Quo etiam magis vituperanda est rei maxime necessariæ tanta incuria.

XXIII. Una est enim amicitia in rebus humanis, de 86
cujus utilitate omnes uno ore consentiunt. Quamquam[1] a multis ipsa virtus contemnitur, et venditatio quædam atque ostentatio esse dicitur[2]. Multi divitias

3. *Diligere oportet*. De re comp. cap. 17, 62. Schützius hæc annot. « Cum hoc loco comparavit Ruhnkenius ad Rutil. Lup. lib. I, pag. 23, verba Theophrasti quæ refert Plutarchus de fraterno amore, pag. 482, B. (cap. VIII, ed. Tauchn.) Τοὺς μὲν γὰρ ἀλλοτρίους, ὡς ἔλεγε Θεόφραστος, οὐ φιλοῦντα δεῖ κρίνειν, ἀλλὰ κρίναντα φιλεῖν ». Gern.

4. *Acta agimus*. Facimus postea, quod faciendum erat prius. Facc. — Conf. ad Att. IX, 18, in fin. Terent. Phorm. II, 3, 72 : « Actum, dicunt, ne agas »; et Adelph. II, 2, 24 : « actum agam, ubi illinc rediero ». Quod enim, ut Donatus observat, in jure semel judicatum fuerit, rescindi et iterum agi non potest. Gern.

5. *Dirumpimus*. Ob eamdem rationem tarde fieri amicitias jubent Isocrates in oratione ad Demonicum et Solon apud Diogenem Laert. l. I, n. 60. Facc. — *Disrumpimus* tres Ald. Vim. Lambin. Suffrid. Plant. *Dirumpimus* h. l. non minus præferendum est quam Off. III, 5, init. « dirumpi necesse est humani generis societatem ». Gern.

XXIII. 1. *Quamquam*. Facc. hoc damnat, scribitque *namque*, quia reddit auctor rationem, cur dixerit, unam esse amicitiam, de cujus utilitate omnes uno ore consentiant. — *Namque* invitis suis libris et nostris recepit Manutius et Grævius in edit. min. 1691, nescio unde. Nihil vero est impedimenti, si *quamquam*, etc. superioribus verbis arctius conjunxeris, ut in edd. Ascens. et Lugd. factum est, non item in Ern. Wetz. et Schütz. Ex omnibus autem bonis, quæ minus quam amicitia expetantur, primum cum ea comparanda erat *virtus*, quæ est cum amicitia conjunctissima, et veræ quidem amicitiæ fundamentum. Sed hoc l. Læl. de vulgari amicitia disputat. De re comp. Horat. Ep. I, 6, 31, et 17, 41. Gern.

2. *Esse dicitur*. Eo jam morum vitio ventum est, ut virtus non modo ostentatio appelletur, concedatur etiam. Virtutes enim qui oderunt, nuncupant proximis vitiorum nomi-

despiciunt, quos parvo contentos tenuis victus cultusque delectat[3]. Honores vero, quorum cupiditate quidam inflammatur, quam multi ita contemnunt, ut nihil inanius, nihil levius esse existiment? Itemque cetera, quæ quibusdam admirabilia videntur, permulti sunt, qui pro nihilo putent. De amicitia omnes ad unum idem sentiunt, et ii, qui ad rempublicam se contulerunt; et ii, qui rerum cognitione doctrinaque delectantur; et ii, qui suum negotium gerunt otiosi[4]; postremo, ii, qui se totos tradiderunt voluptatibus,
87 sine amicitia vitam esse ullam sentiunt, si modo velint aliqua ex parte liberaliter vivere. Serpit enim, nescio quomodo, per omnium vitas amicitia; nec ullam ætatis degendæ rationem patitur esse expertem sui. Quin etiam si quis ea asperitate est, et immanitate naturæ, congressus ut hominum fugiat atque oderit, qualem fuisse Athenis Timonem[5] nescio quem[6] accepimus: tamen is pati non possit, ut non anquirat[7] ali-

nibus, ut alicubi pulchre a Plutarcho disputatum memini. Lang.

3. *Victus cultusque delectat.* Vim. « cultus victusque », ut Off. I, 4, 12. At nostro loco, ut Off. I, 45, 158, *cultus* minus necessarius recte adjungitur. Gern.

4. *Otiosi.* Id est, nulla in re occupati, nisi sua et domestica. Facc.

5. *Timonem.* Qui appellatus est μισάνθρωπος, osor hominum. Tuscul. IV, cap. 11. Hoc nomine inscribitur Luciani dialogus elegantissimus. Facc. — Adde præter Tib. Hemsterh. ad Luc. dial. Plutarch. Anton. c. 69, et Alcib. cap. 16; Paus. I, 30; Diog. Laert. in vita Timonis Philos. Γέγονε δὲ καὶ ἕτερος Τίμων, ὁ μισάνθρωπος· ὁ δ' οὖν φιλόσοφος, καὶ φιλόσοφος ἦν σφόδρα καὶ ἰδιοπράγμων. Plin. Hist. Nat. VII, 19. Gern.

6. *Nescio quem.* Lambinus Pith. lectionem *Timonem quemdam* præfert. Nemini autem persuasit. Lælius quidem nihil scit præter hominis nomen, uno isto odio ipsi notum. *Nescio quem* tamquam medium locum tenet inter *quemdam* et *aliquem*, si notitiæ gradus distinguis: quamquam *aliquis* nomen proprium respuit. Similiter in fin. c. legitur « nescio quomodo ». Gern. — Et dubitationis formas hic, ut infra de Archyta, Lælio tribuit Cicero, quia non decebat Lælium his in rebus videri eruditissimum, ut in sæculo adhuc doctrinarum rudi.

7. *Ut non anquirat aliquem.* Recte sane hic sensit Langius: perinde enim est ac si dixisset: Is tamen pati seu durare non posset, ut non quærat aliquem, in quem evomat acerbitatis suæ virus. Pro quo dicit in cap. 23:

quem, apud quem evomat virus acerbitatis suæ. Atque
hoc[8] maxime judicaretur, si quid tale posset contin-
gere, ut aliquis nos deus[9] ex hac hominum frequentia
tolleret, et in solitudine uspiam collocaret, atque ibi
suppeditans omnium rerum, quas natura desiderat,
abundantiam et copiam, hominis omnino adspiciendi
potestatem eriperet. Quis tam esset ferreus, qui eam vi-
tam ferre posset, cuique non auferret fructum volupta-
tum omnium solitudo? Verum ergo illud est, quod a
Tarentino Archyta[10], ut opinor, dici solitum, nostros
senes commemorare audivi, ab aliis senibus audi- 88
tum[11]: Si quis in cælum adscendisset, naturamque
mundi, et pulchritudinem siderum perspexisset, in-
suavem illam admirationem ei fore; quæ jucundissima
fuisset, si aliquem, cui narraret, habuisset. Sic natura
solitarium[12] nihil amat, semperque ad aliquod tam-
quam adminiculum annititur: quod[13] in amicissimo
quoque dulcissimum est. Sed quum tot signis eadem
natura declaret, quid velit, anquirat, ac desideret:
obsurdescimus tamen nescio quomodo; nec ea, quæ
ab ea monemur, audimus.

« requirere et appetere aliquem », et ibidem, « alterum anquirit ». Sed *acquirere aliquem*, pro comparare, seu adjungere sibi aliquem, nemo latine doctus dixerit, nedum Tullius. Omnino igitur legendum *anquirat*, quod vulgo minus tritum vocabulum ubique fere a librariis et sciolis mutatum est in *acquirat*. GRÆV.

8. *Hoc maxime judicaretur, si quid*, etc. Sc. quam necessarii hominum congressus.

9. *Ut aliquis nos deus*. Vide sensa eadem alio modo exposita in Offic. lib. I, c. 44. FACC. — Adde Offic. I, 43, 153, et Fin. III, 20, 65. Gruterus legendum putat « si aliquis nos deus » resectis verb. « quid tale posset contingere ». GERN.

10. *Tarentino Archyta*. De hoc Pythagoreo philos. quinti sæc. p. U. C. vid. Diog. Laert. III, 21, et VIII, 79 seqq. quæ not. ad Cat. M. cap. 12, et C. G. Bardili de Archyta Tarentino in novis Actis Societat. Lat. Jen. I, p. 1—16. GERN.

11. *Ab aliis sen. aud.* Cf. Cat. Maj. cap. 13 init.

12. *Natura solitarium*, etc. Id apparet etiam in bestiis, quæ cum suo genere congregantur: atque adeo etiam in plantis, quæ adminicula quærunt. FACC.

13. *Quod*. Hic ponitur pro *et hoc*

XXIV. Est enim varius et multiplex usus amicitiæ, multæque causæ suspicionum offensionumque dantur; quas tum evitare, tum elevare, tum ferre, sapientis est. Una illa sublevanda[1] offensio est, ut et veritas in amicitia, et fides retineatur. Nam et monendi amici sæpe sunt, et objurgandi; et hæc accipienda amice,
89 quum benivole fiunt. Sed nescio quomodo verum est, quod in Andria familiaris meus dicit :

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Molesta veritas, si quidem ex ea nascitur odium; quod est venenum amicitiæ : sed obsequium multo molestius, quod peccatis indulgens, præcipitem amicum ferri sinit. Maxima autem culpa in eo est, qui et veritatem aspernatur, et in fraudem obsequio impellitur. Omni igitur[2] hac in re habenda[3] ratio et diligentia est : primum, ut monitio acerbitate, deinde

h. sensu : et hoc adminiculum, et quidem dulcissimum, reperimus in amico.

XXIV. 1. *Sublevanda*. Leg. *subeunda*. Vulgata si retineri velit, sententia laborat. Nam ceteræ offensiones, inquit Cicero, vitandæ sunt : illa subeunda, quæ oritur ex veritate et fide. Facc. — In nullo libro MS *subeunda* reperi, neque audiendum puto. Non enim Ciceroni videtur veritas in monitione offensionem habere necessario, sed, ut in amicitia, cujus proprium est (vide § 91) et monere et moneri, veritas et fides retineatur, unum illud caute, h. e. benevole monendo et amice accipiendo, prohiberi vult, ne monitione offendas, neque offendaris. Hæc ad concinnitatem contractius et ad nexum cum superioribus verbis accommodatius dixit : « Una illa offensio sublevanda est, ut veritas... retineatur : nam et monendi amici sæpe sunt ... et hæc accipienda amice quum benivole fiunt ». Gern. — Vertit interpr. gallicus quasi legisset *subeunda* : « La seule occasion où l'on ne doive pas craindre d'offenser un ami, c'est, etc. » Nobis id sensus esse videtur : sed tantum offensionem veluti mollire debemus, quatenus illæsam patiamur veritatem et fidem.

2. *Omni igitur*. Acerbitatem et objurgationem cum adustione et sectione in morbo curando comparavit Aristid. Or. περὶ φιλίας apud Graev. Gern.

3. *Habenda*. Lambin. maluit *adhibenda*, ut Offic. l. l. et sæpe alibi, sed *ratio* rei per se, nisi plura alius generis substantiva, ut l. l. addita sunt, non *adhiberi*, sed *haberi* latine dicitur, ut Off. I, 28 med. « in hominum ratione habenda ». Nat. Deor. I, 20 extr. *Ratio* enim in rei cognitione et in deliberatione cernitur, quam deinceps *diligentia* in agendo sequitur, quæ *adhibita* dicitur § 95. Gern.

objurgatio contumelia careat; in obsequio autem (quoniam Terentiano verbo lubenter utimur[4]) comitas adsit; assentatio, vitiorum adjutrix[5], procul amoveatur: quæ non modo amico, sed ne libero quidem digna est. Aliter enim cum tyranno, aliter cum amico vivitur.
90 Cujus autem aures veritati clausæ sunt, ut ab amico verum audire nequeat, hujus salus desperanda est. Scitum est enim illud Catonis, ut multa[6]: Melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur; illos verum sæpe dicere, hos numquam. Atque illud absurdum est, quod ii, qui monentur, eam molestiam, quam debent capere, non capiunt; eam capiunt, qua debent vacare. Peccasse enim se non anguntur, objurgari moleste ferunt: quod contra oportebat, delicto dolere, correctione gaudere.

91 XXV. Ut igitur et monere, et moneri, proprium est veræ amicitiæ; et alterum libere facere, non aspere; alterum patienter accipere, non repugnanter: sic habendum est, nullam in amicitiis pestem[1] esse majo-

4. *Terentiano verbo lubenter utimur.* Terentianum verbum appellat *obsequium*, non quasi primum eo usum esse Terentium crediderit, ut Donatus (et Quintil. VII, 3, 35. Ciceronem defenderunt Camerarius in notis ad Tusc. I, Parrhasius in Epist. 58, et Zennius ad Terent.) ad illum locum putavit, sed quod illud verbum in versiculo Terentii l. l. positum erat. Ceterum Donatus: « Terentius vero, inquit, omnium primus, *obsequium* dixit pro *officio* ». Id quidem largiendum. Gern.

5. *Assentatio, vitiorum adjutrix.* « Tales enim, ut Cic. ait Offic. I, 26, 91, nos putamus esse, ut jure laudemur: ex quo innumerabilia peccata ».

— *Scitum est enim.* Goth. b. et Vim. « Scitum enim est ». In uno Oxon. *enim* deest. « Scitum est enim » leg. etiam Orat. III, 61, 228, et Orat. 16, 51. Duo Oxx. et aliquot antiq. edd. « illud proverbium Catonis ». Gern.

6. *Ut multa: Melius.* Al. *multo melius.* Hanc in rem Plutarchus syntagma scripsit de utilitate ab inimicis capienda, cap. 6, quem vide. Facc.

XXV. 1. *In amicitiis pestem.* Conf. § 34. Uterque Goth. *in amicis.* Grævius illud Antisthenis affert apud Diogenem Laert. VI, 3, referente Hecatone, κρεῖττον ἔλεγε ἐν ταῖς χρείαις εἰς κόρακας ἢ εἰς κόλακας ἐμπεσεῖν· οἱ μὲν γὰρ νεκρούς· οἱ δὲ ζῶντας ἐσθίουσιν.

rem, quam adulationem, blanditiam[2], assentationem. Quamvis enim multis nominibus est hoc vitium notandum, levium hominum atque fallacium, ad volun-
92 tatem loquentium omnia, nihil ad veritatem. Quum autem omnium rerum simulatio est vitiosa (tollit enim judicium veri, idque adulterat), tum amicitiæ repugnat maxime. Delet enim veritatem, sine qua nomen amicitiæ valere non potest. Nam quum amicitiæ vis sit in eo, ut unus quasi animus fiat ex pluribus: qui id fieri poterit, si ne in uno quidem quoque unus animus erit, idemque semper, sed varius,
93 commutabilis, multiplex? Quid enim potest esse tam flexibile, tam devium, quam animus ejus, qui ad alterius non modo sensum ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertitur?

> Negat quis, nego: ait, aio. Postremo imperavi egomet mihi,
> Omnia assentari[3],

ut ait idem Terentius[4]: sed ille sub Gnathonis persona; quod amici-genus adhibere, omnino levitatis

2. *Blanditiam*. Al. *blanditias*. Adulationi fœdum crimen servitutis inesse dicit Tacitus Hist. I, 1, et Theophrastus ex Aristotele συμφέρουσαν τῷ κολακεύοντι. Blanditia ἀρέσκεια placere vult alteri. De singulari *blanditia*, pro quo, in Casaub. ad Theophr. cap. 5, annotat, alii *blanditias* dici defendunt, cf. Republ. IV apud Nonium: «In cive excelso atque homine nobili blanditiam, ostentationem, ambitionem notam esse levitatis». Quod levissimum ex his vitium est, *assentatio* primum non suam tuetur sententiam, deinde ad voluntatem omnia loquitur. Gern.

3. *Omnia assentari*. Lambinus (invitis omnibus libris scriptis et edd.), *omnia assentiri* legendum esse, inquit, ratio et veritas vincunt. At Terentii hæc verba esse Vir D. parum animadvertit. Idem, Adelph. V, 9, 33, dicit «justa, injusta, obsequor», et Andr. II, 3, 2, «Si id succenseat». Eodem pertinet «Illud assentior Theophrasto» Cic. Orat. III, 48, pro «In eo assentior Theophrasto». Gern.

4. *Idem Terentius*. Est autem locus in Eunuch. III, 11, vs. 21. Terentii nomen, ut tralatitium, expunxit Car. Langius: item Lambinus, quia satis esset «ut ait idem». At enim, Schützius inquit, post Terentii locum Catonis dictum laudaverat; itaque h. l. non sufficiebat «ut ait idem», nisi nomen ipsum Terentii adjecisset.

est. Multi autem Gnathonum[5] similes quum sint, 94
loco[6], fortuna, fama superiores: horum est assentatio
molesta, quum ad vanitatem accessit auctoritas. Secerni autem blandus amicus a vero, et internosci tam potest, adhibita diligentia, quam omnia fucata et simulata a sinceris atque veris. Concio, quæ ex 95
imperitissimis constat, tamen judicare solet, quid intersit inter popularem, id est, assentatorem[7] et levem civem, et inter constantem, severum, et gravem. Quibus blanditiis C. Papirius[8] nuper influebat[9] in aures concionis, quum ferret legem de tribunis plebis reficiendis? Dissuasimus nos. Sed nihil de me; de 96
Scipione dicam libentius. Quanta illa, dii immortales! fuit gravitas? quanta in oratione majestas? ut facile ducem populi romani, non comitem diceres. Sed affuistis; et est in manibus oratio. Itaque lex popularis suffragiis populi repudiata est. Atque, ut ad me redeam; meministis, Q. Maximo[10], fratre Scipionis, et

5. *Gnathonum.* Ut *Maximi* Cat. M. 5, sic h. l. *Gnathones*, etsi unus est apud Terentium, quo illud gnomici poetæ πολλοὶ τραπέζης, οὐκ ἀληθείας φίλοι continetur. GERN.

6. *Loco.* Id est, genere. FACC. — Manut. interpretatur dignitate; Græv. rectius natalibus, genere, hinc « illustri, obscuro, humili loco » ap. vett. et Terent. Eunuch. I. I. v. 2, « mei loci atque ordinis homo ». GERN.

7. *Popularem, id est, assentatorem.* De vocis *popularem* vi distinguenda admodum sunt tempora, et dicendi causæ, ne h. l. interpreteris eum, qui saluti populi consulit, ut Off. I, 25, 85, sed ut pr. Cluent. 28, 77, et Phil. XI, 7, 17, et Catil. IV, 5 extr. GERN.

8. *C. Papirius.* Dr. a. octo Manut. et septem Oxx. cum multis edd. vett. addunt *Consul.* Hæc postrema dictio imperitioris cujuspiam enarratoris vitio adjecta fuisse mihi videtur, cui temporum ratio non satis constabat, nec quisnam hic esset C. Papirius, videre poterat: id autem potest intelligi ex L. Flori in T. Livium epitome 59. Meminit hujus C, Papirii Carbonis Eutropius libro quarto. Tribunus ergo, non consul C. Papirius ejus legis suasor fuit C. Claudio, M. Perperna coss. anno U. C. 622, duobus annis ante, quam hic dialogus haberi fingitur, decem annis ante consulatum suum cum P. Manilio. GERN.

9. *Influebat.* Cf. Offic. II, 9, 31.

10. *Q. Maximo.* Q. Fabio Maximo, Æmiliano, Paulli Macedonici filio, qui consul fuit anno U. C. 600. Vide not. ad cap. 19, 69. GERN.

L. Mancino consulibus, quam popularis lex de sacerdotiis[11] C. Licinii Crassi videbatur[12]? Cooptatio[13] enim collegiorum ad populi beneficium[14] transferebatur. Atque is primum instituit in forum versus agere cum populo[15]. Tamen illius vendibilem orationem[16] religio[17] deorum immortalium, nobis defen-

11. *De sacerdotiis*. Malebat Licinius sacerdotes a populo eligi, quam a collegis cooptari: sed non obtinuit. Facc.

12. *Videbatur*. C. Langius in exemplaribus optimis *jubebatur* reperit, sed quum jussa lex non esset, sed antiquata; nihil fuit, cur quidquam immutaret: Pighius *videbatur*, quod in reliquis codd. constanter legitur, prætulit. Lambinus maluit *ferebatur*. Promulgata autem lex est, non perlata. Gern.

13. *Cooptatio*. In hoc varie libri peccant. *Cooptatio* dicebatur quum sine suffragio populi vel sacerdotes sacerdotem, vel pontifices pontificem, vel censores senatorem legebant. *Cooptatio* enim est, quum collegæ simul optant et eligunt. Verba Turnebi ad Leg. III, 12, 28. Gern.

14. *Ad populi beneficium transferebatur*. Hoc est, potestas eos creandi in comitiis populo committebatur. Hæc vis est in voce *beneficium*. Hinc magistratus dicitur *beneficium populi*, ut consulatus pro Mur. 40. Græv.

15. *Versus agere cum populo*. Tributis et curiatis comitiis (nam centuriata in Campo habebantur) qui cum populo agebant, honoris ergo ad senatum et comitium versus faciem convertere spectareque consueverant. At Crassus trib. pleb. ut popularis, ad forum et populum versus constitit: ita hic Ciceronis locus accipiendus. Lang. — Quum præterea C. Langius Plutarchum dicat se sequi malle, qui hoc C. Graccho tribuit, Grævius Varronem, Re Rust. I, 2, testem de Licinio Crasso adhibet: « Ejusdem gentis C. Licinius tribunus plebis quum esset post reges exactos anno 365 (qui est annus a. U. C. 608) primus populum ad leges accipiendas in septem jugera forensia e comitio adduxit ». Hic ergo, Grævius inquit, primus C. Licinius, popularem legem senatui ingratam perferri cupiens, contra morem majorum a comitio et senatu in curia sedenti in forum versus verba fecit: eoque modo plebem audire volentem a curia (cui conterminus erat suggestus in Rostris) avertit, et e comitio in forum, vel septem jugera forensia duxit, quemadmodum Varro... forum romanum rustice vocare voluit, cujus ea tunc amplitudo vel mensura sine comitio fuisse videtur. Ceterum *agere cum populo* Gellius, N. A. XIII, 15, esse dicit ex Messallæ auguris verbis: rogare quid populum, quod suffragiis suis aut jubeat aut vetet. Gern.

16. *Tamen illius vendibilem orationem*. Manutius *vendibilem* interpretatur plausibilem, popularem, quæ laudetur in vulgus. Brut. cap. 47, 174. L. Gellius « vendibilis orator » appellatur. Gern.

17. *Religio*. Cavebat enim oratio Lælii, ne quid in rebus ad cultum deorum pertinentibus mutaretur. Wetzelius recte comp. Brut. cap. 21, 83, et Nat. D. III, 2. Gern.

dentibus[18], facile vincebat. Atque id actum est prætore me, quinquennio ante, quam consul sum factus. Itaque re magis, quam summa auctoritate[19], causa illa defensa est.

XXVI. Quod si in scena, id est, in concione, in 97
qua rebus fictis et adumbratis[1] loci plurimum est,
tamen verum valet (si modo id patefactum et illustra-
tum est), quid in amicitia fieri oportet, quæ tota ve-
ritate perpenditur? in qua nisi, ut dicitur, apertum
pectus videas, tuumque ostendas, nihil fidum, nihil
exploratum habeas: ne amare quidem, aut amari;
quum id, quam vere fiat, ignores. Quamquam ista
assentatio, quamvis perniciosa sit, nocere tamen ne-
mini potest, nisi ei, qui eam recipit, atque ea dele-
ctatur. Ita fit, ut is assentatoribus patefaciat aures suas
maxime, qui ipse sibi assentetur, et se maxime ipse
delectet. Omnino est amans sui virtus: optime enim 98
se ipsa novit, quamque amabilis sit, intelligit. Ego
autem non de virtute nunc loquor[2], sed de virtutis

18. *Nobis defendentibus.* Jus collegiorum. Facc.—Duo libri Car. Langii *deferentibus.* Qui V. D. addit: quod probavi. Nam quum esset prætor Lælius, ad collegium augurum detulit, qui obnuntiaverunt: itaque rogatio est antiquata. Manutius vero non ad augures, sed ad populum antiquandæ legis potestatem pertinuisse recte opponit. Gern. — Non hæc valent ut vulgata relinqui debeat.

19. *Quam summa auctorit.* Gern. delet *summa*, notatque: Recte Gruterus ait: « auctoritate defendebatur causa prætoria scilicet; summa non defendebatur, quæ erat consularis ». Erravit igitur Schützius, qui quum a vulgata lect. discederet, excluso *summa*, codicis Pithœani lectionem a se dicit revocatam. Nobis « summa » ferri posse videtur, si interpreteris: si vici, hoc summæ auctoritati, qua non fruebar, tribui non potuit, sed soli veritatis auctoritati.

XXVI. 1. *Fictis et adumbratis.* De histrionis et oratoris descrimine conf. Orat. II, cap. 43 seqq. tum cap. 47, pr. Gern.

2. *Ego autem non de virtute nunc loquor, sed de virt. opinione.* Virtus enim, h. e. qui vere colit virtutem, non se maxime ipse delectatur, sed is, qui se omni virtute ornatum esse existimat. Distingue igitur virtutis amantem esse et sua virtute ipsum delectari. Cf. Xenoph. Memor. I, 7, 1; II, 6, 39. *Nunc* ante *loquor* deest in duob. Man. et B. Gern.

opinione. Virtute enim ipsa non tam multi præditi esse, quam videri volunt. Hos delectat assentatio; his fictus ad ipsorum voluntatem sermo quum adhibetur, orationem illam vanam testimonium esse laudum suarum putant. Nulla est igitur hæc amicitia, quum alter verum audire non vult, alter ad mentiendum paratus est. Nec parasitorum in comœdiis assentatio nobis faceta videretur, nisi essent[3] milites gloriosi.

Magnas vero[4] agere gratias, Thais mihi?

Satis erat respondere, «Magnas»; «Ingentes», inquit. Semper auget assentator id, quod is, cujus ad
99 voluntatem dicitur, vult esse magnum. Quamobrem, quamvis[5] blanda ista vanitas apud eos valeat, qui ipsi illam allectant et invitant; tamen etiam graviores constantioresque admonendi sunt, ut animum advertant, ne callida assentatione capiantur. Aperte enim adulantem nemo non videt, nisi qui admodum est excors. Callidus ille et occultus ne se insinuet, studiose cavendum est. Nec enim facillime[6] agnoscitur,

3. *Nisi essent*. Assentatores non viderentur faceti, nisi essent milites gloriosi, qui assentationi credulas præberent aures. Facc.

4. *Magnas vero*. Terentius, Eunuch. III, sc. 1. Facc. — Abruptius Thrasonis militis interrogatio exempli loco additur; ut ipse infinitivus vigori et alacritati debetur cupide interrogantis pariter, atque alias narrantium apud eumdem poetam infinitivus historicus, ut Andr. I, 1, 69 et 70 : « Tum uno ore omnes omnia bona dicere et laudare fortunas meas ». Tum ad *ingentes*, intellig. egit gratias pro Pamphila, quam parasitus ad meretricem duxerat. Gern.

5. *Quamobrem, quamvis*. De toto hoc loco comp. § 97 : « Quamquam ista assentatio, quamvis, etc. » cui sententiæ repetitæ nunc demum admonitionem Cic. adjungit, quum ante maluisset ipsam assentationem describere. Gern.

6. *Facillime agnoscitur*. Gern. *fac. cognoscitur*, quod verbum, inquit, præferendum videtur vulgato « agnoscitur », pariter atque § 63, « quidam, quam leves sint, cognoscuntur in magna pecunia ». Vide not. ad c. 2, 9, c. 20, 70. Neque dissentiet, qui intelligit, excordes istos et gloriosos præ temeritate abesse non ab agnoscenda laude, sed a cognoscenda, vel perspicienda assentatoris calliditate, quam cognitam nemo agnoscet, sed despiciet. Denique cognoscendorum quum ceterorum hominum, tum amicorum,

quippe qui etiam adversando sæpe assentetur, et litigare se simulans, blandiatur, atque ad extremum det manus, vincique se patiatur : ut is, qui illusus sit, plus vidisse videatur. Quid autem turpius, quam illudi? Quod ne accidat, magis cavendum[7] est, ut in Epiclero[8] :

> Hodie me ante omnes comicos[9] stultos senes
> Versaris, atque luseris[10] lautissime.

Hæc enim etiam in fabulis stultissima persona est improvidorum et credulorum senum. Sed nescio quo pacto ab amicitiis perfectorum hominum, id est, sapientium[11] (de hac dico[12] sapientia, quæ videtur in

quædam est difficultas, non agnoscendorum, nisi apud superbos, præstantiaque sua efflatos. Gern.

7. *Magis cavendum*. Facc. delet *magis*. Ego, inquit, sustuli particulam *magis* tum ratione, tum ex fide trium MSS. Facc. — *Magis* abest etiam a cod. A. An opposita putas superiora « studiose cavendum est, ne se callidus ille insinuet », ut magis, quam illud, cavendum sit ne illudaris, quo nihil turpius? Sed principiis obstandum erat. Itaque *magis* delevi.

8. *In Epiclero : Hodie*. Virgine dotali, quam inducit in scenam Cæcilius. Hic ipse comœdiæ titulus est. Gern. — Int. cavendum est ne hoc accidat, ut accidit in Epiclero.

9. *Comicos*. Aliquot libri veteres et quidem complures habent *coamicos :* quam scripturam damno post Petr. Victorium in Variis, VIII, 12. *Comicos* enim *senes* appellat, qui in comœdiis inducuntur, stultos, leves, improvidos, futiles, obliviosos, credulos, etc. ut supra diximus in Catone. Lamb. — Gifanius ad Lucretium e MS suo præfert *coamicos ;* quod et ipsum Guilielmius retinet, confirmatque Plautino *cocpulones*. Sed nec mica salis in eo vocabulo est, et versus interit. Quin etiam alia perit elegantia, qua ludere gestiunt fabularum scriptores, personis suis hujusmodi verba tribuentes, quasi ea comœdia non esset, sed veritas. Ut Terentius Hecyra (V, 4, 26) : « Placet, non fieri hic itidem, ut in comœdiis, omnia ubi omnes resciscunt ». Gern.

10. *Atque luseris*. Gern. scribit *atque unxeris* post Facc. qui notat : tamquam piscem in craticula.—« Ego censeo, inquit Grævius, veram scripturam Pacuvii retinuisse Palatinum primum, *versaris atque unxeris lautissime*. Utrumque verbum translatum est a piscibus, qui, quum assantur, versantur et unguntur. Cf. Plaut. Asinar. I, 3, 28 : « verses (amatorem, velut piscem) quo pacto lubet ». Bacchid. IV, 5, 6 : « Versabo ego illum (senem) hodie, si vivo, probe. Tam frictum ego illum reddam, quam frictum est cicer ». Gern.

11. *Sapientium*. Comp. c. 18, 65, med.

12. *De hac dico sapientia, quæ videtur in hominem*, etc. Non de sa-

hominem cadere posse), ad leves amicitias deflexit[13] oratio. Quamobrem ad illa prima redeamus, eaque ipsa concludamus aliquando.

XXVII. Virtus, virtus, inquam, C. Fanni, et tu, Q. Muci, et conciliat amicitias, et conservat. In ea est enim convenientia[1] rerum, in ea stabilitas, in ea constantia: quæ quum se extulit, et ostendit lumen suum[2], et idem adspexit, agnovitque[3] in alio; ad id se admovet, vicissimque accipit illud, quod in altero est: ex quo eorum exardescit sive amor, sive amicitia. Utrumque enim dictum est ab amando. Amare autem nihil aliud est, nisi eum ipsum diligere, quem ames,
101 nulla indigentia[4], nulla utilitate quæsita. Quæ tamen

pientia Stoicorum, quæ nusquam est. Vide cap. 5. Facc.

13. *Deflexit.* Al. *defluxit.* Facc. — Duo Manut. Goth. a. et unus Ox. ed. Ascens. Græv. Ern. Wetz. Sch. *deflexit.* Reliqui libri *defluxit.* Quod autem *defluxit* reduci in pristinum locum nequit, ut Tusc. I, 25, 62: « a necessariis artificiis ad elegantiora defluximus ». Quare *deflexit* præferendum. Vid. not. ad c. 12, 40. Gern.

XXVII. 1. *Convenientia.* Quæ cum virtute fiunt, omnia conveniunt et consentiunt inter se. Facc. — Similis est cap. 6, 20, definitio amicitiæ, quam quidem virtus gignit et continet. In virtute igitur causa est, cur amici consentiant, sese diligant et stabiles constantesque sint; cf. c. 8, 27 seq. et cap. 14, 50. Latissime patet rerum convenientia ex conjunctione naturæ et quasi concentu; quam Græci συμπάθειαν appellant. Vid. Divin. II, 15, 34. Gern.

2. *Et ostendit lumen suum.* Uterque Goth. et Dresd. cum A. B. Vim. et edd. *suum lumen.* Recte vero Grævius et recentt. edd. *lumen suum.* Nam *idem*, quod sequitur, non ad *lumen* tantum referendum, sed ad ipsius virtutis lumen, quod se effert in unoquoque viro bono. Ita ortum amicitiæ ipsi virtuti tribuere voluit. Est enim virtus amans sui, ut dixit § 98. Gern.

3. *Agnovitque.* Dresd. b. et un. Manut. « et agnovit »; duo Manut. « cognovitque », quod h. l. rejiciendum est. Suum enim lumen virtus in altero videt esse, non alius rei splendorem perspicit, ut dixit, cap. 7, 23, tamquam exemplar aliquod intuetur sui, qui verum amicum intuetur. Gern.

4. *Nulla indigentia.* « Hæc duo verba addidere quidam ad explicationem eorum, quæ sequuntur ». Speciose V. D. ineptias has sentit et notavit. Quis enim quærat indigentiam? quamquam ab indigentia nonnulli amicitiam putant proficisci; vid. c. 9, 29. Utilitatem multi per amicum adipisci volunt. Interpretanda vero hæc verba sunt: « quum nullo egeas », coll. § 30. Nam *quæsita* ad unam vocem

ipsa efflorescit ex amicitia, etiam si tu eam minus se-
quutus sis. Hac nos adolescentes benivolentia senes
illos L. Paullum [5], M. Catonem [6], C. Gallum [7], P. Nasi-
cam [8], Tib. Gracchum [9], Scipionis nostri [10] socerum,
diliximus. Hæc etiam magis elucet inter æquales, et
inter me, et Scipionem, L. Furium [11], P. Rupilium,
Sp. Mummium. Vicissim autem senes in adolescentium
caritate acquiescimus; ut in vestra, ut in Q. Tube-
ronis [12]: equidem etiam admodum adolescentis P. Ru-
tilii [13], A. Virginii familiaritate delector. Quoniamque
ita ratio comparata est vitæ naturæque nostræ, ut alia
ætas oriatur; maxime quidem optandum est, ut cum
æqualibus possis, quibuscum tamquam e carceribus
emissus sis, cum iisdem ad calcem, ut dicitur, perve-
nire. Sed quoniam res humanæ fragiles caducæque 102
sunt, semper aliqui anquirendi sunt, quos diligamus,
et a quibus diligamur. Caritate enim, benivolentiaque

utilitate pertinet. Toto h. l. Lælius omnia colligit, quæ de vera amicitia dixerat. Gern.

5. *L. Paullum.* L. Æmilium Paullum Macedonicum Africani jun. patrem. Vid. cap. 6, 21, ibique notata. Gern.

6. *M. Catonem.* Censorium, cujus est sermo de senectute apud Cic. Cf. 39, 40, et sup. cap. 2. Gern.

7. *C. Gallum.* C. Sulpicium Gallum. Vid. cap. 2, 9 et 6, 21. Gern.

8. *P. Nasicam.* P. Cornelium Scipionem Nasicam, Corculum qui dicitur (Tusc. I, 9); ob sapientiam et eloquentiam (Brut. 20), consul a. U. C. 591, pontifex M. ann. 603, Tib. Gracchum interemit. Vid. Cat. M. cap. 14, 50. Gern.

9. *Tib. Gracchum.* Patrem Tib. et C. Gracchorum, quem consulem ann. U. C. 576, Cicer. laudat Off. II, 12, qui triumphavit de Celtiberis. Vide Liv. XLI, 7. Cf. Velleius Pat. II, 2; Val. M. I, 6, 8. Gern.

10. *Scipionis nostri.* Africani junioris, qui Semproniam, Tib. Gracchi filiam, in matrimonium duxerat: de quo vid. cap. 3. Gern.

11. *L. Furium.* L. Furium Philum, de quo vide not. ad cap. 4, 14, et cap. 19, 69. Ibidem et cap. 20, 73, commemoravit *P. Rupilium* et *Sp. Mummium*. Gern.

12. *Ut in Q. Tuberonis.* De Q. Ælio Tuberone, filio Q. Ælii Tuberonis, qui eum ex L. Paulli Macedonici filia Scipionis Africani sorore genuerat, vide not. ad cap. 11, 37. Cf. Brut. cap. 31, et pro Mur. cap. 36; Valer. Max. IV, 4, 9. Pighius colligit, eum trib. pl. fuisse ann. U. C. 620. Gern.

13. *P. Rutilii.* P. Rutilius Rufus ann. U. C. 616 tribunus plebis fuit. Cf. Off. II, 13, 47; Orat. I, 40. Gern.

sublata, omnis est e vita sublata jucunditas. Mihi quidem Scipio, quamquam est subito ereptus, vivit tamen, semperque vivet: virtutem enim amavi illius viri, quæ exstincta non est. Nec mihi soli versatur ante oculos, qui illam semper in manibus habui[14]; sed etiam posteris erit clara et insignis. Nemo umquam animo, aut spe majora[15] suscipiet, qui sibi non illius memoriam atque imaginem proponendam putet.

103 Equidem ex omnibus rebus, quas mihi aut fortuna, aut natura tribuit, nihil habeo, quod cum amicitia Scipionis possim comparare[16]. In hac mihi de republica consensus, in hac rerum privatarum consilium, in eadem requies plena oblectationis fuit. Numquam illum ne minima quidem re offendi, quod quidem senserim; nihil audivi ex eo ipse, quod nollem. Una domus erat, idem victus, isque communis: neque solum militia, sed etiam peregrinationes rusticationes-
104 que[17] communes. Nam quid ego de studiis dicam cognoscendi semper aliquid, atque discendi, in quibus remoti ab oculis populi omne otiosum tempus contrivimus? Quarum rerum recordatio et memoria si una cum illo occidisset, desiderium conjunctissimi atque amantissimi viri ferre nullo modo possem. Sed

14. *In manibus habui.* Virtutem Scip. præsentem vidi; ut Brut. c. 33: « Sed ecce in manibus vir et præstantissimo ingenio... C. Gracchus ». Epist. ad Lent. I, 9, p. 18, ed. Ern. « inimicum meum... sic amplexabantur, sic in manibus habebant, sic fovebant, sic me præsente osculabantur ». GERN.

15. *Spe majora.* Propter ea, quæ Scipio gessit, et propter honores, quos obtinuit in ipso ætatis flore. GERN.

16. *Possim comparare.* Aliquot edd. vett. in quibus Lugd. « possit comparari ». In Vim. speciosa est verborum transpositio « quod cum Scipionis amicitia possim comp. » ut Scipionis amicitia reliquorum amicitiis præferatur. At virtuti Scipionis nunc amicitia ejus opponitur. Illa enim clara et insignis, hæc omnibus rebus præstantior. GERN.

17. *Rusticationes.* In lib. II de Orat. cap. 6: « Lælium semper fere cum Scipione solitum rusticari ». FACC.

nec illa exstincta sunt, aluntur que potius, et augentur cogitatione et memoria; et, si illis plane orbatus essem, magnum tamen afferret mihi ætas ipsa solatium; diutius enim jam in hoc desiderio esse non possum. Omnia autem brevia tolerabilia esse debent, etiam si magna sint [18].

Hæc habui, de amicitia quæ dicerem. Vos autem 100
hortor [19], ut ita virtutem locetis [20], sine qua amicitia

18. *Etiam si magna sint.* Gern. scribit *sunt.* Hæc, inquit, recte legitur in tribus Oxx. Dr. b. Pith. ed. Antwerp. 1671, et Ascens. pro vulg. *etiamsi magna sint.* Secus statuendum erat extremo § 100 de conjunctivo post *etiamsi.* Ad hujus vero loci similitudinem accedit. Div. II, 22; Orat. II, 54, pr. Ponitur enim, brevia quæ sunt, eadem magna esse, ut est hoc ipsum, in quo nunc est, Scipionis desiderium. Latissime quidem patens sententia de brevibus malis tolerandis ipso conditionis indicativo, ut par est, acuitur.

19. *Vos autem hortor,* etc. Vereor ne totus hic locus sit a Cicerone. Nihil erat, quod recte sequeretur, quum dixisset « Hæc habui de amicitia quæ dicerem ». Neque opus erat adhortatione, quæ in toto hoc libro talis nulla legitur. Facile autem erat imitari c. 8, init. « qua (amicitia) quidem haud scio, an excepta sapientia, quidquam melius homini sit a diis immort. datum ». Neque hic epilogus virtutem ex tanta laude magnopere decet, neque adolescentes, ad quos hortatio pertinet. Locanda autem erat non virtus, sed amicitia, quæ habet a virtute locum proximum. Si dixisset « ut ita amicitiam locetis, ut, virtute excepta nihil ea præstabilius putetis »; certe ad amicitiam hæc omnis locutio referretur : nunc vero pæne nescias, utri plus honoris tribuerit. Ita etiam vocis *amicitia* repetitio vitatur, nec satis eleganter post *locetis* posita relativa enuntiatio *sine qua*, etc. ambigueque additum *ea excepta,* quod ad virtutemne an ad amicitiam pertineat, ex postremis demum verbis intelligitur. Quamquam video, postremo loco ipsam vocem *amicitia*, et graviorem, et suaviorem, scite esse collocatam. Neque vero Fannium et Scævolam hæc hortatio decet, sive *locetis* legis, sive *colatis.* Si *locetis*, dubitasse videntur de virtutis præstantia; sin *colatis*, non studiosissimos virtutis fuisse suspiceris. Sed imitari antiquior aliquis morum magister voluit Catonem Maj. quo extremo dialogo quæ Cato optat, ut Lælio et Scipioni contingant, mihi quidem videntur esse hoc additamento aptiora. Nam quod extremo libro tertio de Officiis Cicero pater Marcum filium hortatur, non rogatus scripserat, ut Lælius ab adultioribus generis, iisque viris claris de amicitia, coactus demum precibus, disputavit. Gern.

20. *Locetis.* Grævii nota hæc est : « *Locare mentem, operam, tempus in aliquid* leguntur apud Tullium et alios. Sed *virtutem locare* non memini quemdam dixisse, nec quo sensu dici possit, nisi addatur res, in quam locetur virtus, video. Vereor, ne ex literarum trajectione labes orta sit,

esse non potest, ut, ea excepta, nihil amicitia præstabilius putetis.

quæ hunc locum fœdavit. Leg. suspicor *ita virt. colatis* ». Et *colatis*, teste Facc. est in marg. MS Florentini, et Ern. hanc corr. probavit. Wetzel. vero vulgatam defendit, « quum *locetis* idem sit quod collocetis, hunc illi locum tribuatis, *ut ea... putetis* : summum bonum in virtute ponatis, secundum locum amicitiæ attribuatis ». « Quod, Schützius inquit, etsi non aspernor, tamen, si vel unus MS probæ notæ addiceret, *colatis* reponendum putem ». Acad. I, 10, 37 : « inter recte factum atque peccatum, officium et contra officium, media locabat quædam ». Gernh.

EXCURSUS

De formula *nescio an*, vel *haud scio an.*

Ad Læl. cap. 6, § 20, pag. 547.

Quod ad Cic. Catonem Maj. qui Lipsiæ ap. Gerh. Fleischerum prostat de anno 1819, cap. 16, 56, non feceram, ut de formula *nescio*, *an*, vel *haud scio*, *an* ad interpretationem ibi propositam confirmandam pluribus dissererem, id quidem munus in Commentationum Grammaticarum Particula II, Vimariæ 1822, explevi, tum vernacule et contractius quidem in libro a God. Seebodio edito. (*Archiv. für Philologie und Pädagogik Erster Jahrg. Erstes Heft. Helmstedt* 1824, n. X, p. 104-110.) Sed quoniam verendum erat, ut latine scriptus libellus ultra Gymnasii et urbis, in qua divulgatus esset, fines multis innotuisset, tum etiam quod mutata non sententia, sed forma, luculentius de hac locutione disputari posse putarem, hic locus aptissimus ad repetendam hanc disputationem videbatur, præsertim quum in ipso Ciceronis Lælio non semel *nescio an* v. *haud nescio*, *an* legeretur.

Interrogationis genus, quod a verbo *nescio* vel *haud scio* suspensum esse solet, particulam *an* vel *ne* sic habet præfixam, ut duæ interrogationes, quarum prior particulam *ne*, posterior *an*, præ se ferre solet, in unam contracta videri debeant. Nam præterquam quod latine dicitur, ut Cic. Tusc. I, 22, 53: «Sed si qualis sit animus, ipse animus nescit»; Fin. lib. II extr. «quam cur voluptatem appelles, nescio», duplex est bimembris interrogationis genus, quod verbo *nescio* aperitur; alterum, quod veram animi dubitationem de re proposita ostendit, ut Cic. Orat. II, 13, 56: «ut nescias, utrum res oratione, an verba sententiis illustrentur». Alterum duas res plerumque per *ne* et

an sic tamquam dubias proponit, ut ea sententia quæ posteriore parte continetur, præfixa particula *an* potior vel probabilior esse, prior illa, cui *ne* præfixum est, prope neglecta vel in ipsa dubitationis specie videatur rejecta. Cic. Verr. II, 47, 122: « In plebem vero romanam utrum superbiam prius memorem, an crudelitatem? sine dubio crudelitas gravior est et atrocior ». Epist. II, 5: « Unum illud nescio, gratulerne tibi, an timeam, quod mirabilis est exspectatio reditus tui: non quo verear, ne tua virtus opinioni hominum non respondeat; sed mehercule, ne, quum veneris, non habeas quod cures: ita sunt omnia debilitata jam prope et exstincta ». Valer. Max. IX, 1, extern. 1: « Quid vero his vitiis fœdius? adeo ut nescias, ab hostibusne, an ab illis capi perniciosius habendum sit ». Ut illo loco Cicero timendum magis quam gratulandum putat esse; sic apud Valerium apparet a vitiis capi perniciosius haberi, quam ab hostibus. Itaque prior interrogatio per *ne* indicata pæne par est negativæ sententiæ, posterior, cui *an* præmittitur, si quæris quid denique is, qui dubitat, vere sentiat, aliquid habet affirmationis. Nec mirum est, prout negandum aut affirmandum interrogando esset, alterutrum e duobus seu directe seu suspensæ interrogationis membris, quod per se ex opposita interrogatione graviore posset intelligi, sæpe esse prætermissum. Atque priore certe membro deleto, posterius attractione quadam ad verbum *nescio* propius accessisse videbitur. Terent. Adelph. III, 4, 21: « Heg. Mane: nondum audisti, Demea, Quod est gravissimum. Dem. An quid est etiam amplius? » Duo interrogationis membra hæc forent: « Illudne non satis grave fuit, an quid est etiam amplius? » vel Cic. Epist. XIII, 1: « nescio an ignoscendum sit huic, si tantopere laborat », quod contractius dicitur pro « nescio, opusne sit castigatione, an ignoscendum », id quod castigationi præferendum est. Negandi vero vim prius membrum habet, omisso posteriore, si plene dicere malis, Epist. II, 11: « Putaresne umquam accidere posse, ut mihi verba

deessent?» (sc. *an non posse*). II, 5 extr. «Sed hæc ipsa nescio, rectene sint literis commissa: quare cetera cognosces ex aliis». Non sunt autem recte commissa. Cæs. b. Gall. V, 54: «Nulla fere civitas fuerit non suspecta nobis: idque adeo haud scio, mirandumne sit, quod... dolebant». Non mirandum vero id fuit. Est igitur affirmationis vel negationis indicium satis certum in ipsius interrogationis ratione. Sed quum opus sit verbo, unde suspensum reddas alterutrum interrogationis genus, quum multa alia verba suppetunt tum *dubito*, *nescio*, *haud scio*, hoc tamen discrimine, ut *dubito* per se incertam animi sententiam exspectare jubeat, *nescio* vero vel *haud scio* proprie inscientiam significet. Quamquam *dubito an* ad affirmationem adhibetur apud Ciceronem, Epist. IX, 7: «Istuc ipsum de Baiis, nonnulli dubitant an per Sardiniam veniat. Illud enim adhuc prædium suum non inspexit». H. e. opinantur, venturum Cæsarem esse per Sardiniam; Corn. Nep. Thrasyb. 1: «Si per se virtus ponderanda sit, dubito, an hunc primum omnium ponam». A quo loco omnem dubitationem abesse recte docuit Bremi. Et ut alterius a Cicerone sæculi scriptores *dubito*, *an* sic cœperunt usurpare, ut sequentia verba negationem inde referrent, sic *nescio*, *an* apud Valer. Max. IX, 3, 1, negandi vim tribuit verbis seq. in his «Sed nescio, an ejusdem fuerit (h. e. mihi non videtur ejusdem fuisse) hoc dicere et sic vincere». Ibid. III, 6, 1: «Nec hac re segniores Punicis exercitibus manus intulit: sed nescio, an ideo alacriores»; h. e. sed non idcirco alacriores. Plin. Epist. VII, 19: «Doleo enim maximam feminam eripi oculis civitatis, nescio, an aliquid simile visuris», pro «nescio, an quidquam simile visuris», ut Cicero dixisset. M. Senec. Controv. I, ed. Bip. p. 63: «Ideo facile est mihi ab incunabulis nosse rem post me natam. In aliis autem an beneficium vobis daturus sim, nescio» (quod denique est *recusabo*); L. Senec. Epist. 25: «An profecturus sim, nescio (quod vernacule reddes: *Ich glaube nicht*, *dass ich viel ausrichten werde*): Malo succes-

sum mihi, quam fidem deesse ». Hæc igitur horum sunt scriptorum, qui verbi *haud scio* usum prorsus ignorant, *nescio, an* autem ut *dubito, an* modo pro vera inscientiæ vel dubitationis notatione haberi volunt, modo pro affirmandi formula. Nam idem Val. Max. II, 4, 11 : «Sed quum... se severum exhibuerit, nescio, an tum præcipue, quum milites... carcere inclusit ». Ita rhetoricam vim harum formularum si minus negligunt, non tamen constanter observant. Scenici vero poetæ et Cicero cum Livio *nescio, an* v. *haud scio, an* pro *opinor, arbitror, suspicor, mihi videtur, fortasse, vel potius*, cuique sententiæ sic præfigunt, ut nihil præter sententiæ notationem afferant ad enuntiationem, quæ, negandi voculam dum non contineat, affirmativam vim suam retinebit, si ea pronomina et adverbia excipis, quæ media per se a præcedente negatione in *nescio* vel *haud* cum *scio* conjuncto, negativam vim suam repetunt. De quibus vocibus dicendum erit, postquam de verbi *nescio*, v. *haud scio* usu rhetorico et de utriusque vocis discrimine exposuero. Nam si interrogationem ponis; ejusmodi verbum, quale est *arbitror, opinor*, locum habere nequit, sed opus est verbo *quæro, video, dubito, nescio*, unde particula *an* suspensa esse possit. Sin autem ipsam animi sententiam intelligis, quæ per *nescio, an*, v. *haud scio, an* indicanda sit, hæc ipsa verba non proprie valebunt, sed quum dubitationem aut ignorationem rei ostendant, dicenda erunt rhetoricam vim habere, h. e. ad concinnitatem vel gravitatem incertum id esse significare, quod satis certum et exploratum fuit. Et quoniam plerique optimorum scriptorum loci ita sunt comparati, ut dubitationis vel inscientiæ speciem præ se ferant, quo lenior sententia evadat; rhetoricum harum formularum usum jure meo dixerim. Simulatur igitur inscientia, si dicitur apud Liv. XLII, 41 : « Eorum autem, quæ objecta sunt mihi, partim ea sunt, quibus nescio, an gloriari debeam, partim, quæ fateri non erubescam ». Sentit vero esse, cur glorietur. Contra metuens Cicero, Catil. IV, 5, 9 : « Si eritis, inquit,

sequuti sententiam C. Cæsaris... fortasse minus erunt mihi populares impetus pertimescendi : sin illam alteram, nescio, an amplius mihi negotii contrahatur» (h. e. vereor, ne... contrahatur). In hoc jucunda de re seu injucunda judicio, vel in hac veræ animi sententiæ per ignorationis vel dubitationis speciem cautius expromendæ ratione sunt rhetorici usus formulæ *nescio, an* vel *haud scio, an* initia, quum duas oppositas sententias, quarum alteram alteri longe præferendam putas, sic exponis, ut utraque pariter incerta esse videatur. Verecundiæ enim vel urbanitatis et prudentiæ est, ne aut alterum secus statuentem offendas, aut acrius defendendi arrogantia invidiam moveas, cum quadam hæsitatione dicere, quid sentias, vel dicere, te nescire, h. e. non certo scire, utrum e duobus præstet, quamquam quæ vera sit sententia, denique ex ipsa dubitationis forma elucet. Inde progressus sermo ac verecundiæ studium eo est, ut posteriore sententia cum particula *an* prætermissa, prior illa, quæ haberet particulam *ne* eam quidem negationi propriorem, retineretur. Nam si Cicero dixisset « Unum illud nescio, gratulerne tibi »; non sine acerbitate hoc foret : Non gratulandum tibi esse censeo, ut l. c. Epist. II, 5 extr. « Sed hæc ipsa nescio, rectene sint literis commissa (h. e. male commissa arbitror). Quare cetera cognosces ex aliis »; et Jul. Cæs. b. Gall. V, 54 : « Nulla fere civitas fuerit non suspecta nobis : idque adeo haud scio, mirandumne sit, quod... dolebant ». Non mirandum autem esse judicat. Sed hujus loquendi generis exempla quæ unam particulam *ne*, cum *nescio* conjunctam, ad negandam rem habeant, rariora sunt, quam ejus generis, quo priore interrogatione, utpote leviore, neglecta, potior altera per *an* cum verbo *nescio* jungitur, ut fiat quædam alterius interrogationis vel particulæ *an* attractio : quo, tantum non omni sublata dubitandi vel hæsitandi vi, id effertur, quod verum certumve habetur. Ita Cicero, ut timorem suum significaret, scribere poterat : « Unum illud nescio; an timeam... ne... non habeas jam

quod cures », et Valerii locum cit. omissa particula *ne* mutare facillime poteris in « nescias, an ab illis capi perniciosius habendum sit, quam ab hostibus », ad ejus loci similitudinem, qui est Cic. Pison. 17, 39 : « Atque haud scio, an malim te videri nullo pudore fuisse in literis mittendis », quod denique est, « Atque malo te videri », vel id quod usitatius est, in quo est verecundiæ illius, quam *haud scio, an malim* præ se fert, levissimum indicium, « Atque malim te videri ». Sed propter ipsam sententiæ acerbitatem opus erat blandiore hac mitigandæ asperitatis ratione, ut iis, qui tristia divinant. Læl. 12 extr. « Quod quidem (bellum patriæ inferentem sequi) ut res cœpit ire, haud scio, an aliquando futurum sit »; vel ad notanda præsentis temporis mala, Tusc. II, 17 extr. « Crudele gladiatorum spectaculum et inhumanum nonnullis videri solet : et haud scio, an ita sit, ut nunc fit »; vel præteriti, ut in parenthesi Verr. II, 15, 41 : « haud scio, an major etiam hæc necessitudo fuerit, quam illa Carbonis ». Flor. III, 12. Hanc igitur verecundius affirmandi vim formula *nescio an* retinet ex duplicis interrogationis ratione, cujus pars posterior plus etiam gravitatis ad affirmandam sententiam contrahit, quam si prior interrogatio præmissa esset, ut si *vel (wohl gar)* vim suam acuit, prætermisso quidem *vel* priore loco. Itaque Valer. Max. V, 7, 3 : « Sed nescio, an Octavius Balbus concitatioris et ardentioris erga filium benivolentiæ fuerit », scil. quam Cæsetius, quem commemoraverat. — In quo apud Ciceronem quidem solemne est *haud scio*, quod cum *an* conjunctum egregie interpretatur Terentius, Phorm. V, 2, 9 : « Dem. Etiam idne dubium 'st? Get. Haud scio, hercle, ut homo 'st, an mutet animum. Dem. Hem mutet autem? Get. Nescio : verum si forte, dico ». Ejus enim est *haud scio*, qui non audet dicere quod suspicatur, quia veretur, ne ingratum sit alteri, si pro certo habendum sit. Est igitur denique, mutata omni interrogationis forma, *haud scio, an* idem, quod rem sic esse opinor, v. fieri posse existimo

vernacule *Leicht möglich, dass; Es dürfte wohl; vielleicht; wohl gar;* comparata præcedentium verborum ratione. Hinc fit, ut *haud scio, an* agentis cunctationem significet Plaut. Mostell. II, 2, 96: « Phil. Quid si adeam? » et idem sentiens Periph. « Haud scio, an colloquar, si hæc ea est ». Omnino *haud scio* verecundiæ ac timoris sensum apertius significat et ad animi sententiam expromendam aptius visum est, quam *nescio*, quo mentis judicium vel consilium, quod alteri des, non certissimum, aut cum modestia quadam indicatur. Quamobrem non alteram personam *haud scio, an* vel *haud scias* usquam reperies, quum non rarum sit *nescias, an* vel *qui scis an (Weisst du denn?* vel *du kannst nicht wissen)*: ut Hor. Carm. II, 4, 13: « Nescias, an te generum beati Phyllidis flavæ decorent parentes ». Hæc sperantis sunt, ut illa metuentis. Hor. IV, 7, 17: « Quis scit, an adjiciant hodiernæ crastina summæ Tempora Di superi?... » Ter. Heaut. II, 3, 104, quem l. vide in fine huj. excursus citatum. Conjunctivum vero primæ quidem personæ ad augendam sententiæ lenitatem non raro deprehendes apud Ciceronem in rhetoricis quidem libris, ut Orat. I, 60, 255. « Quod haud sciam, an tu primus ostenderis », II, 17, 72. « In causarum contentionibus magnum est quoddam opus, atque haud sciam, an de humanis operibus longe maximum », II, 52, 209.

Utraque vero formula affirmativam quidem sententiam aperiens in primis frequens fuit, si quando comparatio erat instituenda. Ex quo judicandi genere facile aliquid invidiæ nasci quum possit, apparet cautius dici Verr. II, 25, 41, in parenthesi « haud scio, an major etiam hæc necessitudo fuerit, quam illa Carbonis ». Pis. 17, 39: « Atque haud scio, an malim te videri nullo pudore fuisse in literis mittendis, amicos tuos plus habuisse et pudoris et consilii, quam aut te videri pudentiorem fuisse, quam soles, aut tuum factum non esse condemnatum judicio amicorum ». Nat. Deor. III, 27, 69: « Ut vinum ægrotis... melius est non adhibere om-

nino, quam spe dubiæ salutis in apertam perniciem incurrere: sic haud scio, an melius fuerit, humano generi motum istum celerem cogitationis, acumen, solertiam, quam rationem vocamus, quoniam pestifera sit multis, admodum paucis salutaris, non dari omnino, quam tam munifice et tam large dari». Pro Marc. 9, 29: «Servi igitur iis etiam judicibus, qui multis post sæculis de te judicabunt, et quidem haud scio, an incorruptius, quam nos». Liv. XXI, 43, XXII, 39, XXXVI, 54; Plin. Paneg. 64; Flor. III, 12; Val. Max. I, 1, 14, V, 7, 3. Reliqua vero hujus formulæ exempla, quæ affirmativam habent sententiam, sic afferenda videntur, ut primo loco ea ponantur, quibus integra est cum *nescio an* v. *haud scio* conjuncta sententia. Non raro enim mediæ orationi aut unius vocabuli causa, aut sic interponitur, ut verborum constructio e primaria loci sententia pendeat, ut ex indicativo mente repetendus sit conjunctivus, quem indirecta interrogatio *haud scio*, *an* v. *nescio*, *an* postulat, ut plenam habeas enuntiationem. Ad integram vero ejus generis sententiam quod attinet, præter ipsa verba *haud scio* et *nescio* particulæ videntur distinguendæ, quæ solent hanc formulam cum superioribus verbis jungere. Quæ sunt potissimum *atque*, *ac*, *sed* et pronomen *quod*. Nude positum «haud scio, an» videbis Cic. Nat. Deor. III, 27, 69. Divin. II, 72, 150: «quorum licentiæ nisi Carneades restitisset, haud scio, an soli jam philosophi judicarentur». Verr. II, 1, cap. 15, 41. Liv. III, 60: «Quod si extemplo rem fortunæ commisisset, haud scio, an magno detrimento certamen staturum fuerit». Quo uno, ni fallor, loco ap. Liv. «haud scio, an» legitur pro frequentiore *nescio an*. Lig. 9, 26: «Constantiam dico? nescio, an melius patientiam possim dicere». Plin. Ep. VI, 21, 3: «Nescio, noris hominem, quamquam nosse debes». Curt. VI, 6: «Nescio, an Darius ideo tam multa amiserit, quia nimiæ opes magnæ jacturæ locum faciunt».

Particula *et* minus frequens est, ut non aptissimum jun-

gendas res dissimiles, et ad indicandum oppositionis vim. Cf. Offic. II, 18, 64 : « a litibus vero, quantum liceat, et nescio an paullo plus etiam, quam liceat, abhorrentem (conveniet esse) ». *Atque* huic formulæ præmittitur ad gravioris sententiæ exspectationem, ut Ter. Andr. III, 2, 45 : « Non impulit Davus me, hæc nunc omnino ut crederem. Atque haud scio, an quæ dixit, sint vera omnia : Sed parvi pendo; illud mihi multo maximum'st, Quod mihi pollicitu'st ipse gnatus, etc. » Cic. Natur. Deor. I, 2, 3 : « quibus (sanctitate et religione) sublatis, perturbatio vitæ sequitur et magna confusio. Atque haud scio, an pietate adversus deos sublata, fides etiam et societas generis humani et... justitia tollatur ». Offic. I, 11, 33 : « Est enim puniendi modus, atque haud scio, an satis sit, eum injuriæ suæ pœnitere ». Orat. cap. 42, 143 : « Alteros enim respondentes audire sat erat... alteri... quem habebant instituendi aut docendi locum? Atque haud scio, an plerique nostrorum oratorum plus valuerint, quam doctrina : itaque illi dicere melius, quam præcipere; nos contra fortasse possumus ». Brut. 41, 151 : « Atque haud scio, an par principibus esse potuisset (Servius), sed fortasse maluit, id quod est adeptus... in jure civili esse princeps ». Acad. II, 40, 126 : « ne exædificatum quidem hunc mundum divino consilio existimo : atque haud scio, an ita sit ». Quocum loco conf. Tusc. II, 17 extr. Senec. ad Marc. 1 : « nec scio, an quem... dilexisti, excepto eo, quod non optabas superstitem : nec scio, an et optaveris ».

Ac, quasi remotiorem sententiam repetens, reperitur præpositum Cic. Ep. VI, 7 : « Scripsi de te parce et timide... Ac nescio, an tibi gratius opportuniusque acciderit (quod parce scripsi de te) ». Liv. II, 2 : « sacerdotium (regis sacrif.) pontifici subjecere, ne... libertati... obficeret : ac nescio, an nimis undique eam minimis quoque rebus muniendo, modum excesserint ». Liv. XXI, 43, apud quem ante *nescio an* frequentior hæc est particula, quam apud Ciceronem :

« quædam veluti imago vestræ conditionis erat. Ac nescio, an majora vincula majoresque necessitates vobis, quam captivis vestris fortuna circumdederit ». Flor. III, 12 : « dimicasse domi cum civibus, sociis... turpe... Ac nescio, an satius fuerit populo rom. Sicilia et Africa contento fuisse, aut... quam eo magnitudinis crescere, ut viribus suis conficeretur ».

Sæpe apud Cic. « haud scio, an » superiori sententiæ per particulam *sed* opponitur, ut Tusc. III, 8, 16 : « Veri etiam simile est, qui sit temperans, quem Græci σώφρονα appellant, eamque virtutem σωφροσύνην vocant, quam soleo equidem tum temperantiam, tum moderationem appellare, nonnumquam etiam modestiam : sed haud scio, an recte ea virtus frugalitas appellari possit ». Hoc anacoluthon est, mutata propter interpositorum (in primis *quam soleo equidem*, etc.) multitudinem locutione, *Veri simile est* in *haud scio*, *an*, et concreto in abstractum, quum exspectares « Veri etiam simile est, qui sit temperans... recte eum posse frugi appellari ». Hinc apparet h. l. « haud scio, an » idem fere significare, quod barbare dictum « veri simile mihi est ». Orat. II, 52, 209 : « Par atque una ratio est spei, lætitiæ, molestiæ, sed haud sciam an acerrimus longe sit omnium motus invidiæ », pro « sed acerrimus est omnium mot. inv. » Tusc. III, 23, 55 : « neque tamen genus id orationis (nihil evenisse, quod non opinandum fuisset) in consolando non valet : sed id haud sciam an plurimum », h. e. vel potius plurimum valet; p. Flacc. 26, 63. Pro « sed haud nescio, an » Cicero, Offic. I, 37, 132 : « quamquam haud scio, an », usus est in his : « Contentionis præcepta rhetorum sunt, nulla sermonis : quamquam haud scio, an possint hæc quoque esse ». Valer. Max. I, 1, 14 : « Sed in his, quæ custodiam religionis attinent, nescio an omnes M. Attilius Regulus præcesserit... » Ibid. V, 4, 6 : « Magna sunt hæc virilis pietatis opera, sed nescio, an his omnibus valentius et animosius Claudiæ Vestalis virginis factum ». Ibid. IX, 15, 11.

His particulis adjungamus pronomen *quod*, quo hæc formula cum proximis verbis jungitur Læl. 12 extr. « bellum patriæ inferentem sequi : quod quidem ut res cœpit ire, haud scio, an aliquando futurum sit » ; h. e. quod suspicor aliquando esse futurum, seu vereor, ne aliquando fiat. Orat. I, 60, 255 : « Neque enim hoc te, Crasse, fallit, quam multa sint, et quam varia genera dicendi, quod (sic Lamb. probante Pearcio, pro vulg. *et quod;* Ernest. maluit *idque;* Schütz. post Heusingerum *id quod*) haud sciam an tu primus ostenderis, qui jam diu multo dicis remissius et lenius, quam solebas ». Liv. XLII, 41. Hæ fere sunt ad nexum hujus formulæ constituendum frequentissimæ voculæ.

Sed conjunctivi etiam animadvertenda conditio est, illius quidem post *nescio*, *an* v. *haud scio*, *an* non minus, quam post quamvis indirectam interrogationem, necessarii. Qui conjunctivus ex superioris enuntiationis verbo, vel etiam indicativus superioris ex conjunctivo ab *an* suspenso interdum debet intelligi. Ex superiore enuntiatione, Orat. II, 15, 62 : « Videtisne, quantum munus sit oratoris historia? haud scio, an flumine orationis et varietate maximum ». Hic *sit* mente repetendum. Ibid. 17, 72 : « In causarum contentionibus magnum est quoddam opus, atque haud sciam, an de humanis operibus longe maximum (scil. *sit*) ». De Leg. I, 21, 56; Tusc. III, 23, 25 ; quos l. supra citavi, ad Att. XIV, 11 extr. « ruina rem non fecit deteriorem ; haud scio, an jam fructuosiorem (fecerit) ». Epist. ad Fam. IX, 15 : « Est id quidem magnum, atque haud scio, an maximum (sit) ». Valer. Max. V, 4, 6, quem supra citavi.

Sed vice versa ex ejus enuntiationis conjunctivo, quem *nescio*, *an* attulerat, interdum etiam ad primariam enuntiationem ducendus indicativus est, ut pro Flacco, 26, 63 : « cujus ego civitatis disciplinam atque gravitatem non solum Græciæ, sed haud scio, an cunctis gentibus anteponendam dicam », pro « sed cunctis gentibus antepono » : quem indicativum propter *ego* ex *anteponendam*

dicam intelliges. Ad cujus loci similitudinem judicandum est, recte scribi Offic. I, 21, 72 : « Capessentibus autem remp. nihilo minus, quam philosophis haud scio, an magis etiam et magnificentia et despicientia adhibenda sit rerum humanarum ». Plus enim ad conjunctivum, quem « haud scio an » postulabat, valuit hæc interposita cautio, quam ad indicativum inchoata locutio superior. Hæc simplicissima sane est, quam in editione mea putavi defendendam. Recteque Beierus h. l. monuit : « *Adhibenda est* non carebat invidia. Ergo mitigavit scriptor modestius usus conjunctivo ». Comparandus Liv. XXIII, 16 : « Ingens eo die res (gesta est) ac nescio an maxima illo bello gesta sit ». Ita ubique quæ vis sit sententiæ, magis considerandum est, quam quid inchoata constructio postulet, qui unus largissimus fons fuit anacoluthorum. Ac satis facile et dilucidum illud genus est mutatæ constructionis, et in animi quadam exprimenda affectione frequens admodum, si præsertim idem verbum retinendum est, sed alterius enuntiationis causa verbi modus mente mutandus. Sed ut totius locutionis (*haud scio an*) tenerrima, maximeque flexibilis forma est, sic non mirum « haud scio, an » etiam adverbii non raro vel particulæ locum sustinuisse, ut nullam vim in aliqua voce exerceret, sed uni tantum voci eique proximæ inserviret, plane ut δῆλον ὅτι, vel οἶδ' ὅτι, quasi posita sua regendi verbi potestate, adverbii vicem sæpe gerere notissimum est. Huc pertinet Cicer. Leg. II, 22, 57 : « C. Marii sitas reliquias apud Anienem dissipari jussit Sulla... Quod haud scio an timens suo corpori posse accidere... igni voluit cremari ». Nat. Deor. II, 4, 11 ; « Vir sapientissimus, atque haud scio an omnium præstantissimus, peccatum suum, quod celari posset, confiteri maluit, quam hærere in republica religionem ». Offic. III, 29, 105 : « quorum quidem testem non mediocrem, sed haud scio an gravissimum, Regulum, nolite quæso vituperare ». Terent. Adelph. IV, 5, 33 : « Qui infelix haud scio an illam misere non amat ». Offic. II, 18, 64; quem l.

supra cit. Valer. Max. II, 4; 11 : « Sed quum aliquoties senatus pro militari disciplina se severum exhibuerit, nescio an tum præcipue, quum milites... carcere inclusit, ac... exsequutus est ».

Affirmat igitur vel potius suo quodam modo verecundiæ quidem notatione munit et aperit *nescio, an* v. *haud scio, an* ubique apud aureæ ætatis scriptores sequentem qualemcumque sententiam. Cujus duplex genus est : alterum genus negationis est in ipsa particula negativa *non*, vel *ne... quidem*, aut in adverbio *numquam, nusquam*, aut in pronomine *nemo* vel *nullus*, quibus vocibus si *nescio, an* v. *haud scio, an* præcedit; profecto non simplicius potest nec vehementius et arrogantius negari. Hæ enim voculæ sic negant, ut nihil exceptum sit, nullique temporis locive fines constituantur. Quum autem hæc negantis asperitas non ubique cum illa formula, quæ verecundiæ speciem præ se fert, consentiret; sæpe alterum genus aptius ad istam judicandi modestiam visum est, quod mediis quibusdam inter affirmationem et negationem positis adverbiis vel pronominibus continetur : quæ sunt « quisquam, ullus, umquam, usquam », quæ quum per se nihil habent in sese negationis, facillime vero eam aliunde recipiunt, ex præcedente aliqua voce negativa vel conditionalis, vel comparativa, vel interrogativa, ut Germanorum *irgend Jemand, irgend Etwas, irgend einmal, irgendwo*, negandi vim suam repetunt; ipsæ autem per se diligentissime circumspicienti infinitam, latissimeve patentem hominum, rerum, temporum, locorum regionem vel ambitum aperiunt, in quo si quid non reperiri dicitur, ex ipsa hac circumspiciendi cura vel diligentia aliud quid gravitatis cum summa cautione ad sententiam vel rem, quæ negatur, redundare facile intelligitur. Nam si affirmanda sententia est, « quispiam, uspiam, aliquando » adhibentur, ut Invent. II, 45, 136 : « Si quid igitur ex hac ipsa quippiam accusator deroget », pro quo non licuerit dicere *quidquam acc. der.* Sed Læl. 15, 52 :

«Nam quis est, qui velit, ut neque diligat quemquam, nec ipse ab ullo diligatur». Invent. I, 2: «Nemo (quasi omnes noti sunt) nuptias viderat legitimas: non certos quisquam (si omnia circumspicias) adspexerat liberos»; ad Att. IX, 13: «nec interim potest quidquam non modo statui, sed ne cogitari quidem». Ad negativæ vocis vim vero accedit proxime vox interrogativa, si quidem negari vis id, quod dubius quæris ex altero. Hinc illa locorum frequentia, qualis est Acad. II, 40, 125: «Tunc aut inane quidquam putes esse?» Tusc. IV, 37, 79: «An quidquam est secundum naturam?» Denique per consequentiam intelligis negari ope comparativi, ut Leg. I, 3: «Scripsisti plura, quam quisquam», quod proprie est «quam singuli reliquorum, qui aliquid scripserunt». Quamquam mutata comparationis forma dici idem sic poterit: «Nemo scripsit tam multa, quam tu».

Nec magis mirum est ex præcedente *nescio*, vel *haud scio* «quisquam, ullus, usquam» negativam vim adsumere, quoniam pro tenerrima illa, quam dixi, natura sua negativam aliquam locutionem anquirunt, cui sese applicent, quam si nacti sunt, circumspicientis curam et cautionem addunt sic, ut *haud scio*, vel «nescio, an ulla res sit suavior», denique pariter neget rei alius, quæ uspiam sit, majorem suavitatem, ac si dixeris: «nescio an nulla res sit suavior» vel «an nihil suavius sit». Nec vero negligenda forma rerum est vel agendarum vel dicendarum. Quo in leniore genere dicendi illud tamen observavi, *quisquam* rarius post *nescio*, vel *haud scio*, *an* inveniri, quam *nemo*; pro *nullus* autem frequentius apud Ciceronem esse *ullus*: neque certo ullo loco *nihil* vel *numquam* pro «quidquam, ulla res, umquam» reperi. Cujus rei causa in eo quærenda sit, quod in comparatione hominum notiores sunt vel possunt esse cujusvis generis excellentiæ, quam rerum omnium præstantiæ, quæ latius patent multitudine et naturæ suæ varietate. Cic. Orat. II, 4 extr. «Omnium autem ineptia-

rum, quæ sunt innumerabiles, haud scio, an ulla (ex uno cod. Erl. *nulla* dedit Ernest.) sit major, quam illorum, qui solent... argutissime disputare ». (H. e. nullam inept. majorem puto esse). Cat. M. 16, 56 : « Num igitur horum senectus miserabilis fuit, qui se agri cultione oblectabant. Mea quidem sententia haud scio, an ulla (senectus) lætior esse possit ». Cum Lambino, Ern. Schütz. male equidem in editione de anno 1819, *nulla* receperam. Latinum usum loquendi recte Theodorus Gaza vertit : οὐκ οἶδα, εἴ τις βίος εἴη τούτου μακαριώτερος. Epist. IX, 9 : « Quod nescio an ulli umquam nostro acciderit imperatori » ; ad Attic. IV, 3 : « gemitu non dicam bonorum, qui nescio, an ulli sint, sed plane hominum omnium ». Utroque loco Ern. invitis codd. *nulli*. Corn. Nep. Timol. I, 1 : « Namque huic uni contigit, quod nescio an ulli (sic recte Bardili) ut et patriam, in qua erat natus, oppressam a tyranno liberaret, et, etc. » Plin. Epist. III, 1 : « Nescio, an ullum jucundius tempus exegerim, quam quo nuper apud Spurinnam fui ». M. Senec. Controv. III, præf. p. 198, ed. Bip. de Albutio : « Splendor orationis, quantus nescio, an in ullo alio fuerit ». Cic. Leg. I, 21. Qui l. propter oppositum « sed hoc sermone certe », ad confirmandam lect. *umquam* animadvertendus est. « Hoc dijudicari nescio, an umquam, sed hoc sermone certe non potest » (Gœrenz. *numquam*, quem non debebat sequi Moser). Gell. V, 20 : « Nostri quoque Solœcum facile, Solœcismum haud scio, an umquam dixerint. Quod si ita est, neque in græco, neque in latino solœcismus probe dicitur ». Ita apparet cum majore parte codicum Cic. Læl. 6, 20 (comparato c. 13, 47, « qua (amicitia) a diis immortal. nihil melius habemus ») legendum esse, « qua (amicitia) quidem haud scio, an excepta sapientia quidquam melius homini sit a a diis immortalibus datum ». Ernest. edidit « nihil quidquam », ut Ter. Andr. I, 1, 63 : « Comperiebam nihil ad Pamphilum quidquam attinere ». Cic. Orat. I, 30, 134 : « sine quo (ardore amoris) quum in vita nihil quidquam

egregium, tum certe hoc, quod expetis, nemo umquam assequetur ». Nec tamen idcirco *nihil* invitis codd. Lælii c. 6, 20, addendum est, quum *quidquam* ex *haud* vim negativam sibi conciliet. Valer. Max. V, 2, 9 : « Multa insignia Pompeio, sed nescio, an hoc quidquam admirabilius contigerit, quod magnitudine beneficii Sullam sui oblivisci coegit », plane ut germanice : *Ich weiss nicht, ob irgend etwas*, hoc denique est : *Ich halte dafür dass nichts*, etc.

Cum hoc negationis genere, eo quidem propter nominis lenitatem minus aspero, alterum genus comparemus, quod ipsius sententiæ vim in « non, nec, ne ... quidem, minus, nemo », sine ulla mitigatione positam una formulæ *nescio, an* v. « haud scio, an » verecundia vel simulandæ inscientiæ urbanitate temperat. Cic. Acad. Quæst. II, 25 extr. « Quære rationem, cur ita videatur, quam ut maxime inveneris, quod haud scio, an non possis ». Div. I, 38 : « Ego autem haud scio, an nec cardiacis hoc tribuendum sit, nec phreneticis ». Læl. 14, 51 : « Atque haud scio, an ne opus quidem sit, nihil umquam deesse amicis ». Acad. Quæst. 44, 130 : « Illi umquam dicerent sapientes solos reges ... imperatorem nescio an ne quinquevirum quidem quemquam nisi sapientem? » (quo loco *quemquam* negandi vim adsciscit non e verbo *nescio*, sed e propiore *ne...quidem*.) Orat. I, 14, 61 : « Haud scio, an minus hoc vobis sim probaturus : equidem non dubitabo, quod sentio dicere ». Brut. 33, 126 : « Eloquentia quidem nescio, an habuisset parem neminem ». Quint. Fr. I, 1, 10 : « Etenim si in promerendo, ut tibi tanti honores tribuerentur, quanti haud scio an nemini, fuisti omnium diligentissimus ». Offic. III, 2, 16 : « Quod quum omnibus est faciendum, qui vitam honestam ingredi cogitant, tum haud scio an nemini potius, quam tibi ». Senec. Clement. I, 6 : « Quotusquisque accusator vacat culpa et nescio, an nemo ad dandam veniam difficilior sit, quam qui illam petere sæpius meruit ». Si Ter. Heaut. II, 3, 104, cum Eugraphio et Bentleio sic versuum ordi-

nem constituis, « CLIN. Di dant, fruare, dum licet: nam nescias, etc. CLIN. Syre inquam. SYR. Perge porro, tamen istuc ago. CLIN. Ejus sit potestas posthac an numquam tibi ». Justa sane causa eaque duplex est, cur « nescias ... an numquam » Terentius pro « nescias, an umquam » scripserit: altera in metro posita, ut *an* produceretur; altera in interpellatione, ut quum *nescias* distractum ab *an umquam* esset, hoc adverbium negativam vim ne a remotiore *nescias* repeteret, sed sua forma præ se ferret.

AUG. GOTTH. GERNHARD.

TABULA

RERUM

QUÆ IN HOC SEXTO VOLUMINE TERTIÆ PARTIS CONTINENTUR.

FINIS SEXTI VOLUMINIS.



